LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De CAUSIS BELLI IMPULSIVIS,

INTERNIS ET EXTERNIS, JUSTIFICIS ET SUASORIIS, JUSTIFICIS VERIS ET APPARENTIBUS, INJURIA NON FACTA ET FACTA, TRIPLICI CAUSA JUSTIFICA PROCATARCTICA, TRIPLICI BELLO JUSTO, NEMPE TUITIVO, REPARATIVO ET PUNITIVO, DEFENSIONE ET MODERAMINE INCULPATÆ TUTELÆ.

§. 1.

CAusa impulsiva belli est causa, quæ appetitum belligerantis *movet* ad hoc, ut fiat vel sit causa efficiens principalis belli, hoc est, — DE CAUSIS BELLI IMPULSIVIS.

Causa belli impulsiva quid? est, ut gerat bellum. Exempli gratia: causa impulsiva belli, quod sanctissimus Regum ipse David adversus Regem Ammonitarum gessit, erat ignominiosa legatorum violatio: Cum enim Ammonitarum Rex Legatos ejus ignominiose habuisset, neutiquam ignominiam hanc ferendam David judicavit, sed movit ea ipsius appetitum ad hoc, ut fieret causa efficiens principalis belli acerrimi, quo eam vindicaret.

[*Grotius l. 2. c. 1. §. 1.*]

NOTÆ.

I. Aliud est causa impulsiva belli, aliud belli occasio, quamvis ea quoque veniat quandoq; nomine causæ: ut quando *Poëta* canit: *Belli causa fuit violatus vulnere cervus.* Eas commemorare est historici. Certe ut ex parva scintillula sæpe maximus ignis, ita ex levissima occasione sæpe vastissima incendia belli exorta sunt.

II. Causæ impulsivæ sunt adeo diversi inter se generis, ut vix una definitione comprehendi possint.

III. Occasione doctrinæ de causa impulsiva belli quisque communem doctrinam de causa impulsiva cujusvis moralis, civi-

civilis aut forensis negotii suo animo præcipere poterit.

§. 2. Causa impulsiva belli alia est interna, alia externa. Illa Græcis προηγουμένη, hæc προκαταρκτικὴ dicitur. *Causæ impulsivæ belli divisio.*

NOTA.

Uti tritissima, ita utilissima hæc causæ impulsivæ distinctio est.

§. 3. Causa impulsiva interna belli est quoddam in causa efficiente principali belli inexistens principium, quo appetitus ipsius ad bellum gerendum excitatur: exempli gratia, belli causæ impulsivæ dici possunt varii affectus: quis enim nescit tantam affectuum vim esse, ut homines ad gerenda bella impellant, & quæ gessisse juvet & quæ gessisse postea pœniteat. *Causa impulsiva belli interna quid?*

NOTA.

Alium amor patriæ vel libertatis, alium cupiditas honoris vel prædæ, alium metus præsentissimi periculi, alium ira &c. ad bellum gerendum movet.

§. 4. Causa impulsiva externa belli est principium sub ratione boni vel *Causa impulsiva belli externa quid?*

mali causam efficientem principalem belli ad bellum gerendum movens: Exemplum petatur ex §. 1.

NOTA.

Hic loci saltem de causa impulsiva externa belli agetur, quam vulgo causam procatarcticam vocant: Usu quippe hoc vocabulum quasi Latinum factum est.

Causa belli procatarctica distinctio. §. 5. Causa impulsiva externa belli seu procatarctica rursus est duplex: alia *justifica*, alia *suasoria*.

[*Grotius* §. 1. n. 1.]

NOTA.

Suasoriæ expressam mentionem facit *Grotius c.* 22. ejusdem *L. II.* §. 3.

Causa procatarctica justifica quid? §. 6. Causa procatarctica belli justifica est causa impulsiva externa, *quæ movet sub ratione justi*: exempli gratia, quando viator bello se defendit adversus latronem, quia vitam aliter servare non poterat, tunc causa procatarctica justifica dicitur injusta invasio vitæ a latrone facta: sic causa procatarctica justifica belli, quod David adversus Regem Ammonitarum ges-

gessit, erat ignominiosa violatio legatorum, ut §. 1. exemplum indicabat.

[*Grotius* §. 1. n. 1.]

NOTA.

Hæ justificæ causæ proprie nostri sunt argumenti. Grotius §. 1. n. 2. Add. *ibidem* adducta elegantissima testimonia.

§. 7. Causa procatarctica suasoria est causa impulsiva externa, *quæ movet sub ratione utilis:* exempli gratia spolium, quando latro privatum bellum gerit adversus viatorem, ut spoliet: lucrum, cujus causa Rex adversus alium bellum gerit, nulla injuria provocatus. *Causa belli procatarctica suasoria quid?*

[*Grotius* §. 1. n. 1.]

NOTÆ.

I. Potest una eademque causa simul esse justifica & suasoria, quia idem simul potest esse justum & utile, modo utilitas filia maneat justi, justumque regula & mater utilitatis.

II. Ut *Grotius* de causis belli justificis: Sic *Ludovicus Septalius* non infelici successu egit de suasoriis causis in *de ratione sta-*

tus. Nam ad rationem ſtatus cauſæ ſuaſoriæ ſpectant.

Cauſæ belli juſtificæ diſtinctio.

§. 8. Cauſa impulſiva juſtifica rurſus diſtinguitur in veram & apparentem. *Cauſa juſtifica belli vera quid?* Cauſa juſtifica vera eſt, quæ movet ſub ratione veriſſime juſti: Exempli gratia talis cauſa erat ignominioſa legatorum violatio reſpectu belli, quod David gerebat adverſus regem Ammonitarum, cujus ſæpius meminimus. *Cauſa juſtifica belli apparens quid?* Cauſa juſtifica apparens eſt, quæ movet ſub ratione apparenter juſti, ut tamen vere juſtum non ſit: exempli gratia naturalis ſervitus, quando Rex eam pro juſtifica cauſa belli, habet in populos barbaros.

NOTÆ.

I. Uti bonum ac juſtum vulgo diſtinguitur in verum & apparens: ita quoque cauſa juſtifica in veram ac apparentem diſtingui poterat.

II. Ut ambiguitas latet in notione boni ac juſti apparentis, ut nunc apparens bonum & juſtum dicatur, quod bonum ac juſtum cognoſcitur, ſive revera bonum ac juſtum ſit, ſive minime; nunc tantum tale vocetur, quod juſtum ac bonum non eſt, utut tale appareat: ita facile jam eſt diver-

ſas

ſas cauſæ juſtificæ apparentis acceptiones aſſequi.

III. Poteſt etiam cauſa juſtifica apparens nunc talis vocari in ordine ad eum, quem movet ad bellum gerendum, nunc in ordine ad alios: in ordine ad eum, quem movet ad bellum gerendum, cauſa juſtifica apparens dici poterit id, quod a belligerante ex errore pro vere juſto habetur, veraque cauſa juſtifica, ut tamen vere juſtum veraque cauſa juſtifica non ſit: exempli gratia, quando ob vicini potentiam nimium excreſcentem vicinus ei bellum infert. In ordine ad alios cauſa juſtifica apparens vocabitur, quando auctor belli ſpecioſo prætextu juſtitiam cauſamque juſtificam belli ſui ſtrenue mentitur, ſicque aliis ſplendide imponit. Huc ſpectant illa manifeſta, ut vocantur, quæ crepant honeſtum, maxima interim injuſtæ utilitatis ratione clam habita. Nam & qui injuſtam bellorum ſuorum cauſam probe norunt, quibuſcunque modis poſſint, injuſtitiam tegunt ac diſſimulant, & ſæpe cætera prudentiſſimis glaucomata objiciunt.

IV. Magis tamen in præſenti cauſa juſtifica apparens in ordine ad eum, qui cauſa efficiens principalis belli eſt, conſideranda venit.

§. 9. Unica *cauſa* impulſiva externa *juſtifica belli ſuſcipiendi* datur, nulla- *Juſtifica belli cauſa unica eſt injuria.*

nullaque alia esse potest, nisi INJURIA.

[*Grotius* §.1. n.4.]

NOTA.

Non tamen quælibet injuria est cujuslibet belli causa justifica, sed magna debet esse injuria, nec aliis remediis sanabilis.

Injuria quid? §. 10. Injuria est voluntaria inviti ac simul immerentis læsio.

NOTA.

De injuria quid sit, ex professo agetur *L. III. c. 11.*

Injuriæ divisio. §. 11. Injuria duplex est: *facta & non facta.*

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

Injuria non facta quid. §. 12. Injuria non facta est injuste erepta securitas: exempli gratia injuria non facta datur, si ædes vicini mei meis ædibus minantur ruinam, inde fit, ut vicinum in foro possim convenire *actione damni infecti*, ut JCti appellant. *Injuria facta quid?* Cæteræ injuriæ nomine injuriæ factæ nuncupantur.

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

NO-

NOTA.

Si paulo rigorosius philosophari velis, omnis injuria non facta haberi potest pro injuria facta: nam quoties injuriæ non factæ locus est, toties aliquod bonum ablatum est, sicque læsio facta: exempli gratia quando ædes vicini meis ædibus ruinam minantur, sic certe mihi bonum nempe securitas eripitur, quo bono externo carere nequeo absque meo damno.

§. 13. Injuria facta iterum dupliciter considerari potest, 1. ut *reparanda*. 2. *ut punienda*. *Injuria facta duplex*

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

NOTÆ.

I. Ita in foro civili ob injuriam factam nunc instituitur actio, ut injuria reparetur, nunc ut puniatur: Hinc forte natum est discrimen actionum, quando alia dicitur civilis, alia criminalis, illaque ob injuriam factam instituitur, ut reparetur, hæc vero, ut injuria facta puniatur.

II. Hosce duos obligationum fontes recte distinxit jure naturali consultissimus *Plato Lib. IX. de legibus*.

III. Quia hic modus loquendi ac distinguendi usu receptus est, merito placuit eum sequi, alias injuria non reparatur, in-

quantum est injuria, sed in quantum est damnum: omnis vero injuria est damnum. Hoc igitur, quod injuria reparanda dicitur, in sensu non formali, sed materiali, ut *Scholæ* loquuntur, intelligendum venit.

IV. Differunt nempe injuria & damnũ, ut angustius & latius, cum omnis injuria sit damnum, sed non omne damnum injuria, quo de *L. III. c. 11.* fusius agetur.

Causa justifica belli procatarctica triplex.

§. 14. Triplex igitur causa procatarctica justifica belli dari potest: *1. Injuria non facta. 2. Injuria facta ut reparetur. 3. injuria facta ut puniatur*, adeoque triplex quoque datur bellum naturaliter justum: 1. defensivum seu tuitivum. 2. reparativum. 3. pœnale seu punitivum.

[*Grotius* §. 2. n. 2.]

NOTÆ.

I. *Tot* enim *sunt belli fontes, quot sunt actionum forensium ob injuriam: nam ubi judicia deficiunt, incipit bellum. Dantur autem actiones ob injuriam aut non factam, ut: qua petitur cautio de non offendendo, item damni infecti & interdicta alia, ne vis fiat; aut ob injuriam factam, ut reparetur; aut ob injuriam factam, ut puniatur. Quod reparandum venit aut spectat id, quod nostrum*

strum est vel fuit, unde vindicationes & conditiones quædam; aut id, quod nobis debetur sive ex pactione, sive ex maleficio; sive ex lege, quo referenda quæ ex quasi contractu, & quasi maleficio dicuntur; ex quibus capitibus nascuntur conditiones cæteræ. Injuria ut punienda parit accusationem & judicia publica.

II. Bellum hic sumsimus in eo significatu, ut neque mixtum, neque privatum excludatur.

§. 15. Bellum justum defensivum est, cujus causa justifica est injuria non facta. Bellum justum reparativum est, cujus causa justifica est injuria facta, ut reparetur. Bellum justum punitivum est, cujus causa justifica est injuria facta, ut puniatur. *Bellum defensivum Reparativum quid? Punitivum, quid?*

[*Grotius* §. 2. n. 2.]

NOTÆ.

I. Supra laxiori sensu bellum defensivum a nobis accipiebatur, ut *c. 2. §. 24. & 25. p. 353.* videre est.

II. Potest fieri, ut unum idemque bellum simul sit tuitivum, reparativum & punitivum.

III. An bellum publicum pœnale proprie ita dictum detur, merito dubitari potest.

est. Videas, qui inter pœnam proprie & improprie dictam distingvunt. Sed de hoc, an quis punire possit alterum bello, quamvis eo non sit superior, ex professo *c. 20.* hujus *libri* dispiciemus.

IV. De jure belli defensivi agitur *hoc capite*, de jure belli reparativi *sequentibus capitibus* usque ad *20.* de jure belli punitivi *c. 20. & 21.*

§. 16. Defensio varia est pro varietate eorum, quæ defendi possunt. Communiter distinguitur in *defensionem personarum* & defensionem *rerum*.

Defensio duplex.

[*Grotius* §. *2. n. 3. &* §. *11.*]

NOTÆ.

I. Prout nempe *injuria nondum facta petit aut corpus, aut rem*, ut *Grotius* noster loqui amat.

II. Personam suam defendit, etiam qui aliam personam defendit, in quantum ea quasi ipsius pars est, ut quando pater liberos, dominus servos, maritus uxorem, imperans subditos defendit. Nam *sicut pars non tantum pars est totius eadem relatione, qua totum est totum partis, sed hoc ipsum, quod est, totius est: Ita possessio est aliquid ipsius possidentis. Grotius c. ult. L. I. §. 3.*

Hinc

Hinc eleganter *Democritus: famulis tanquam PARTIBUS CORPORIS aliis ad aliud utere.*

III. Ad corporis defensionem non modo vitæ ac membrorum defensio, etiam ut periculum accipiendæ alapæ aut mali similis imminet, sed quoque defensio libertatis personalis, pudicitiæ, famæ &c. referri solēt ac fortassis aliquo modo possunt.

§. 17. Moderamen inculpatæ tutelæ est actus mixtus, quo quis occisione alterius, a quo corpus ipsius injuria præsente cū periculo vitæ non aliter vitabili impetitur, eo ipso temporis puncto, quo impetitur, se defendit, unice ea intentione, ut vitā conservet: e. gr. Titius studiosus prætergreditur sylvam a latronibus alias tutissimam, ex qua repente & temere prosilit Sempronius latro eumque stricto gladio aggreditur, ut nec fuga sibi salutem quærere nec ulla alia ratione, quam si occidat Sempronium, a præsentissimo mortis periculo se liberare queat; in tali igitur casu moderamen inculpatæ tutelæ adesse dicitur, si Sempronium Titius ea intentione, ut vitam suam servet, occidat.

Moderamen inculpatæ tutelæ quid?

[*Grotius §.3.*]

NO-

NOTA.

Bene monendum, quod nostri animi propositum non sit, moderamen inculpatæ tutelæ in genere definire, hoc enim fieri non posset, cum istud sit ex numero communium πρὸς ἕν, quibus perpetuum esse diximus, quod definitionem repudient. Imo quisque facile nobiscum sentiet, qui nimiam & multiplicem variorum casuum ac circumstantiarum in infinitum variantium multiplicem varietatem attendit. Placuit igitur saltem præcipuam & in morum genere maxime necessariam defensionem sui ipsius magis distincte & definite proponere.

Requisita moderaminis inculpatæ tutelæ. Requis. 1.

§. 18. Requisita moderaminis inculpatæ tutelæ, quod primario & maxime hoc nomine censebatur, sunt sequentia: 1. requiritur, ut vis injusta ei, qui moderamen inculpatæ tutelæ adhibet, inferatur.

NOTÆ.

I. Vim injustam in definitione moderaminis inculpatæ tutelæ appellavimus injuriam.

II. Is, qui injustam vim infert, in *Scholis Moralibus* invasor, item aggressor vocatur.

III. Il-

III. Illustrare liceat hoc requisitum exemplo contrario: Faciamus e.gr. Cajum in via esse ad judicem, ut Cnejum falso testimonio ac perjurio homicidii aut alius capitalis facinoris convincat, si jam Cnejus hujus rei gnarus Cajum occidisset in sui defensionem, talis actus, salvis defensionis regulis moralibus, moderamen inculpatæ tutelæ dici non posset ob defectum hujus primi requisiti, quia Cajus reipsa vim injustam Cnejo nondum intulerat, cum solummodo animum habuisset id, quantum in se, suo perjurio, si in forum veniret, efficiendi, ut ex judicis decreto Cnejus a carnifice tandem vim pateretur.

§. 19. Requiritur 2. ad moderamen inculpatæ tutelæ, ut occisio fiat ab eo, qui in propulsationem injuriæ istud adhibere dicitur. *Requisitum 2.*

NOTÆ.

I. Is, qui injustam vim vi repellit, in *Moralibus Scholis* defensor salutatur.

II. Opposito exemplo hoc requisitum declarasse juvat. Exempli gratia ponamus Sylvium a Tullio, quem & contumeliis prosciderat, & ad duellum provocaverat, adigi ad murum, ut ipse videat sibi, nisi provocatum transfodiat, pereundum esse, Sylvius certe, si Tullium occidat, nequit moderа-

deramen inculpatæ tutelæ prætendere, quia hocce ſecundum requiſitum deeſt. Nam licet ei pereundum fuiſſet, niſi Tullium auſus fuiſſet transfodere, inde tamen nihil evincitur, niſi quod Tullio injuria non fiat, quando a Sylvio in tali caſu occiditur: Injuria vero fit reipublicæ, quam Sylvius cive: injuria fit Deo, quem Sylvius nobiliſſima creatura privat. Indirecte voluntarium erat Sylvio vitæ ſuæ periculum, & licet aliter ſe non poſſet defendere, quam Tullii occiſione, provocatione tamen ſua hanc impotentiam cauſatus eſt.

Requiſitum 3. §. 20. Requiritur 3. ad moderamen inculpatæ tutelæ, ut vis, quam aggreſſor defenſori infert, ſit præſens, hoc eſt, ut occiſio aggreſſoris fiat in ipſo actu defenſionis.

NOTÆ.

I. *Grotius* noſter ſic exprimit: *Periculum præſens hic requiritur, & quaſi in puncto §. 5. n. 1.* optimeque ſequentia, paucis interjectis, adjicit: *Multum falluntur, & fallunt, qui metum qualemcunque ad jus occupandæ interfectionis admittunt. Vere enim dictum eſt a Cicerone 1. de Officiis, plurimas injurias a metu proficiſci, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo.* Idem inſigni-

signibus *Xenophontis, Catonis, Gellii, Euripidis, Thucydidis, Livii, Dionis* sententiis ibidem uberius declarat.

II. Iterum adesse volumus adversum exemplum, ut veritas requisiti magis elucescat: Mævius stricto gladio invadit Accium eique concedit licentiam dimicandi, alioqui eum occisurus sine duello: hoc enim generosius censet ita occidere Accium, ut quando occiditur, sui defendendi habeat copiam: in tali casu Accius arripere gladium justo quidem titulo potest, si tamen duellum suscepisset, nec tamdiu expectasset, donec a Mævio corpus suum impetitum fuisset vi præsente cum periculo vitæ non aliter vitabili, tunc interfectio Mævii sub moderaminis inculpatæ tutelæ prætextu ab Accio non potuisset suscipi. Rationem ex defectu ejus, quod tertio loco requirebatur, petimus, quia nondum Accius senserat vim præsentem, unde tum demum bellum licitum fuisset etiam cum interfectione periculum inferentis, si reapse eum Mævius stricto gladio aggressus fuisset, cui gladium objiciendi sicque se tuendi jus habuisset.

III. Clarius defectus hujus requisiti ostendi potest, si invasor se viribus inferiorem advertens quique antea aperto Marte alterum aggressus fuerat, fuga nunc salutem quæsivisset, quia gladius fractus fuerat, aut sclopetum ignem non conceperat vel

aberraverat, alter vero eum diutissime insecutus fuisset & demum inermem a tergo occidisset.

IV. *Grotius* tamen singulari cura voculam *quasi* interserere voluit periculum præsens requirens & quasi in puncto, addita explicatione moralibus principiis admodum consentanea: *Fateor quidem*, inquit, *si insultator arma accipiat, & quidem ita, ut appareat eum id facere occidendi animo occupari posse facinus. Nam in moralibus, ut & in naturalibus punctum non invenitur sine aliqua latitudine.* Apposite ac eruditissime *Dn. Samuel Pufendorffius* hanc moralem moralis puncti latitudinem illustrat sequentibus exemplis: *Verbi gratia si quis stricto gladio ad me viam affectet, cum sufficiente significatione, quod me velit confodere, neque mihi tutum pateat suffugium, ego autem sclopeto sim armatus, tunc recte id in ipsum displodere possum, quando longiuscule adhuc abest, ac nondum me gladio contingere valet, ne si nimis appropinquaverit, telo meo uti nequeam, idque magis valet in arcubus, & similibus telis, quæ intra breve nimis spatium usum sui amittunt. Sic si quis cum proposito me occidendi advolet sclopetis brevioribus armatus, mihi autem sit sclopetum longius, non teneor expectare, donec ille intra id spatium accedat, ex quo suis me telis contingere queat, sed antequam eo perveniat, meo ipsum telo exci-*

excipere potero. Hoc ipſum enim eſt *in tempore occurrere, quod meliùs habetur, quã poſt exitum vindicare l. 1. C. quando liceat unicuique.* Videatur laudatus *Dn. Samuel Pufendorffius L. II. de Jure Naturæ & Gentium c. 5. de defenſione ſui §. 8. p. 218. 219.* Hæc enim apprime conveniunt iis, quæ ſic diſſeruerat: *Licet,* inquiens, *cordato Judici ex ſingulorum factorum circumſtantiis commodiſſime de innocentia defenſionis conſtare queat, in univerſum tamen id ſtatuendum videtur, initium temporis illius, quo quis in ſui defenſionem alterum impune poteſt occidere, inde ſumi, quando aggreſſor, voluntatem vitam meam impetendi præ ſe ferens, & a viribus inſtrumentisque nocendi inſtructus, jam intra illum extiterit locum, ex quo reipſa nocere poſſit, computato quoque illo ſpatio, quo opus eſt, ſi ego ipſum occupare, quam ab ipſo occupari malim.* Hoc tamen, ſalvo meliori judicio, adeo univerſaliter verum credo, ut intra hoſce morales terminos ſemper conſiſtendum eſſe cenſeam, ſive defenſor in naturali libertate conſtituatur, ſive ejus ſalus patrocinio civitatis ambiatur.

§. 21. Requiritur 4. ad moderamen inculpatæ tutelæ, ut moraliter certus ſit defenſor, periculum vitæ aliter non poſſe evitari. *Requiſitum 4.*

NOTÆ.

I. Certitudinem non secundum physicam subtilitatem, sed moraliter sumimus.

II. Exemplo dispari necessitatem hujus requisiti explanabimus: Julius plus simplici vice verbis sat contumeliosis a Manlio ad duellum provocatus, tandem sociorum suorum persvasionibus ac pollicitationibus permotus, ante portam Manlium expectat, eumque precibus permovere studet, ut absque duello in amicitiam redeat. Tandem quia videt se frustra deprecari duellum, istud suscipit metu magni mali a sociis adstantibus sibi intentati, nisi per vim certet, eoque se adactum Manlii gladio videt, ut perire necessum habeat, nisi Manlium velit perdere; hoc certe casu sic se Julius occisione Manlii defendere haud potuit, ut moderaminis inculpatæ tutelæ favore gauderet, ob quarti hujus requisiti defectum: Qui enim dici potest Julium moraliter certum fuisse, quod periculum vitæ aliter non potuisset evitari. Etsi enim dicat se intra mœnia mansurum fuisse, nisi persvasiones tot familiarium eum movissent, seque fugam suscepturum, nisi pollicitationes sociorum in atroces minas abiissent, hæ tamen circumstantiæ augent miseriam Julii, ab injustitia vero factum non liberant. Potuisset quippe, modo se no-

stit

stitisset, hoc periculum avertere, quod tamen noluit, sicque sua voluntate in certum periculum se conjecit.

§. 22. Requiritur ad moderamen inculpatæ tutelæ 5. ut defensor non habeat animum committendi homicidium, nec animum ulciscendi seu puniendi. *Requisitum 5.*

NOTÆ.

I. Aliud est homicidium, aliud occisio hominis: ita exempli gratia magistratus habet animum occidendi hominem, quando vult, jubet pœna capitali afficere homicidam, inde inepte colligeres magistratum eoipso habuisse animum committendi homicidium. Nam justa pœna capitalis non est homicidium, quia homicidium est actus intrinsece turpis ac per se injustus.

II. Differunt quoque tuitio seu defensio violenta & vindicatio, ut dicit punitionem ac ultionem. Studio dicitur: vindicatio, ut dicit vindictam ac ultionem. Etenim nomen vindicationis non raro sumitur pro defensione, ut vindictæ pœnali prorsus contradistinguitur.

III. In contrarium faciens exemplum & hic producimus in pleniorem hujus requisiti notitiam. Corœbus invaditur a latrone, & quia videt unicam vitæ suæ spem in

latronis occiſione poſitam, apud ſe animumque ſuum conſtituit ex duobus malis minus, adeoque homicidium præ morte ipſius eligendum eſſe: Si jam in tali caſu Corœbus præconceptis ſuis opinionibus indulgens latronem occidat, in morali foro ab omni culpa liber non erit. Nam ſi quid, quod alias per ſe juſtum fuiſſet, fiat ab eo, qui omnibus expenſis circumſtantiis id injuſtum exiſtimat, actus eſt vitioſus: quippe vim judicatricem hominis actionibus ducem Deus addidit, qua contemta obbruteſcit animus. Potuiſſet quidem, quantum ad propoſitum exemplum attinet, Corœbus juſtiſſimo titulo latronem occidere, quia tamen Corœbi finis malus eſt, ideo mala eſt & manet occiſio latronis a Corœbo facta juxta moralem canonem: *cujus finis eſt malus, illud ipſum eſt malum.* Item *bonum morale naſcitur ex integra cauſa, malum vero morale ex quolibet defectu.*

IV. Huc credimus reſpexiſſe *Grotium* noſtrum, quando *L. II. c. 1. §. 4. n. 2.* ſcribit: *Bene dictum eſt a Thoma ſi recte accipiatur, in veradefenſione hominem non occidi ex intentione: non quod non interdum, ſi alia ſalutis non ſuppetat ratio, non liceat deſtinato id facere, unde mors aggreſſoris ſit ſecutura, ſed quod hic mors illa non eligatur, ut quiddam primario intentum, ſicut in punitione judiciali, ſed ut unicum, quod eo tempore ſuppetit;*

petit; cum is, qui impetitus jam est, etiam illo tempore malle debeat tale aliquid facere, quo alter absterreatur, aut debilitetur, quam quo intereat. Hisce tamen verbis *Grotius* non hoc vult, quasi directa intentio occisionis non sit licita, ut ei affingi poterat, quippe non de directa ac indirecta, sed de primaria ac secundaria intentione hoc loco agitur. Multum autem hæ duæ distinctiones ab invicem discrepant. Nam etiam secundaria intentio potest adhuc esse directa intentio. Paucis: hoc & nihil aliud *Grotius* indicare voluit, quod perinde animus defensoris se habere debeat, ac in aliis actionibus mixtis. Sicut enim exempli gratia, qui naufragii metu res suas jactat, vellet res servare sub conditione, si naufragium non immineret: ita si periculum vitæ aliter esset vitabile, vellet ab occisione aggressionis defensor abstinere, idque deberet velle. Uti vero nauclerus absolute vult res perdere idque directe intendit, spectata scilicet temporis ac loci circumstantia, ita salvo naturæ jure invasor directe vult perdere aggressorem, iisdem circumstantiis recte æstimatis.

V. Et tantum de moderamine inculpatæ tutelæ per excellentiam & primario ita dicto. Cæterum moderamen inculpatæ tutelæ etiam dici potest, quando tertius adveniens ejus, cujus corpus impetitur vi

præsente cum periculo vitæ non aliter vitabili, vitam interfectione periculum inferentis tuetur ac servat. Item: quando tertius interveniens, quia destinata animi malitia se interponendo defensionem aut fugam, sine qua evadi mors non potest, impedit, transfoditur aut obteritur a defensore. *Grot* §. *4. n. 1.*

VI. Imo casus dantur, in quibus justissimo moderaminis inculpatæ tutelæ prætextu innocens occidi poterat. Ubi tamen notari meretur, quod homo innocens duplicis generis speculationi morali se offerat: 1. ille, qui quidem impetit corpus alterius vi præsente cum periculo vitæ non aliter vitabili, nisi impetentis occisione, ut tamen impetens nullum habeat mali animi propositum: exempli gratia noctambulo, qui stricto gladio sibi obviam factum invadit, nesciens quid agat. Item qui bona fide militat, aut alium putat defensorem quam est. 2. is, qui prorsus non invadit alterum, ut tamen alter certissimum vitæ periculum a se avertere nequeat, nisi eum, a quo nunquam impetitus fuerat, occidat: e. g. quando quis forte interponitur inter latronem eumque qui totus in eo est, ut fuga a cruentis latronis manibus sese liberet. Ad prioris generis innocentes quod attinet, *non eo*, quod innocentes sint, *tolletur jus se tuendi, cum sufficiat, quod ego non teneor id, quod ille intentat*

tentat pati, non magis quam si bestia aliena periculum intentaret, ut Grotius noster censet *§. 3.* Quamvis hujusmodi casus multis impliciti sint difficultatibus & cauta circumstantiarum inspectione opus sit. Posterioris generis casus in ipsis quæstionibus attingemus. Sexcenti casus in puncto defensionis hic moveri poterant.

VII. Si usus loquendi ferret, quælibet cum vitæ, tum aliarum rerum, naturaliter justa defensio *moderamen inculpatæ tutelæ* dici potuisset.

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

An servare æqualitatem inter offensionem & defensionem sit ad naturaliter justam sui defensionem per se necessarium jure naturæ?

PRO NEGANTE SENTENTIA.

§. I. PRo negativa facit sequens argumentum:

ARG.

Quodcunque saltem post constitutas civitates necessarium est ad naturaliter justam sui defensionem, id per se ad eam non est necessarium jure naturæ.

Servare æqualitatem inter offensionem & defensionem est saltem post constitutas civitates necessarium ad naturaliter justam sui defensionam. E.

 Ser-

Servare æqualitatem inter offenſionem & defenſionem per ſe non eſt ad naturaliter juſtam ſui defenſionem neceſſarium jure naturæ.

Major patet, quia etiam ante conſtitutas civitates locus fuit naturaliter juſtæ ſui defenſioni, & adhuc cuivis extra civitatem degenti ſui defenſio jure naturæ permiſſa eſt. Quidni enim hominibus in naturali libertate viventibus, qui ſuam ſalutem propriis viribus proprioque ex judicio expediunt, liceret ſe adverſus aggreſſores defendere vimque vi repellere. Non igitur per ſe neceſſarium ad juſtam ſui defenſionem dici poterit, absque quo juſta ſui defenſio locum habere poteſt.

Ad minoris probationem conducit in anteceſſum notaſſe, quod ſtatus ante conſtitutas civitates, item ſtatus extra civitates ſit ſtatus naturalis ſeu ſtatus naturalis libertatis: Jam quod in ſtatu naturali ſervare æqualitatem inter offenſionem & defenſionem per ſe neceſſarium non ſit ad naturaliter juſtam ſui defenſionem, probatur ſequentibus proſyllogiſmis:

Proſyllogiſmus 1. (α) Quo poſito homines in ſtatu naturali viventes redduntur ſimpliciter inſociabiles, hoc non eſt per ſe neceſſarium jure naturæ.

Atqui

Atqui hoc posito, quod hominibus in statu naturali viventibus servanda sit æqualitas inter offensionem & defensionem, ipsi redduntur simpliciter insociabiles. E.

Servare æqualitatem inter offensionem & defensionem non est per se necessarium jure naturæ.

Major probatur, quia socialitas ad salutem universorum spectat, omniaque, quæ istam socialitatem turbant aut abrumpunt, vetita jure naturali, quæ ad eandem necessario faciunt, jure naturali præcepta intelliguntur. Imo isthæc fundamentalis lex naturæ est: Cuilibet homini, quantum in se, colendam & conservandam esse pacificam adversus alios socialitatem.

Minor est facilis probatu. Qualis enim vita esset, si alter me semper modicis infestare verberibus pergeret, cujus malitiam alia ratione sistere, aut reprimere non daretur, nisi morte ipsi intentata? Aut si vicinus rapinis duntaxat, & vastationibus agrorum nos vellicare continuaret, neque nobis fas esset, istum cædibus repellere?

(β) Quodcunque inter homines in naturali libertate viventes sancit necessitatem injurias perferendi, hoc non est per se necessarium jure naturæ. *Prosyllogismus 2.*

Atqui æqualitas inter offensionem & defensionem semper & ubivis servanda sancit

inter

inter homines in naturali libertate viventes neceſſitatem injurias perferendi. E.

Æqualitas inter offenſionem & defenſionem ſemper & ubivis ſervanda non eſt per ſe neceſſaria jure naturæ.

Major patet, quia abſurdum eſt ejusmodi leges ſocialitatis fingere, per quas modeſtiſſimo cuique ſemper miſero eſſe neceſſum foret, quotiescunque pravo cuipiam jus naturæ violare placeret. Unde ſtultus eſt, propriæque ſalutis ignavus proditor, qui hoſti, quamdiu talis perſiſtit, & hoſtilia exercet, parcit, & fruſtra perire quam perdere mavult.

Minor probatur, quia ſtante æqualitate inter offenſionem & defenſionem ſæpe ſi pericula accipiendorum verberum aut malorum ſimilium nobis imminerent, eaque arceri non poſſent absque cæde inimici, aut ſi libertas naturalis ipſa, fama, pudicitia in periculum adducerentur, res noſtræ ſine occiſione raptoris conſervari non poſſent, aut ſi membra corporis non præcipua periculoſe impeterentur, & vero omnia hæc pericula averti non poſſent niſi occiſione periculum inferentis, ea nunc omnia perferenda eſſent; Imo ſi æqualitas ſervanda eſſet inter offenſionem & defenſionem in ſtatu naturali tuto vivere nemini liceret, cum licite non poſſemus hoſti vires nocendi ſubtrahere vel alia vincula injicere, ut ne deinceps

inceps nobis existeret formidabilis, utut vel semel expromta malitia nec rite emendata perpetuo ipsum suspectum reddidisset.

(γ) Per quodcunque in statu naturali vivens nemini faceret injuriam, hujus contrarium non est jure naturæ necessarium. *Prosyllogismus 3.*

Atqui per hoc si in statu naturali vivens non servaret æqualitatem inter offensionem & sui defensionem, nemini faceret injuriam. E.

Servare æqualitatem inter offensionem & sui defensionem non est jure naturæ necessarium.

Major est manifesta, quia nemini facere injuriam est socialitatem pacificam colere adversus omnes alios, sicque actiones suas juri naturali conformare.

Minor probatur, quia si alter vel maxime vitam meam directe non impetat, puta si me plagis duntaxat velit onerare, aut membro aliquo non vitali mutilare, aut rebus me salvo corpore spoliare, tamen postquam semel pacem mecum abrupit, neque cautio mihi existit, quod ab istis initiis ad majores injurias non sit erupturus, etiam huic injuriæ repellendæ licebit extrema adhibere. Eo ipso enim, dum quis sese hostem mihi profitetur, (id quod fit, quando injuriis me lacessit, nec pœnitentiæ signa ostendit,) dat mihi, quantum in se, adver-

adverſus ſe licentiam in infinitum, dignusque eſt, ut non eadem, ſed plura & majora, quia incipit, patiatur, imo etiam cum cæde repellatur.

Pro affirmativa sententia.

§. 2. Affirmativa ſententia, ut apud naturalis æquitatis æſtimatores receptior eſt, ita verior nobis videtur, inque eam forte quadrat ſequens quoque argumentum:

Argumentum.

Si jus naturæ in omnibus aliis cum nullius fere, tum magni momenti actibus & negotiis præcipit ſervare æqualitatem, ſequitur, quod ſervare æqualitatem inter offenſionem & defenſionem ad naturaliter juſtam ſui defenſionem etiam per ſe neceſſarium ſit jure naturæ.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia non videtur egere prolixa probatione, maxime quia inter offenſionem ac defenſionem æqualitas locum habere poteſt: ſi enim gradus dantur offenſionum, ſequitur quod etiam defenſionum, jure naturæ licitarum ſine præcepto, vel etiā præceptarum, gradus dentur.

Prius eſt in propatulo: natura imperat æqualitatem in contractibus, & ita quidem ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti. Præcepta virtutis quid aliud ſunt quam præcepta æqualitatis?

§. 3.

§. 3. Ad argumentum pro contraria ſententia allatum reſpondetur negando propoſitionem minorem, quod ſcilicet ſervare æqualitatem inter offenſionem & defenſionem ſit ſaltem poſt conſtitutas civitates neceſſarium ad naturaliter juſtam ſui defenſionem. Ad probationem quod attinet tribus proſyllogiſmis incluſam, reſponderi ad ſingulos poteſt, & quidem

RESP. AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

Ad 1. negando propoſitionem minorem, quæ hæc erat: Hoc poſito, quod hominibus in ſtatu naturali viventibus ſervanda ſit æqualitas inter offenſionem & defenſionem, ipſi redduntur ſimpliciter inſociabiles. Potius eo ipſo redduntur homines inſociabiles, ſi in ſtatu naturali viventes ob minima damna inferre maxima, & ob leves injurias ſtatim omnem ſocialitatem poſſint perdere. Ad probationem minoris dicimus, quod alii ſint modi, ſalvis moralium officiorum regulis, reprimendi malitiam ejus, qui ſemper modicis infeſtare verberibus me pergit, aut rapinis & vaſtationibus agrorum me vellicare continuat, ſi nempe ſic me geram adverſus ipſum, ut impoſterum me verberibus aut rapinis infeſtare aut vellicare nequeat, niſi invaſor ipſe ſe in periculum mortis conjicere, vel etiam in certis caſibus invaſor vitæ meæ fieri malit. Accedit, quod uti maximo offenſio-

Reſp. ad proſyllogiſmum 1.

fenſionis gradui fere proxima eſt ejuſmodi offenſio, qua quis ſemper alterum verberibus infeſtare pergit, aut continuis rapinis & vaſtationibus agrorum vellicat, ſic eo facilius gradum defenſionis maximo fere proximum ſtatuminare liceat. Quid? quod adhuc æqualitas eſſet inter offenſionem & defenſionem, ſi vel maxime ea æqualitas phyſice loquendo ſit inæqualitas.

Reſp. ad proſyllogiſmum 2.

Ad 2. reſpondetur negando propoſitionem minorem, quia, uti diximus, alii modi aliaque media ſemper ſuppetunt, quibus pericula accipiendorum verberum aut malorum ſimilium nobis imminentia arceri poſſint, alia item averti queant. Imo, utut caſus darentur, in quibus adeo infirmi eſſemus, ut hæc illave pericula non valeremus a nobis avertere, quamdiu extra ſtatum civilem degimus in mere naturali libertate, id propter tamen non ex oculis animiſque dimittendum eſſet præceptum naturalis æqualitatis inter offenſionem & defenſionem, ſed ſtatus civilis quærendus eſſet, quo noſtra ſalus patrocinio civitatis ambiretur. Quid tandem eſt limites naturalis æquitatis egredi omniaq; ſocialitatis præſidia in perverſo Φιλαυτίας ſtudio quærere, ſi ita philoſophari licet, ut nullos defenſionis terminos admittas.

Reſp. ad proſyllogiſmum 3.

Ad 3. reſpondetur negando majorem, quæ hæc erat: Per quodcunque in ſtatu

natu-

naturali vivens nemini faceret injuriam, hujus contrarium non eſt jure naturæ neceſſarium. Negamus enim hanc propoſitionem, ſi vox *nemini* idem ſit ac *nulli homini*. Quando in probatione dicebatur, quod nemini injuriam facere ſit ſocialitatem pacificam colere adverſus omnes alios, ſicque actiones ſuas juri naturali conformare; hoc quidem ſano ſenſu admitti poteſt, ſi nempe ſic explicetur: quicunque nemini facit injuriam, is pacificam ſocialitatem colit adverſus omnes alios, ſicque actiones ſuas juri naturali conformat; non tamen inde extrui poteſt hic ſenſus: quicunq; ſocialitatem pacificam colit adverſus alios omnes homines, is omnes actiones ſuas juri naturali conformat, neminiq; facit injuriam; nam adhuc injurius quis eſſe poteſt adverſus legis naturæ auctorem, Juſtiſſimum ſcilicet Numen. Ita exempli gratia ſive in ſtatu civili, ſive naturali quis conſtitutus ſeipſum vita privaret, ſibi quidem non faceret injuriam, Deo tamen injuria fieret, & ſi in ſtatu civili viveret, injuria quoque fieret civitati, quam cive privaret. Pariter fieri poteſt, ut quis occidendo proximum ſive extra ſive intra civilem ſtatum, eum quidem non afficiat injuria, Deum tamen juſtiſſimum ſceleris vindicem provocet. Ad minorem quoque dicendum erat, quod in ſtatu naturali vivens ſi non ſervet

æqualitatem inter sui offensionem & defensionem, non modo contra socialitatis universalis leges agat, sed etiam in quantum tantundem defensionis non adhibet, quantum accipit offensionis, injuriam injuria nitatur repellere. Fallitur itaque, qui eo ipso, dum quis hostem sese alteri profitetur, dari alteri, quantum in se, adversus se licentiam in infinitum credit: non enim æqualitas inter infinitum & finitum, nec infinita licentia ad retundendam hostis malitiam necessaria est, cum, ut sæpe diximus, alia media suppetant. Et licet læsus isthanc moderationem nequaquam deberet lædenti, tamen deberet propriæ securitati & tranquillitati, & quod præcipuum est, Deo ac conscientiæ, imo communi quoque socialitati, & ad salutem universorum spectanti. Non igitur quando quis ira aut dolore concitatus limites æqualitatis inter offensionem & defensionem sui transilit, saltem imprudentiæ cujuspiam, sed veræ iniquitatis ac injustitiæ arguendus est. Et ex contrariis fundamentis si quis decidere velit, quæ super moderamine inculpatæ tutelæ disputantur, videat, num facile periculosior philosophia adduci possit.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasio quæstionis petebatur inprimis ex §. 10. ubi *noster n. 1.* sic disserit: *Quanquam inæqualia sunt mors & alapa, tamen qui injuria me parat afficere, is mihi eo ipso*

ipso dat jus, hoc est, facultatem quandam moralem adversus se in infinitum, quatenus aliter malum illud a me arcere nequeo. Add. *§. 11.* Quod si *Grotius* sic acceptum vellet, quod licentia adversus alterum, qui injuria te parat afficere, quandoque quasi infinita sit, hoc est, ejusdem termini non semper ita determinari, multo minus accurate describi possint in universum, ut quasi punctis mathematicis circumscripta sint, tolerari posset, sed qua ratione ita nude accepta *ejus* assertio ex moralibus fundamentis deduci queat, vix liquet, & dubito, an periculosior philosophia commendari posset, cui ipse *Grotius* plurimis in locis contra ivit, ut inprimis ex *libri secundi* doctrinis de obligationibus, quæ ex dominiis oriuntur, de damnis, de pœnis *cap. 10. 17. 20.* in progressu constabit, pluribusque aliis locis, maxime *lib. III. c. 10. & seqq.* ubi his fundamentis, quod æqualitas inter offensionem & defensionem jure naturali præcepta sit, nixus *Grotius*, pene omnia, quæ præcedentibus capitibus, cum juris gentium præcipuos effectus explicaret, largitus videri potuerat, eripuit. Stante interim hac sententia facile erit hosce similesque casus, in quibus quid in defensionem famæ, in aversionem periculi alapæ aut mali similis, in declinationem injuriarũ, quibus hæ vel illæ res nostræ impetuntur, in invasorem liceat decidere.

Quæstio II.

An si corpus privati impetatur vi præsente cum periculo vitæ non aliter vitabili, tunc bellum justum sit etiam cum interfectione periculum inferentis?

PRO NEGATIVA. §. 1. Pro negativa poterant forsan adduci sequentia argumenta:

ARG. I. I. Occidere alium absque publica autoritate non est justum.

Atqui, si corpus privati impetatur vi præsente cum periculo vitæ non aliter vitabili, isque invasorem occidat, hoc est occidere alium absque publica autoritate.

E. non est justum.

ARG. II. II. Si fornicatio non esset justa, si vel maxime faceret ad conservationem vitæ; sequitur multo minus homicidium esse licitum.

Sed prius est verum. E. & posterius.

ARG. III. III. Ex duobus malis minus est eligendum;

Jam vero si corpus tuum impetatur vi præsente cum periculo vitæ non aliter vitabili, duo mala sese offerunt: Unum minus & est mors tua temporalis; alterum majus estque perpetua damnatio invasoris. E. Vi-

E. Vita tua tibi potius deferenda, quam invafor permittatur incidere in æternam damnationem.

§. 2. Affirmativa fententia duplicem habet fenfum: 1. negantem, ut talis interfectio dicatur jufta, h. e. jure naturæ non prohibita. 2. affirmantem, ut talis interfectio dicatur jufta h. e. jure naturali præcepta. In priori fenfu extra dubitationem ponitur, quod talis interfectio fit jufta, id quod probavimus fupra *l. 1. c. 2. qu. 2. §. 2. p. 365. & c. 3. q. 2. §. 2. p. 409.* dilucido argumento. Nulla quippe circumftantia oftendi poteft, quæ in tali cafu honeftati morali repugnet. Cur enim is, cujus corpus impetitur vi præfente cum periculo vitæ non aliter vitabili, occidit invaforem? ut fe vitamque fuam confervet, quæ defenfio non nifi occifione peragi poteft. Quid facit? occidit aggreffforem hominem privatum, qui ejus corpus impetit vi præfente cum periculo vitæ non aliter vitabili. Quomodo? vi præfente vim præfentem repellit, quam aliter repellere non poterat. Quibus auxiliis? arma morali æftimatione funt paria. Quando? eo tempore, quo fruftra expectabat Magiftratum. Ubi? ibi, ubi nulla erat copia auxilii. In pofteriori fenfu affirmativa etiã valde probabilis apparet, modo repetantur, fi placet, ea, quæ jamjam cit. *quæft. p. 410. & feq.* attulimus.

PRO AFFIRMATIVA.

ARG.

RESPONDETUR AD ARGUMEMTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

RESP. AD ARG. I.

Ad I. negando propositionem majorem, utpote quæ universaliter vera non est, ceu ex argumento §. 2. pro vera sententia allato satis liquet. *Vazquez* alias respondet ad minorem negando. Vult enim hoc, quod si corpus privati impetatur vi præsente cum periculo vitæ non aliter vitabili, is invasorem occidat publica auctoritate, ut in tali casu jus naturæ ex mente *Vazquesii* defensorem faciat ministrum publicæ justitiæ: Verum quia sic non defensio, sed potius pœna locum haberet; si enim publica auctoritate privatus invasorem occideret, occideret illum, ut puniret, placet recepta sententia, quod aliquem in tali casu absq; publica auctoritate occidere non sit statim injustum, modo fiat, dum cessat judicium, sive momentanee, sive continue cesset. De quibus cessationibus supra *cap.* 3, *Lib.* 1. actum est.

RESP. AD ARG. II.

Ad II. responderi potest concedendo totum, quia nequaquam pugnat cum nostra assertione. Non enim asserebatur, quod homicidium in certo casu sit justum, sed quod in puncto necessariæ defensionis justa sit occisio invasoris. Namque homicidium, æque ac fornicatio, est per se ac ex sua natura turpe, occisio vero invasoris in tantæ necessitatis articulo minime.

Ad III. respondetur limitando majorem: Ex duobus enim malis tristibus non semper minus est eligendum, sed tum demum, si minus triste malum per se sit necessarium ad majoris mali tristis evitationem; hoc autem in præsenti casu aliter se habet. Nam si corpus tuum impetatur vi præsente cum periculo vitæ non aliter vitabili, utut duo mala se offerant, minusque malum sit mors tua temporalis, majus malum æterna invasoris damnatio, non tamen electio minoris mali ad majoris mali evitationem est necessaria. Salvus quippe fieri potest invasor sine tui occisione, modo ab hostili insultu desistat; at sine quo alter salvus fieri potest, id non est necessarium ad hoc, ne alter incurrat perpetuam damnationem. Et hoc videtur approbare *Grotius*, dum *L. 1. c. 3. §. 3. n. 3.* eleganter scribit: *Morali judicio non videtur æstimandum illud periculum, in quod ipsum se quis conjiciat, & unde se potest eximere.* Accedit, quod hæc regula moralis: *Ex duobus malis tristibus minus est eligendum,* sic forte etiam limitationem patiatur: Ex duobus malis tristibus minus eligere necessum habeo, si mihi majus immineat nec aliter evitari possit, in allato vero casu majus malum non defensori, sed invasori imminebat, charitas igitur ordinata merito sibi seipsam commendabat: jubet enim naturalis æquitas proximum amare juxta nos RESP. AD ARG. III.

ipsos, non præ nobis ipsis. Quid? quod non semper temporalis mors defensoris sit minus malum, majus vero malum mors æterna aggressoris, cum sæpe etiam is, qui impetitur, opus habeat tempore ad pœnitentiam, aut probabiliter ita existimet, & ipsi quoque aggressori ante mortem possit ad pœnitentiam spatium superesse. Imo tandem & hoc adjicere placet, quod si moderamen inculpatæ tutelæ in hoc passu justum est in sensu affirmante, hoc est, jure naturali præceptum, ceu admodum probabile nobis §. 2. apparebat, sic non solummodo triste, sed turpe malum possit censeri mors defensoris, quam ipse eligit præ invasoris occisione, ut ita turpe malum eligat præ sibi tristi: ex duobus vero malis, quorum unum mihi turpe, alterum mihi triste est, turpe malum nunquam præ tristi, etsi hoc longe majus sit, eligendum est.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasionem hujus quæstionis suppeditat *Grotius L. II. c. 1. §. 3.* Conf. *L. I. c. 3. §. 3.*

Quæstio III.

Utrum innocens, qui interpositus defensionem aut fugam, sine qua evadi mors non potest, impedit, transfodi aut obteri possit?

§. 1.

§. 1. Pro affirmativa videntur omnino facere sequentia argumenta: PRO AJENTE SENTENTIA.

I. Si apud naturam multo minor est societatis respectus, quam propriæ salutis cura, sequitur utique tale quid in talismodi casu licitum esse. ARG. I.

Prius est verum. E. & Posterius.

Consequentia probatur, quia nisi innocentem, qui interpositus defensionem aut fugam, sine qua evadi mors non poterat, impedit, transfoderes aut obtereres, propriæ salutis curam negligeres, alienamque tuæ præferres.

Minor facile liquet, naturam solam si respiciamus.

II. Si natura innocentem interpositum, qui defensionem impedit, & eum, cujus itidem innocentis defensio impeditur, fecit æquales, sequitur, quod hic erga illum nequaquam peculiariter obligetur ad hoc, ut pro isto mortem subeat, & per consequens ipsum juste transfodere aut obterere potest. ARG. II.

Prius est verum. E. & Posterius.

Consequentia probatur, quia hic erga illum nullo pacto obligabitur, ut pro eo non periculum mortis, sed ipsam quoque mortem subeat.

ARG. III. III. Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.

Atqui innocens, qui interpositus defensionem aut fugam, sine qua evadi mors non potest, impedit, si vicem ejus, cujus defensio impeditur, gereret, procul omni dubio mallet vivere quam perire. E.

Major est regula moralium officiorum.

Minor eo faciliorem impetrabit assensum, quo accuratius attenditur; quod hoc sit velut interpositi fatale malum.

ARG. IV. IV. Si in naufragio, ubi tabulam occupasti duorum non capacem, tu adnatantem a tabula potes repellere propriæ salutis causa, sequitur quod etiam interpositum, qui defensionem tuam aut fugam, sine qua evadere mortem nequis, impedit, transfodere aut obterere possis.

Prius est verum & a Moralistis admittitur facile. E. & Posterius.

ARG. V. V. Si in extremæ necessitatis casu civis innocens in manus hostis tradi potest, quamvis civitas moraliter certa sit fore, ut iste tyranni ab obsessis eum postulantis crudelitate pereat, sequitur, quod etiam in tali casu innocentis interpositi occisio sit licita.

Prius verum est. E. & Posterius.

§. 2.

§. 2. Utut vero affirmativam plurimi *Moralistarum* tueantur, eam quoque expresse defendat *Grotius* noster, non tamen, quod salvo cujuslibet meliori judicio scribimus, ea ab omni difficultate adeo libera apparet. Namque dubios nos reddit, quod in tali casu innocens ejusmodi sit in justa possessione vitæ, ut non facile liqueat, quo titulo quove jure alter, cujus defensio impeditur, cum ad plures ablegare possit, ut vitam suam servet, licet eam aliter servare non possit. Hoc igitur difficultatem movet, quomodo extreme innocenti homini ab æquali vita ex privato ausu possit eripi, si iste sit in optimæ fidei, ut sic loquamur, possessione suæ vitæ.

PRO NEGANTE VERA SENTENTIA.

§. 3. Hac difficultate non penitus sublata, semper remaneret, quod contra singula pro adversa sententia allata excipi posset, quæ ne quidem omnia, si vel maxime res in vado esset, vim probandi haberent. Et quidem

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. dici posset circa prius, quod præceptum naturalis dilectionis proximi obstet, cum jus naturæ quemvis hominem obliget ad diligendum proximum sicut se ipsum.

RESP. AD ARG. I.

Ad II. circa consequentiam majoris notari poterat ejusque probationem, quod si hoc satis causæ sit, cur innocens in dato casu transfodi aut obteri possit, sic homici-

RESP. AD ARG. II.

dium

dium in certo puncto approbari videatur, modo alter alteri speciali pacto se non adstrinxerit, quod alias juri naturæ repugnat. Huc enim redibat omnis difficultas: numne occisio innocentis sic interpositi ab omni homicidii crimine prorsus aliena sit? Cæterum naturalis obligatio utique erga proximum manet, licet natura omnes homines pares fecerit, hoc est, jus naturæ non præcipiat, nisi factum hominum intercedat, hos illosve esse in numero parentium.

RESP. AD ARG. III. Ad III. Erat, quod quemvis in talismodi innocentis loco constitutum angere poterat, numne absque turpitudinis macula justam alterius possessionem, qui nempe in optimæ fidei possessione vitæ suæ est, turbare eundemque deturbare liceat, ut vita servetur, & cur non potius omnis res DEO commendanda sit.

RESP. AD ARG. IV. Ad IV. Facillimum erat dissimilitudinem dictorum casuum monstrare. Nam licet eum a tabula repellere liceat, qui possessionem tabulæ alteri juste quæsitam adnatando turbat: contrarium tamen in præsenti quæstione obtinet, ubi innocens interpositus in viæ vitæque possessione erat.

RESP. AD ARG. V. Ad ultimum quod attinet, non erant confundendi casus politici cum moralibus. Quippe non statim æquali in æqualem licet, quod civitati in extremæ necessitatis momento in innocentem civem, cum civili societa-

cieta-

cietate ad tuendam tranquillitatem instituta, statim civitati jus quoddam majus in nos & nostra nascatur, quatenus ad finem illum necessarium est. Imo liceat civitati innocentem civem in manus hostium tradere, ut vitetur imminens alioqui civitatis excidium, quo de *c. 25.* agemus, neutiquam tamen licebit eum transfodere aut obterere.

§. 4. Occasionem hujus quæstionis præbebat *Grotius* noster §. *4. n. 1.* Et sane in tali periculo non constituto facilius est ejusmodi metaphysicam excolere, ut *Gregorii de Valentia* modo loquendi utamur. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæstio IV.

An si quis vim non jam præsentem intentet, sed conjurasse aut insidiari compertus sit, si venenum struere, si falsam accusationem, falsum testimonium, iniquum judicium moliatur, salvo naturæ jure possit interfici?

§. 1. Pro affirmativa poterant sequentia adduci argumenta: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA.

I. Invasorem vitæ salvo naturæ jure licet occidere. ARG. I.

Atqui talismodi insidiator est invasor vitæ. E.

Talis-

Talismodi insidiatorem salvo naturæ jure licet occidere.

Minor probatur, habet enim animum occidendi, & nulla est spes fore, ut amice admonitus hostilem animum exuat, imo certissimum periculum admonenti imminet.

ARG. II. II. Si nemo se defendere volens tenetur expectare, donec mucronem adversarii in corde suo sentiat, sequitur, quod talis insidiator salvo naturæ jure possit interfici.

Prius est verum. E. & Posterius.

Consequentia probatur, quia consultum non est tamdiu expectare, donec venenum imbiberis, aut falso testimonio convictus fueris.

ARG. III. III. Si defensor non satis certus est aliter evadi periculum mortis posse, sequitur omnino, quod salva naturæ lege talismodi insidiatorem occidere liceat.

Prius est verum. E. & Posterius.

Consequentia probatur, quia jure naturali unicuique licet efficere id, quod urgente alterius nequitia est medium necessarium ad propriæ vitæ conservationem.

ARG. IV. IV. Si talismodi insidiator occideretur, modo ejus insidiæ in notitiam magistratus venirent, sequitur, quod in tali casu

su eum is possit occidere salvo naturæ jure, adversus quem insidias parat.

Prius est verum. E. & Posterius.

Consequentia probatur, quia præventio quidem est physica, defensio tamen revera moralis.

Minorem confirmat *l. Lege Cornelia 1. §. præterea. 1. D. ad L. Cornel. de sicariis & veneficiis. Præterea tenetur, qui hominis necandi causa venenum confecerit, dederit: quive falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur, quive magistratus judexve quæstionis sub capitalem causam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret.*

§. 2. Verum negativa, quæ melior tutiorque sententia est, probatur sequenti argumento: PRO NEGANTE VERA SENTENTIA. ARG.

Si quis eum, qui vim non jam præsentem intentat, quemque conjurasse aut insidiari compertus est, occidere salvo naturæ jure potest, sequitur, quod salvo jure naturæ vis nondum præsens vi præsente possit repelli.

Consequens pugnat cum jure naturæ. E. & Antecedens.

Consequentis absurditas probatur, quia plerumque interposita temporis mora ad multa remedia, ad multos etiam casus patet:

tet: ut dici solet inter os & offam, seu ut Poëta canit,

> Multa cadunt inter calicem supremaque labra.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

RESP. AD ARG. I.

Ad I. negando propositionem minorem. Quando in probatione dicebatur, quod talismodi insidiator habeat animum occidendi &c. Ad hoc respondetur, ne sic quidem ei, cui insidiæ struuntur, causam nasci ultro insidiatorem invadendi, siquidem nondum adversus se animum occidendi exeruit. Voluntatem quidem efficaciæ habuit, nondum vero efficacem voluntatem.

RESP. AD ARG. II.

Ad II. itidem respondetur negando consequentiam majoris. Periculum quippe nondum præsens est & in puncto, nec certus esse potest insidiatoris occisor, quod ille nullam acturus sit pœnitentiam.

RESP. AD ARG. III.

Ad III. respondetur negando consequentiam majoris, quia nulla æqualitas est inter occisionem & incertum periculum, ob quod illa eligitur. Conf. *Dn. Ziegleri JCti* notæ doctissimæ *192. & seq.*

RESP. AD ARG. IV.

Ad IV. respondetur negando itidem consequentiam majoris. Non enim quod magistratui in convictum, statim privato licet in nondum convictum.

§. 4.

§. 4. Occaſionem Quæſtionis adfert Grotius §. 5. n. 2. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio V.

An quis periculum mutilationis membri vi, verbis ac reipſa alteri intentans ab eo occidi poſſit?

§. 1. Pro affirmativa videntur ſequentia militare argumenta: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA

I. Quodcunque damnum valde eſt grave, & vitæ quaſi æquiparabile, hoc ſi aliter vitari nequeat, ſalvo naturæ jure avertitur occiſione ejus, qui tale damnum infert. ARG. I.

Atqui damnum membri, præſertim e præcipuis valde eſt grave, & vitæ quaſi æquiparabile. E.

II. Quicunque intentat periculum, ubi vix ſciri poteſt, annon periculum mortis poſt ſe trahat, ille, ſi aliter vitari nequeat periculum, occidi recte poteſt. ARG. II.

Atqui qui alteri periculum mutilationis membri intentat, is taliſmodi periculum intentat &c. E.

III. Quicunque ſic alterum impetit, ut is quem impetit, incertus eſſe nequeat, annon ipſius mors intendatur, is recte occidi poteſt. ARG. III.

Atqui alteri periculum mutilationis membri verbis ac reapse intentans sic eum impetit, ut is, quem impetit, incertus esse nequeat, annon ipsius mors intendatur. E.

PRO NEGATIVA SENTENTIA. ARG.

§. 2. Negativa tamen tutior & probabilior apparet, ceu forsan sequens indicat argumentum:

Quodcunque periculum depelli potest servata æqualitate, hoc non recte vi inæquali depellitur.

Atqui periculum mutilationis membri semper depelli potest servata æqualitate. E.

Non recte vi inæquali depellitur.

Major videtur liquida.

Minor probatur, quia gladius vel aliud armorum genus impetenti objici potest, in quod ruere necessum habeat, nisi vim præsentem intentare destiterit.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA. ARG. I.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

Ad I. negando propositionem majorem, quia, ut antecedenti paragrapho dictum est, aliud adhuc medium suppetit, quo effici potest, ut forte intentans periculum mutilationis membri a tali ausu deterreatur absque vitæ jactura. Si per damnum membri e præcipuis intelligitur damnum principalis membri, ut: cordis, sic quæstio non habet

habet difficultatem, cum affirmativa ſit veriſſima, ac ſupra a nobis aſſerta.

Ad II. reſpondetur circa majorem, quod periculum præſens requiratur & quaſi in puncto ad moderamen inculpatæ tutelæ. RESP. AD ARG. II.

Ad III. idem, quod ad II. reſponſum eſto. RESP. AD ARG. III.

§. 4. Occaſio extat §. 6. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio VI.

An pro pudicitia liceat invaſorem occidere?

§. 1. Affirmativa probatur ſequentibus argumentis: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA

I. Quodcunque bonum non tantum communis æſtimatio, ſed & lex divina vitæ adæquat, pro eo quin idem liceat, quod pro vita, controverſiam vix habet. ARG. I.

Atqui pudicitia eſt tale bonum, quod non tantum communis æſtimatio, ſed & lex divina vitæ adæquat. E.

II. Idem auctoritates & exempla probant. *Paulus* JCtus dixit, *pudorem tali facinore recte defendi.* Exemplum habetur in tribuno Marii a milite occiſo apud *Ciceronem*, & *Quintilianum*: ſed & a fœminis occiſorum in hiſtoriis exſtant. Chariclea apud Heliodorum talem ARG. II.

interfectionem vocat justam defensionem ad arcendam injuriam in castitem.

PRO NEGATIVA SENTENTIA ARG.

§. 2. Pro negativa lubet adducere sequens argumentum:

Quodcunque bonum nemini invito potest eripi, pro eo vitam alteri eripere jure naturæ nequaquam licet.

Atqui pudicitia nemini invito potest eripi. E.

Minor probatur, quia pudicitia est bonum morale: Omnia vero bona moralia ita comparata sunt, ut nemini invito possint eripi, quia essentialiter pendent a voluntate possessoris, eaque natura illorum est, quæ a voluntate pendent, ut contra ejus voluntatem, unde pendent, mutari aut tolli nequeant: Unde si vel maxime fœmina opprimatur violentumque patiatur stuprum, modo castus maneat ejus animus pudicitia salva manet.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta contraria respondetur:

RESP. AD ARG. I.

Ad I. negando consequentiam majoris. Longe dispar ratio est, quandoquidem vita homini invito eripi potest, pudicitia minime, uti quidem moralis æstimationis est.

RESP. AD ARG. II.

Ad II. respondetur: quod ab uno aut altero peccatum est, id in normam agendi non est allegandum. Auctoritatem *JCti* quod attinet, recte pudor tali facinore defendi

fenditur, hoc est, impune, ut & externum civilis juris effectum habeat: Interim hoc assertum nostræ sententiæ ne quicquam præjudicat, qui de justitia naturali egimus, non item externa justitia.

§. 4. Occasionem reperire est §. 7. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæstio VII.

An pro fama salvo jure naturæ quispiam in certo casu occidi queat?

§. 1. Pro affirmativa rursus videtur pugnare communis hominum æstimatio, quibus vita & fama pari passu ambulant, juxta illud: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA.

Omnia si perdas, famam servare memento,
qua semel amissa postea nullus eris.

§. 2. Verum quicquid sit de communi sententia, nulla certe apparet ratio, ob quam pro fama occidere diffamantem liceat. Nam licet non incommode ac suo modo defensio famæ sit moderamen inculpatæ tutelæ ac juris naturalis, tamen sicuti gradus injuriarum sunt, ita gradus defensionum esse oportet, adeoque prorsus inæqualia sunt injusta læsio famæ & mors injuste lædentis famam. Nec unquam sane PRO NEGATIVA SENTENTIA.

deest occasio aliter sese defendendi adversus aggressorem famæ, unde interfectio non est modus aptus ad tuendam famam.

Responsetur ad argumentum contrarium.

§. 3. Ad rationem pro contraria sententia allatam bene notandum, quod fama dupliciter possit spectari: 1. intrinsece ac fundamentaliter, hoc est ex parte ejus, qui suam famam defendere studet. 2. extrinsece ac formaliter. Priori modo si consideretur, primario ac simpliciter sic dictæ famæ fundamentum est vera virtus, & si ita sumatur, fatemur omnino potius vitam derelinquendam esse, quàm famam, cum non sint facienda turpia, ut tristia mala evitentur: Enimvero fama sic accepta semper est in ejus, cujus fama est, potestate: Interim si vel maxime ea vitæ præferatur, nihil tamen nostræ decisioni obest: nam vita occisione aggressoris juste defenditur, quando aliter servari nequiverat: fama vero aliter semper servari potest, cum nemini invito virtus eripi possit. Quod si vero fama formaliter & extrinsece spectetur, sic est opinio alterius de tua virtute. Et licet verissimum sit, quod magnam & sat atrocem injuriam tibi facere possit, qui opinionem, quam de tua virtute viri prudentes ac optimi habent, evertere & ex eorum animis te quasi delere studet, semper tamen, uti diximus, alius modus tuendi famam suppetit, quorsum pertinet retor-

retorsio injuriarum, ut vocant, de cujus moralitate occasione *capitis 17.* in *hoc libro* agetur.

§. 4. Occasionem docebat *Grotius* noster §. *10.* inprimis *n. 2. & 3.*

OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæstio VIII.

An salvo jure naturæ fur possit pœna suspendii affici?

§. 1. Negativam sequentibus argumentis svaderi videas:

PRO NEGATIVA SENTENTIA

ARG. I.

I. Quicunque moraliter non merentur pœnam mortis, illi salvo jure naturæ nequeunt pœna suspendii affici.

Atqui fures qua tales non moraliter merentur pœnam mortis. E.

Fures qua tales salvo naturæ jure nequeunt pœna suspendii affici.

Major ex moralibus principiis notissima est, quia pœna, ut moraliter justa sit, (pœna vero non est pœna, in quantum non est justa) semper prærequirit reatum, hoc est, sui morale meritum, quo de ex professo agetur *capite 20. bujus libri.*

Minor probatur, quia ad meritum semper requiritur proportio seu æqualitas. Inde talis prosyllogismus nascitur:

 Ubi

Ubi moralis æstimatio nullam proportionem invenit, ibi non admittit morale meritum.

Atqui inter rem, quam fur abstulit, & inter vitam, quæ furi adimitur, moralis æstimatio nullam proportionem invenit. E.

Major ex terminis moralibus liquere cuivis debet.

Minor prosyllogismi ad oculum patet: qualis enim proportio esse potest inter rem æstimabilem, quam quis suffuratus est, & inter rem inæstimabilem, qualis est vita, imo qui vitam eripit, gladio punitur eique non semper invideri sepultura solet: ast qui patibulo suspenditur, & longe graviori supplicio ac cruciatibus afficitur, & in ignominiosissimo publicoque conspectu tamdiu relinquitur.

Arg. II. II. Quodcunque delictum lex per Mosen data non punit morte, nec etiam iis delictis, quæ lex per Mosen data morte punivit, par est recta æstimatione, ob hoc delinquens mortis pœna salvo naturæ jure affici nequit.

Atqui furtum est tale delictum &c. E.

Fur salvo naturæ jure pœna mortis affici nequit.

Pro affirmativa sententia

§. 2. Verum affirmativa sententia probari potest sequenti argumento:

Ubi

Ubi locum habere potest moralis æqualitas inter malum passionis & malum actionis, ibi justa pœna locum invenit. Arg.

Atqui inter furtum & pœnam suspendii locum habere potest moralis æqualitas. E.

Major patet ex definitione pœnæ, quippe quæ proprio ac generali significatu est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis. Ubi vocula *ob* notat meritum, meritum vero arguit æqualitatem, quam natura imperat, in hoc consistentem, ut malum passionis, hoc est malum pœnæ æquale sit malo actionis, hoc est, malo culpæ, ipseq; autor hujus dignus morali æstimatione existat, qui isto afficiatur.

Minor probatur, quia quando æstimare recte ac moraliter volumus proportionem inter pœnam mortis & furtum, ex parte furis omnino respiciendus venit & rectissime æstimandus, ut in omnibus aliis facinoribus, animus: jam vero hodie in nostris imprimis regionibus animus multorum tanta furandi libidine repletus est, ut ne quidem durissimarum & gravissimarum pœnarum metu deterreri queant. Unde nec id mirum, cur his pœna mortis prædeterminari inque eos postea constitui possit, qui nullam aliam imo vix hanc pro supplicio habent. Idem volunt, quotquot ajunt: *Crescentibus delictis pœnas crescere.* Quidni

igitur pœna furti cresceret, quando libido furandi furandique occasio in summum excrevere? Pœna medicina esse debet; Quando igitur leniora nullam morbo medicinam faciunt, in fortiori, imo tandem fortissima dosi medicus ea adhibet. Respublica quippe consideranda instar corporis mystici venit, cujus putrida ac putida membra sunt quoque fures. Itaque

- - - - immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

Respondetur ad Argumenta contraria.

§. 3. Ad Argumenta pro negativa allata responderi potest, & quidem

Resp. ad Arg. I.

Ad I. respondetur circa minorem propositionem prænotando, quod nimis ambigue dicatur: fures qua tales non merentur pœnam mortis: aut enim per fures qua tales simpliciter fures quilibet intelliguntur, & sic totum argumentum concedi poterat, quod simpliciter & absolute loquendo fures salvo naturæ jure nequeant pœna suspendii affici. Aut per fures qua tales indicantur hi, in quibus libido furandi incorrigibilis est & tanta, ut ne quidem capitali suppliciorum metu coërceri queat, & sic negamus minorem propositionem, hoc est, negamus, quod sub talibus circumstantiis fur nequeat moraliter mereri pœnam mortis. Contrarium namque ex §. 2. constare potuit. Ad prosyllogismum quod attinet, is, uti nimi-

nimium lubricus est, ita sano sensu totus concedi poterat. Si enim sic concludatur: Ergo inter rem, quam fur abstulit, & inter vitam, quæ furi adimitur, moralis æstimatio non admittit moralem æqualitatem, ut res ablata sit genuinũ fundamentũ, ex quo morale meritũ pœnæ capitalis, imprimis suspendii, dijudicari ac æstimari queat, quidni hæc conclusio concedi posset. Solet alias communiter responderi ad hoc argumentum distinguendo inter considerationem delictorum absolutam & respectivam. Sæpe fieri dicitur, ut nulla appareat proportio inter supplicium & delictum absolute pensitatum, quæ tamen evidenter elucet, si delicti specialis ratio ac imprimis reipublicæ turbatio consideretur, quo respectu etiam in crimine furti summa pœnæ cum ipso delicto concurrere proportio creditur, si scilicet non ad rem ablatam, sed quod omnino faciendum, ad ipsius delicti qualitatem respiciatur, quæ in eo consistit, qui & quomodo respublica & salus communis per furtum læsa reparetur, cum tamen certo certius sit per furta non minus societatem humanam violari, & reipublicæ tranquillitatem turbari, quam per homicidia & adulteria. Melioris perspicuitatis gratia lubet notare, quod neutiquam confundi debeant: actus justitiæ reparativæ & actus justitiæ punitivæ. Si de reparatione damni

furto

furto dati ageretur, sic omnino æqualitas moraliter æstimanda esset ex proportione inter rem, quam fur abstulit, & inter rem, quæ furi adimitur, imo sic moraliter injustum esset furi adimere vitam, quia furto abstulerat pecuniam aut alias res, quas nummus metitur. Enimvero de actu justitiæ reparativæ, qui respicit obligationem ex re, jam non est quæstio, sed de actu justitiæ punitivæ, qui obligationem ex delicto arguit. Unde nulla apparet consequentia, si quis ita argumentetur: si inter rem furto ablatam, & vitam furi eripiendam nulla proportio est, sequitur, quod furi salvo naturæ jure vita eripi nequeat in pœnam furti. Ecquis enim non videt actum justitiæ reparativæ cum actu justitiæ punitivæ confundi? Non ergo ad moralem justitiam pœnæ capitalis furti opus erat justa inter rem ablatam remque eripiendam proportione.

RESP. AD ARG. II. Ad II. quod attinet, negamus majorem ejusque probationem, quantum scilicet attinet ad prius membrum, quod sic se habebat: Quodcunque delictum lex per Mosen data non punit morte, ob hoc delinquens mortis pœna salvo naturæ jure affici nequit. Nam leges per Mosen datæ, quæ de furti aliorumque delictorum pœnis disponunt, erant positivæ & populo Judaico solum latæ. Equidem negari nequit, quod lex forensis a DEO Israelitis lata per Mo-

sen, habeat aliquid intra se morale, dum nempe jubet præcise furtum puniri, determinatio tamen pœnæ non est juris naturalis, sed positivi, possunt igitur pro varietate rerumpublicarum leges de furtorum pœnis variare; maxime si faciem nostræ reipublicæ intuearis, eamque cum statu reipublicæ Judaicæ compares. Inter Israelitas enim nemo permittebatur esse pauper, sed ex Dei constitutione alebatur a consangvineis, & anni jubilæi tempore omnia pignori data recipiebantur, unde tanta pericula Israelitarum civitati, quanta nostris, imminere nequaquam poterant. Quod tamen posterius membrum attinet ita se habens: Quodcunque delictum delictis, quæ lex per Mosen data morte punivit, par non est recta æstimatione, ob hoc delinquens mortis pœna salvo naturæ jure affici nequit. Sic minor merito in dubium vocatur: Nam ipse Deus æstimavit furta in agris commissa longe majori pœna digna, quam quæ committebantur in habitaculis, forte hanc imprimis ob causam, quod in agris major occasio peccandi esset. Ita enim egregie noster *Grotius cap. 20. §. 34. & 35. Intra concessum modum ad minimum ducit charitas ejus, qui punitur, nisi plurium justior charitas aliud svadeat ob causam extrinsecam, quæ interdum est ingens periculum ab eo qui deliquit,* *ple-*

plerumque autem necessitas exempli; ea autem nasci solet ex generalibus invitamentis ad peccandum, quæ reprimi nisi acribus remediis nequeunt. Invitamenta autem præcipua sunt, consuetudo & facilitas. Ob facilitatem lex divina Hebræis data gravius punivit furtum de pascuo, quam de domo Exod. XXII. 1. & 9. Justinus de Scythis: Nullum scelus apud eos furto gravius, quippe sine tecto munimentoque pecora & armenta habentibus quid salvum esset si furari liceret? Simile illud in Aristotelis problematis sect. 29. Legis auctor cum sciret illis in locis dominos res suas custodire non posse, custodem legem addidit. Atque ea sunt animadvertenda peccata maxime, quæ difficillime præcaventur. Cicero pro Sexto Roscio Amerino. Si ergo Deus ipse eo acrius furtum puniri jussit, quo major libido esset & furandi occasio, quidni furta, quæ grassari immodice cœperunt, plus bene, quam severe excidenda essent? Quod si tantum denuo legibus severitatis addendum est, quantum flagitia creverunt, maxima severitate furta in nostris civitatibus jure animadvertuntur.

Occasio Quæstionis. §. 4. Occasionem præbuit *Grotius* noster §. *11.*

Quæ-

Quæstio IX.

An lex de non resistendo obliget subditum in gravissimo & certissimo periculo, seu num moderamen inculpatæ tutelæ adversus summum imperantem in certo casu locum habeat?

§. 1. Pro negativa, quod scilicet lex de non resistendo subditum in gravissimo & certissimo periculo non obliget, sequentia proferri solent argumenta: PRO NEGATIVA SENTENTIA

I. Omnis privatus invasor vitæ salvo naturæ jure, si nempe periculum vitæ non aliter sit vitabile & injustissima sit invasio, potest interfici, eumque lex naturæ de non resistendo non obligat. ARG. I.

Atqui qui subditum suum extreme innocentem in gravissimum & certissimum discrimen plane injustissimo ausu conjicit, is est privatus invasor vitæ. E.

Major est manifesta.

Minor probatur, quia princeps qui ita innocentem insultat, desinit princeps esse ipso facto.

II. Quicunque subditorum gratia imperat, is unum eorum invadens eumque extreme ARG. II.

treme innocentem in certiſſimum & graviſſimum diſcrimen injuſto auſu conjiciens occidi ſalvo naturæ jure poteſt.

Atqui omnis imperans ſubditorum gratia imperat. E.

ARG. III. III. Quocunque non amplius indigeo, eum, ſi mihi innocenti injuſte vitam eripere auſit nec alia defenſionis copia mihi ſuppetat, poſſum occidere.

Atqui ſubditus eo, a quo in certiſſimum diſcrimen adducitur, ut tamen ſit extreme innocens, non amplius indiget. E.

PRO AFFIRMATIVA VERA SENTENTIA.

§. 2. Affirmativa interim probatur ſequenti argumento:

ARG.

Quodcunque fieri nequit niſi cum maxima reipublicæ perturbatione aut exitio plurimorum innocentium, hoc a ſubdito ſalvo naturæ jure fieri nequit.

Atqui occiſio ſummi imperantis fieri nequit a ſubdito in certiſſimum ac graviſſimum diſcrimen redacto, niſi cum maxima reipublicæ perturbatione aut exitio plurimorum innnocentium. E. & per conſequens Lex de non reſiſtendo ſubditum in graviſſimo ac certiſſimo diſcrimine obligat.

Major probatur ex loco cauſæ finalis: neceſſitas quippe finis facit jus in moralibus.

Poteſt

Poteſt igitur civitas illud ſalvo naturæ jure prohibere, quod fieri nequit, niſi cum maxima Reipubl. perturbatione. Licet enim naturaliter omnes ad arcendam a ſe injuriam alias jus habeant reſiſtendi, civili tamen ſocietate ad tranquillitatem inſtituta, ſtatim civitati jus quoddam majus in nos & noſtra naſcitur, quatenus ad finem illum id neceſſarium eſt. Nam ſi id non poſſet, non jam civitas erit, ſed diſſociata multitudo, ubi ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενὸς, confuſa turba nemo ubi audit neminem. Imo quin omne illud voluerit prohibere, dubitandum non eſt. Nam ſi quisque, dum coitur in unam civitatem, interrogetur, an velit omnibus hoc onus impoſitum, ut mori præoptet, quam id agere, quod cum maxima civitatis perturbatione aut exitio plurimorum innocentium conjunctum ſit, non eſt dubiũ, quin velle ſe ſit reſponſurus. Minor eſt probatu facilis: Nam ſi promiſcuum illud reſiſtendi jus maneret, maxime vero ſi in certiſſimo ac graviſſimo diſcrimine ſubdito liceret imperantem occidere, ſic non eſſet majori parti parcendum in perſona regis, quod nequit non conjunctum eſſe cum maxima reipublicæ perturbatione. Qui rectori maledicit, in civitatem eſt injurius: quod ſi voce lædendus non eſt, manu certe multo minus. Unde & pœnitentiæ tactum Davidem legimus, quod veſtem ejus violaſſet, tantam in-

telligebat personæ istius esse sanctitudinem. Nec immerito. Nam cum summum imperium non possit non multorum odiis patere, securitas fungentis peculiariter est munienda, ut nec fas nec licitum sit principis corpori manus inferri. Talis ergo casus si subdito accidat, optimum erit ac tutissimum, Deo totius rei eventum commendare.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrariam sententiam allata respondetur. Et quidem

RESP. AD ARG. I.

Ad I. negando propositionem minorem. Quod probationem attinet, vix quicquam potuit dici aut minus vere, aut magis periculose, quam quod ejus loco dicebatur. Nam sicut dominia, ita & imperia non amittuntur delinquendo, nisi lex id statuat: quæ autem de imperiis statueret lex, ut delicto in privatum amitterentur, nusquam reperta est, nec repertum iri credo: summam enim rerum confusionem induceret.

RESP. AD ARG. II.

Ad II. respondetur 1. negando propositionem majorem: non enim res deficit, cujus utilitas aliqua in parte deficit. 2. minor quoque non est universaliter vera. Repetantur ea, quæ *L. 1. c. 3. quæst. 8. respons. ad II. p 442. & seq.* notavimus.

RESP. AD ARG. III.

In III. argumento non minus falsa quam periculosa assertio est majoris propositionis, imo pestilentissima & falsissima. Hos fructus aliosq; innumeros æque ac magis pestilentio-

tiores illorum opinio edit, qui moralē mensuram actionum nostrarum proprium commodum ponunt, quam ob causam falsa & a sanioribus Philosophis rejecta est & adhuc rejicitur opinio existimantium amicitiam ex sola indigentia natam, cum sponte & natura nostra ad eam feramur. Ut tuo unius bono multorum admodum bonum præferas, naturalis charitas monet sæpe, imperat interdum. Itaque non est mirum, Principes Regesque, & quicunque alio nomine sunt tutores status publici, amari ultra privatas etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, sequitur, ut is quoque charior sit, in quem se respublica convertit, quia sibi gratius arbitratur excidia patriæ depulisse, quam propria pericula. Callistratus & Rutilius, hic Athenis, ille Romæ, reddi sibi penates suos noluerunt clade communi: quia satius erat duos unico malo affici, quam omnes publico. Sui igitur causa utut subditus rempublicam salvam esse velit, non tamen debet tantum sui, sed & aliorum. Cautionem igitur teneat, etiam in certissimo ac gravissimo discrimine personæ principis parcendum, est Princeps ἄσυλος, inviolabilis, est sacrosanctus, est Dei cuncta ospitantis effigies.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occaſionem ampliſſimam exhibebat noſter *Grotius* §. 9. *hujus capitis*, ut & *L. 1. c. 4. §. 2. 4. & ſeqq.* inque primis §. 7.

Quæſtio X.

An naturaliter juſta ſit defenſio etiam eorum, qui bellum promeriti ſunt?

PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA ARG. §. 1. Affirmativam quidam probant ſequenti argumento:

Si pauci contenti ſunt tantundem reponere vindictæ, quantum acceperunt injuriæ, ſequitur, quod juſta ſit defenſio etiam eorum, qui bellum promeriti ſunt.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

PRO SENTENTIA NEGATIVA ARG. §. 2. Verum negativa probatur ſequenti argumento:

Bellum injuſtum gerere prohibet jus naturæ. Defendere eos, qui bellum promeriti ſunt, eſt bellum injuſtum gerere. E.

RESP. AD ARGUMENTUM CONTRARIUM. §. 3. Ad argumentum pro contraria ſententia reſpondetur negando majorem. Nam metus ille rei incertæ jus ad vim dare non poteſt: unde nec reus criminis jus habet publicis miniſtris capere ſe volentibus per vim reſiſtendi, ob metum, ne plus æquo puniatur.

Exc

Excipitur: Si is, qui bellum promeritus est, obtulit ei, quem læsit, satisfactionem viri boni arbitratu, alter vero justissimas ac pacificas conditiones accipere prorsus detrectavit, sequitur, quod justa sit defensio ejus, qui conditiones pacis obtulerat sat æquas justissimasque. *Exceptio.*

Respondetur: sic defensio non amplius ejus est, qui bellum promeretur, sed dum demum pia ac justa sunt ejus arma, ceu egregiis Ezechiæ, Pontii, Thebanorum exemplis *Grotius noster* declarat. *Resp. ad Exceptionem.*

§. 4. Occasio habetur §. *ult.* OCCASIO QUÆSTIONIS.

CAPUT II.

De VARIIS RERUM DISTINCTIONIBUS, COMMUNIONE RERUM ET PROPRIETATE, LICITISQUE ALIENORUM JURIUM CONTRA DOMINI VOLUNTATEM USIBUS.

DE RERUM DISTINCTIONIBUS.

§. 1.

RES, ut hoc loco sumitur, contradistinguitur personæ & actioni, notatque simul quod commune aut proprium homini esse potest. *Res quid hic significet?*

NOTÆ.

I. Notio *rei* multas habet significationes: Sumitur (α) prout idem notat, quod ens, inde fit, ut sæpe *ens* & *res* pro synonymis venditentur. (β) Uti latius patet quam ens: ita e. gr. in æquivocorum delineatione, mentio fit cum nominis, quando dicuntur ea, quorum nomen commune est, tum *rei* nomine æquivoco significatæ, quia definitio eorum juxta illud nomen diversa esse dicitur, cum tamen sæpenumero res nominibus æquivocis significatæ sint non-entia, ut: cœcitas, quando oculis & menti tribuitur. Sed de his pluribusque significationibus, ut quando res & rei modus, res & affectio rei, res & notio rei ab invicem discernuntur, consulantur *Metaphysici*. (γ) Etiam hæc notio in *Jure* variat, hoc tamen loco sumitur in oppositione ad actiones & personas, ceu adhibetur quoque ab *Imperatore, dum §. omne autem 12. Instit. de Jure nat. gent. & civ.* ait: *Omne jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.*

II. Studio additur: *notatq; simul id, quod commune aut proprium homini esse potest.* Nam dantur etiam res extra hominem, in quarum possessione ac usu, seu immutando, seu instituendo, seu definiendo, nihil penitus humana voluntas potest efficere: Tales

les sunt res physicæ inprimis, quæ supra hominem existunt, ut sunt: cœlum, sol, luna & reliqua astra, quæ nequaquam sunt in nostra potestate ac voluntate, cum per humanas vires, aliter interdum ut fiant, facere nullo modo possimus, sed necessario semper, ut egerunt, agere pergunt, atque sic eundem usum, quem semel in genere hominibus præbent v. gr. sol illuminando, cœlum tegendo, luna vices temporum mutando, eodem modo assidue, donec præteribunt, per naturalem suum cursum præbere satagunt, nec penes homines situm est, sic vel aliter earum usum seu possessionem mutare ac determinare. Hæ igitur res, quia extra hominum potestatem sunt, excludi communiter a communione & proprietate solent.

§. 2. Res sunt vel *corporales* vel incorporales: *Corporales* dicuntur, quæ sua natura tangi possunt: e. gr. fundus, vestis, eqvus, merx, aurum, argentum, aliæque res innumerabiles. Incorporales vocantur, quæ tangi nequeunt, seu quæ in jure consistunt, ut: servitus, hæreditas, obligatio quove modo contracta; vel in facto, ut: possessio.

Rerum divisio.

Res corporales quid?

Res incorporales quid?

[*Grotius c. II. §. 1.*]

NOTÆ.

I. Conf. §. *quædam præterea res* 1. *D. de divisione rerum*.

II. Quando *servitutis* exempli loco mentio fiebat: per eam non servitus, qua homo hominis servus est, sed quæ est jus seu qualitas moralis aut conditio rei intelligitur. Consulatur *Dn. Strauchius JCtus Dissert. Justinian. VII. §. 3. p. m. 96.*

III. Nec obstat, quod in *hæreditate* res corporales continentur: nam (ut verbis *Justiniani* utamur) *& fructus, qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt: & id, quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerumque corporale est: veluti fundus, homo, pecunia. Nam ipsum jus successionis & ipsum jus utendi fruendi, & ipsum jus obligationis incorporale est. Eodem numero sunt & jura prædiorum urbanorum & rusticorum, quæ etiam servitutes vocantur.* §. jam cit. *D. de D. R.*

Rerum corporalium divisio.

§. 3. Res corporales sunt 1. vel animatæ, ut: eqvus, cerasus; vel inanimatæ, ut: pecunia, mensa.

NOTÆ.

I. Per *res animatas* intelligimus bestias feras, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cœlo & terra nascuntur, si inprimis in naturali sua libertate sumuntur, item arbores, plantas, herbas, flores, fructus

& reliqua omnia, quæ animam seu vegetativam seu sensitivam habent.

II. Sub inanimatis rebus Doctores alias res quasvis comprehendere solent, quarum aliæ καθ' ἐξοχὴν vocantur *communes*, ut: *aer, aqua profluens*, id est, aqua fluminis, *mare, & per hoc*, id est, quatenus mare terminant, *litora maris §. & quidem naturali 1. Instit. de Rerum divisione*; aliæ *publicæ*, ut: *flumina, portus, ripæ §. flumina 2.* & *§. riparum 4. Instit. eod. tit.* aliæ *universitatis* aut collegii, ut: *in civitatibus theatra, stadia*, balnea, hospitia *§. universitatis 6. Inst.* eod. *tit.* aliæ, quæ dicuntur *nullius*, vel ita, ut nec alicujus fieri possint, sive id fiat natura, sive hominis facto: ut *res divini juris sacræ*, quæ rite Deo consecratæ sunt, ut: *templa & donaria, quæ rite ad ministerium Dei dedicata sunt, etiam area, dirutis ædibus, sacra adhuc manet §. sacræ res 8. Inst. de rerum divisione*; *religiosæ*, ut *sepulcra*; *sanctæ*, ut: *muri & portæ civitatis*; vel ita, ut actu nullius sint, aptitudine in bonis, ut: lapilli in litore, thesauri, aliæ res inanimatæ pro derelicto.

§. 4. Res corporales sunt 2. vel mobiles, ut: jumentum, merx in taberna; vel immobiles, ut: sylva, ager, domus, fundus. *Alia rerum corporalium divisio.*

NOTA.

Mobiles ſunt vel per ſe tales, quæ moventes dicuntur: ut: eqvus, bos; vel ab alio, ut: utenſilia varia, libri & cæteræ res, quæ ab uno loco in alium transferri poſſunt. Ita Nomadibus, Scythis aliisque populis *ἁμαξοβίοις* olim placuit pro domibus currus circumferre.

Alia rerum diviſio.

§. 5. Res (cum corporales, tum incorporales) aut communes ſunt, aut propriæ.

DE RERUM COMMUNIONE.

Commune quot modis dicatur?

§. 6. Commune potiſſimum dupliciter dicitur: 1. quod proprium eſt pluribus pro indiviſo, uſum tamen ſingulis communem præbet. 2. quod proprietatis omnino neſcium omnium promiſcuo uſui proſtat.

NOTÆ.

I. Communiter ſcriptores eo tendunt, quod primæva communio talis fuerit, quæ proprio ſimpliciter opponatur, non vero tale quid, quale nunc uſurpatur, quando commune dicimus illud, cujus proprietas inter plures conſortio quodam aut conſenſu collata eſt, excluſis aliis. Vid. *Grotius de Mari Libero c. 5.*

II. Res communes, quæ poſteriori modo tales dicebantur, *Grotius* noſter vocat *res a proprietate vacuas.*

§. 7. Communes appellantur res a communione, quæ etiam voce communitatis ſolet exprimi. Dicitur etiam nonnunquam participatio. Græcis κοινωνία. *Communionis ſignificatio.*

§. 8. Et vero varias apud autores inveniamus communionis diſtinctiones: 1. communio alia eſt talis rei qualitas, qua res pluribus pro indiviſo propria uſum ſingulis communem præbet: alia eſt talis rei qualitas, qua res omnium promiſcuo uſui proſtat, ita ut proprietatis plane ſit expers. *Communionis rerum diſtinctio.*

NOTÆ.

I. Repetantur ea, quæ peculiari nota ad §. 6. diximus.

II. Communionem in communi definire vix poteris, cum communium πρὸς ἕν numerum inſigniter compleat. Videas inter *Moraliſtas*, qui communionem in communi ſic definiunt: *Communio eſt facultas æqualis inter homines in ſocietate ſimul vivētes ac cooperantes ex voluntatis libero arbitrio utendi fruendi* (voce utendi fruendi non in ſtrictiori illa ac uſitatiori, qua ſolummodo uſus fructus rei denotatur ſeparatus a proprietate, ſicut apud *JCtos* conſvevit accipi, eſtque jus alienis rebus utendi & ſervitus perſonalis, proprie-

prietate rei penes alium existente, sed in latiori significatione, quæ importat possessionem simul & usurpationem, κτῆσιν καὶ χρῆσιν, segregatam a proprietate cujuslibet unius ante & post usum) *personis quibusdam humanis rebusq; iisdem variis extra se, non tamen extra suam potestatem ad communicationem idoneis ob utilitatem ac jucunditatem præcipue ab humano jure proveniens.* Interim quisque videt, hanc non esse communionis in communi quocunque modo sumtæ definitionem. Hac quoque definitione utentes communionem adhuc latius sumunt, atque a nobis in præsenti sumitur, uti nempe alia est communio personarum, alia communio rerum, cum nobis in præsenti capite de communione rerum, ut communioni personarum contradistinguitur, saltim sermo sit.

Alia communionis rerum distinctio.

§. 9. Communio rerum alia dicitur æqualis, item illimitata ac absoluta: alia inæqualis, item limitata ac restricta. Illa est, quæ in cujuslibet propria voluntate terminatur, ita ut cuivis homini in societate hac contento, quando libet, liceat, positis ponendis sine ullo alterius cujuspiam consensu vel præscitu facultatem hanc in actum traducere, ac communia bona in usum

pro-

proprium transferre. Hæc eſt, quæ non directe propriæ alicujus voluntati ac lubidini reſpondet, ſed potius ſubjacet alienæ vel aliis, juxta quam aut quos bonorum communio inſtituitur.

NOTÆ.

I. Communio prioris modi ſæpe per excellentiam communio dicitur.

II. Communio poſterioris modi duobus modis obtingere poteſt, prout nempe volũtas propria dupliciter alienæ ſubjici poteſt: 1. ita, ut penes unum aliquem alterum, qui in ſocietate pro capite habetur, aut penes uno plures, pauciores tamen, qui ſocietatis habentur primarii, ſtet poteſtas rerũ, communionem inter cæteros prorſus pro arbitrio ſuo ordinandi, cujus ſeu quorum quidem voluntati liberoque decreto quilibet alius particeps dein, in communibus appropriandis bonis ſolet & debet acquieſcere. 2. hac ratione, ut perſonarum ſingularum ſocietatem conſtituentium voluntate bona ita fiant communia, ut quicquid major pars ſeu tota ſocietas decreverit cuivis inter ſe tribuere, ratum habeatur ab omnibus ac tribuatur, ſicque nec plus nec minus bonorum communium ulli ſocietatis membro liceat ſumere, quam ex potiorum vel plurimorum decreto concedebatur.

III.

III. In posteriori posterioris modi communione physice quidem tot sunt omnium voluntates, quot sunt personæ consentientes, iis tamen in societatem conjunctis una voluntas tribuitur, quæque ab illis qua talibus proficiscitur actio non multorum, sed unius judicatur, etiamsi complures personæ physicæ ad eam concurrant.

IV. Huc pertinet, quod sæpe unus ex societate rem aliquam communem, quæ in multas portiones dividi nequit, primario possideat, cæterorum sociorum consensu, qui rem diligenti ejusdem custodiæ commissam voluerunt, vel si res communis in partes dividi potest, datur vel paucis, vel pluribus, vel etiam singulis aliqua ejus portio possidenda, donec ab aliquo societatis membro in usum quicquam illius expetitur. Quo spectat, si quis unus communem societatis fiscum, alter claves ad aperiendam cistam, in qua absconditus ille, sibi concredita habent.

Alia communionis rerum distinctio.

§. 10. Communio rei iterum alia est ex toto, alia ex parte: Illa est, qua res in totum communis est: Hæc, qua res ex parte communis est.

NOTA.

Moralistæ namque sufficere putant ad rei communionem, si vel minima ejus pars con-

concedatur aliis in communem usum seu possessionem, & si cæteroquin maximam partem maneat propria.

§. 11. Insuper distinguitur inter communionem rerum consumtibilium & communionem rerum inconsumtibilium. *Alia.*

§. 12. Ita communio datur rei quoad omnem usum, & quoad certum usum. *Alia.*

NOTA.

Quarundam rerum natura fert, ut quoad certos usus communes manere possint, etsi quoad alios usus propriæ sint: e. gr. aer communis manet quoad respirationem, licet quoad aucupium proprius sit.

§. 12. Pariter distinguitur communio rerum in communionem rei similaris & communionem rei dissimilaris. *Alia.*

NOTÆ.

I. Similares res possunt dici illæ, quæ inter plures ita communicari possunt, ut quilibet talis totius similaris portionem aliquam, quæ specie sit eadem, suum in usum capere, modo velit vel liceat, possit.

II. In dissimilarium rerum communicatione proportio observari potest, vel, si earundem dissimilarium rerum una plures

sunt

ſunt communicandæ, diverſarum partium mutatio inſtitui, ut qui forte hac uſus eſt parte, poſtea illa utatur &c.

Alia. §. 13. Nec infrequens diſtinctio eſt inter communionem ejusdem rei ac diverſarum rerum.

NOTÆ.

I. Nam etiam communio rerum dici poſſet, ſi hic hujus, alius illius, ille iſtius, iſte alius, alter alterius & ſic conſequenter ſinguli ſingularum rerum eſſent participes, ut tamen omnes in omnium eſſent communione.

II. Plures diſtinctiones communionis rerum, ſicuti fere innumeræ ſunt, lubens meritoque præterimus. Ita nunc eadem numero res & eodem tempore communis eſt, nunc diverſo tempore, numero tamen eadem res. Aliquando numero eſt diverſa, ſed ſpecie eadem res: nunc ſpecie diverſa eadem tamen genere. Itaque non mireris, cur una eademque res diverſis modis & ſæpe pluribus ſimul communis & propria dici poſſit.

III. Diſtingui quoque ſolet inter communionem licitam ac illicitam, cujus diſtinctionis notiones quisque aſſequitur facile.

DE PROPRIETATE RERUM. §. 14. Communioni rerum proprietas rerum contradiſtinguitur. A JCtis voca-

vocatur dominium, Græcis nomine τȣ̃ ἴδιον venit. Ita definitio proprietatis ab Aristotele ὅρος τȣ̃ ἰδίου vocatur.

Proprietatis rerum significatio.

§ 15. Proprietas est talis rei qualitas, qua res ita alicujus est, ut alterius non sit eodem modo.

Proprietatis definitio.

NOTA.

Exhibet hanc definitionem noster *Grotius* in dissertatione *de Mari Libero* statim *ab initio cap. 5.*

§. 16. Proprietas est vel *rei corporalis* vel rei incorporalis.

Proprietatis distinctio.

[*Grotius* §. 1.]

NOTA.

Quia aliquid alicujus dici potest non mõdo secundum substantiam seu corpus ipsum, verum etiam secundum alias atque alias rationes, quibus de re disponimus, & ut communi verbo utamur, pro diverso respectu, hinc proprietas alia est corporis, alia juris in corpore. Illud constituit dominium. Est enim proprietas formalis ratio dominii. Hæc vero juris proprietas, siquidem res incorporalis seu jus aptum natum est in patrimonio esse, itidem dominium parit. Nihil enim aliud est dominium, quam affectio rei (in sua latitudine acceptæ, ut & incorporalem comprehendat) civilis, per quam res patrimonialis propria est: sin res ista

incorporalis aptitudine patrimonialis non est, proprietas ejus non ad dominium quidem proficit, facit tamen ad excludendos alios ab usu ejusdem generis: quale jus v. gr. patria ac dominica potestas, tutela, imperium, jurisdictio, quæ ita unius propria, ut nemini præterea in eodem subjecto & secundum idem competant, in patrimonio tamen non computantur, etsi de patrimonio & imperio secus sit moribus nostris. Hæc omnia accurate & eleganter expressit Dominus *Strauchius, J.Ctus, Dissertatione de Imperio maris, cap. 2. §. 1.*

Alia distinctio proprietatis.

§. 17. Imprimis notabilis est distinctio proprietatis, ut dicit actum primum, &, ut actum secundum notat. Illo modo spectata notat potestatem occupandi & possidendi: hoc modo importat actualem possessionem. Ita exempli gratia si quis instituit me hæredem, recta & immediate dominium hæreditatis mihi defertur, sine apprehensione, statim a morte testatoris, sicque competit mihi dominium ut notat actum primum, simul atque accedit possessio, simul adest dominium, ut actum secundum importat.

NOTÆ.

I. Commendat hanc distinctionem *Grotius* noster *L. I. c. 3. §. ult.*

II. Poterat hæc distinctio facile accommodari etiam communioni rerum: Inde fit, ut a Moralistis distingvatur inter communionem & communicationem.

III. Aliud est proprietas, ut dicit actum primum, aliud est proprietas in actu primo: Proprietas enim, ut actus primus est, homini competere adhuc potest, licet non amplius sit proprietas in actu primo. Sicut enim exempli gratia actus primus nempe ars architectonica architecto competit, utut architectus sit in actu secundo, hoc est reipsa ædificet, cum ædificatio semper præsupponat potentiam ædificandi: ita qui actu rem possidet, habet dominium rei in actu secundo, adeoque non est dominus rei in actu primo, sed in actu secundo, adest tamen actus primus, hoc est potestas possidendi, per quam in possessionem rei venerat.

§. 18. Proprietas alia est plena, alia minus plena. JCti inter dominium plenum & minus pleno distingvunt. *Alia proprietatis distinctio.*

NOTA.

De hac distinctione sequenti *cap. 6. hujus libri pluribus agetur.*

Alia. §. 19. Proprietas alia est vulgaris, alia eminens.

NOTA.

De hac distinctione egimus *L. I. c. 1. §. 15. p. 55.* & mox plura peculiari quæstione tradenius.

DE LICITIS USIBUS ALIENÆ REI CONTRA VOLUNTATEM DOMINI.

Usus rei alienæ licitus quotuplex?

§. 20. Usus alienæ rei licitus in duplici casu potest obtingere: *1. in casu necessitatis, e. gr. in navigatione, si quando defecerint cibaria, quod quisque habet in commune conferri debet: sic & defendendi mei causa vicini ædificium orto incendio dissipare possum: & funes aut retia discindere, in quæ navis mea impulsa est, si aliter explicari nequeat. 2. in casu innoxiæ utilitatis: Ita Seneca beneficium negat dici posse ignis accendendi potestatem. Nam neque alimenta nobis fas est perdere, ubi ipsi plus satis habemus; neque fontem, postquam inde quantum libet, potaverimus, obturare aut occultare; neque signa navigationis aut itineris abolere, quæ nobis usui fuerint.*

[Grotius §. 6. n. 11.]

Casus necessitatis quid? §. 21. Ut talismodi casus necessitatis detur, requiritur 1. ut necessitas non sit imaginaria. 2. ne pari necessitate

ipse

ipse possessor teneatur. 3. ut animus restituendi adsit.

[*Grotius* §. 7. 8. & 9.]

NOTÆ.

I. Requirebatur, ut necessitas non sit imaginaria: *Omni igitur modo primum tentandum, an alia ratione necessitas evadi possit, puta adeundo magistratum, aut etiam tentando, an rei usus a domino possit precibus obtineri.*

II. Non concedebatur casus necessitatis, si pari necessitate ipse possessor teneatur. Nam *in pari causa possidentis melior est conditio.*

III. Sunt quidam, qui aliter censent hoc argumento, quod qui jure suo usus est, ad restitutionem non obligetur. Sed *verius est jus hic non fuisse plenum, sed restrictum, cum onere restituendi, ubi necessitas cessaret. Tale enim jus sufficit ad servandam naturalem æquitatem contra rigorem domini.*

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

Quodnam fuerit proprietatis, quod dominium JCti vocant, exordium?

§. 1.

Pro sententia Grotii.

GRotius noster cum veteribus JCtis tale statuit dominii exordium: Deus humano generi generaliter contulerat jus in res hujus inferioris naturæ a mundo condito, atque iterum mundo post diluvium reparato: Hinc factum est, (si quod *Grotius* vult, factum est) ut statim quisque hominum ad suos usus arripere potuisset quod vellet, & quæ consumi poterant, consumere, ut ita talis universalis usus fuerit ante dominii ortum quasi dominium seu vice dominii, ut quemadmodum hodie invito domino rem auferre illicitum est, ita tum temporis, quod quisque sic arripuerit, id ei eripere alter nisi per injuriam non potuerit. Ne autem quispiam diu hoc dominium perdurare haud potuisse arguat, pro diuturnitate hujus quasi dominii *Grotius* judicat nunquam non facturas fuisse: magnam (si Diis placet) hominum simplicitatem atque mutuam eximiam charitatem, quod autem reapse non perstiterit primæva rerum, quam *Grotius* noster obtinuisse asserit, communio, sed mortales successu temporis ab ea discesserint, id tum demum factum esse concludit, quando a simplicitate & mutuo amore homines defecerant. Ejusdem fere tenoris verba sunt, quæ ex *epistola* quadam *decretali* sub Clementis nomine conficta transcribit *Gratianus* 12. *quæst.*

quæst. i. *Communis vita, fratres, omnibus necessaria est, & maxime his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari volunt. Communis enim usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius illud, & sic inter mortales facta est divisio. Denique Græcorum quidam sapientissimus, hæc ita sciens esse, ait: Communia debere esse amicorum omnia, in omnibus sine dubio sunt & Conjuges, & sicut non potest, inquit, dividi aër, neque splendor solis, ita nec reliqua, quæ communiter in hoc mundo omnibus data sunt ad habendum, dividi debere, sed habenda esse communia.* Hæc spurius ille *Clemens.* Ex nostri igitur *Grotii* mente primo omnium res in dominium ita iverunt, ut id contigerit pacto quodam humano, dum nempe simul atque communio displicuerat, vel instituerunt primi mortales divisionem, vel censeri debet, ubi non instituta est divisio, nec tamen communio remansit, ibi inter omnes convenisse, ut quod quisque occupasset, id proprium haberet, atque adeo res, quotquot venerunt in dominium, vel expresso pacto, ut per divisionem, vel pacto tacito, ut per occupationem, in dominium iverint. Potissimæ rationes nostri *Grotii*, quibus deducit primævam eamque omnimodam rerum commu-

munionem, quodque in ſtatu innocentiæ omnino obtinuerit, in formam ſyllogiſticam redactæ huc redeunt:

ARG. I. I. In quocunque ſtatu dabatur magna ſimplicitas, in illo non fuit proprietas rerum.

Atqui in primævo mundi ſtatu, quem Theologi ſtatum integritatis vocant, item in primo rerum poſt diluvium ſtatu, erat magna ſimplicitas. E. ibi nulla fuit proprietas rerum.

ARG. II. II. In quocunque ſtatu eximia erat mutua charitas, in illo non erat proprietas rerum.

Atqui in primævo mundi ſtatu &c. E.

ARG. III. III. Ipſe Sacer Codex aſſerit, Deum humano generi generaliter contuliſſe jus in res hujus inferioris naturæ, ſtatim a mundo condito, atque iterum mundo poſt diluvium reparato. *Gen. I. 29. 30. IX. 2.*

ARG. IV. IV. Eandem ſententiam, quod ſcilicet principio rerum communia fuerint omnia, privata nulla natura, *Poëtarum*, veterum *Hiſtoricorum*, *Philoſophorum* ac *JCtorum* res judicatæ confirmant. Collegit hujus primævæ communionis aſſertorum ſententias noſter *Grotius* magno ſtudio in diſſertatione ſua

de

de Mari Libero operi *de Jure Belli & Pacis* annexa *capite 5.*

His ſequentia adjungi videbantur.

V. Si nulla in rigore & proprie ſic dicta proprietas unquam datur absque certo modo acquirendi, ſequitur, quod nullus homo tamdiu rem ſibi unice propriam habere potuerit, quamdiu ipſam illam rem nondum occupaviſſet, ſed quod toti humano generi ante factam occupationem omnes omnino res fuerint communes. ARG. V.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia videtur ſatis manifeſta, quia alius modus præter occupationem dari non poterit, niſi dicere quis vellet ac ſtatuere, ſimul atq; toti humano generi communio diſplicuerat, inſtitutam eſſe diviſionem.

Prius videtur adeo manifeſtum, ut nulla probatione amplius egeat, ſed per inductionem ſatis conſtet.

VI. Si in primi hominis lumbis totum genus hominum fuit, ſequitur, quod quando jure divinæ donationis primo homini proprietas rerum fuit conceſſa, ſimul quoque ea toti humano generi conceſſa fuerit, & per conſequens, ſtante proprietate a DEO primo homini ARG. VI.

concessa, adhuc tamen ante occupationem ac divisionem omnes res humano generi communes fuerint.

Prius est verum. E. & Posterius.

PRO CONTRARIA SENTENTIA

§. 2. Contraria sententia est, quod dominium rerum statim a mundo condito, atque mox iterum post diluvium, fuerit. Et ut huic sententiæ, utpote quæ *Grotii* sententiæ contraria est, gravitas ac splendor concilietur, proponemus eam magni itidem Viri, *Domini Strauchii*, JCti, verbis: Scilicet per donationem divinam statim sub orbis infantiam Adæ tota universitas rerum cessit, ita ut ipse in solidum eam haberet propriam. Quæ proprietas in eo fuit, ut non solum a rebus a se possessis excluderet alios, sed & nemo alius, si quis fuisset, jus occupandi res nondum possessas universas & possidendi haberet; in tantum, ut liberi quoque Adami plane fuerint exclusi dominio rerum illarum, quamdiu familia patris continerentur, nisi si qua assignatione aliquid proprii, & ut Romano more appellemus, peculia eis permisit, & demum post emancipationem mortemve ejus divisis inter se rebus fratres ei successerunt. Divinæ enim traditionis formula nemini jus dedit, nisi uni hominum pari. Neque enim tum extabant liberi Adami. Oportet igitur duorum alterum statui, aut proprieta-

tem

tem rerum soli Adæ ac Evæ datam, a quibus titulum possidendi acciperent ejus liberi, aut in persona Adami universitatem rerum toti humano generi fuisse datam, quod rejiciendum est. Idem divisio orbis inter Noachidas mundo a diluvio reparato facta probat *lib. gener. cap. 10.* Cujus Noachum ipsum autorem fuisse eamque testamento suo firmatam, quod moribundus Semo filio exequendum mandavit, *Eusebius ex Epiphanio in Anchorato & hær. 66.* locuples testis cum *Cedreno* est. Præcipuæ rationes, quibus hæc sententia illustratur, simulq; contraria de omnimoda omnium rerum primæva communione stringitur, sub formis syllogisticis tales apparent:

I. Si principio rerum communia fuissent omnia, privata nulla natura, sicnudam utendi facultatem primus hominum sine proprietate accepisset, adeoque non potuisset a posteritate rerum creatarum proprietas sine injustitiæ specie, & usurpatione ejus, cujus usu Creator mortales interdixerat, atque adeo πλεονεξία usurpari. ARG. I.

Consequens est absurdum. E. & Antecedens.

Consequentia patet, quia indubitatum hoc est, quale quantumque juris cunque primus mortalium in res creatas habuit, à Creatore eum omne id accepisse.

II. Re-

ARG. II. II. Repugnat διαῤῥήδην divinæ traditionis formulæ ejuſcemodi communio, cum primæ illius poſt res creatas, *Geneſ. I.* tum alterius reparato poſt diluvium orbe *Geneſ. IX. Replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini univerſis animantibus:* Et: *omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt: Terror veſter & timor ſit ſuper cuncta animalia.* Qua formula quin longe potentius quam nudi uſus jus, vel mera facultas re utendi ſignificetur, vis ipſa verborum fateri cogit.

ARG. III. III. Si res nonnullæ ſunt, fatente ipſomet *Grotio*, quarum uſus per naturam ſuam non eſt niſi in abuſu, isque non aliter conſiſtit, quam per applicationem corporalem, per quam alii omnes a facultate habendi excluduntur, adeo ut quod quisque eorum arripuiſſet, id eripi ei ſine injuria non potuerit, ſequitur, quod ſub orbis cunabulis non obtinuerit communio, quæ proprietatem omnimodis excluderet.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia probatur, quia manifeſtam contradictionem implicat, negare omnem proprietatem, & nihilominus eam ſtatuere. Negatur ea, dum primæva communio ſtatuitur, quæ proprietatem omnimode excludat:

dat: Afferitur ea, dum orta per applicationem corporalem creditur.

Prius liquet ex *capite 2. §. 2. n. 1.* ut & ex *differtatione de Mari Libero cap. 5.* Et nonne Abeli illico fua pecora & pafcua? Caino agri & fata fua: fed & locus Nod, ubi urbem Hanochiam fibi condidit, haud dubie vero & aliæ tum urbes conditæ, qualis profanis fcriptoribus Joppe memoratur, *Plinio, Melæ, Solino,* ante diluvium condita, & de Caino affirmat *Jofephus I. ἀρχ. 3.* terminos agris ipfum pofuiffe.

IV. Num & hoc argumentum puncta Ariftarchum ferat, rem alieni caftigatiq; judicii effe volumus:

Si nulla proprietas rerum, cum ftatim ab orbe condito, tum eo poft diluvium reparato, locum habuit, fed communio tunc obtinuit, quæ proprietatem plane excluderet, fequitur, quod fruftra quædam leges naturales fuerint. **Arg. IV.**

Confequens eft abfurdum. E. & Antecedens.

Confequentia probatur, quia lex naturalis eft ea, quæ fimul feptimum decalogi præceptum eft, atque furta prohibet; fed quomodo moralis neceffitas omittendi furtum absque fpeciali Dei revelatione cognofci, quomodo furtum prohiberi potuiffet illis & illibi, ubi & apud quos proprietas merum

Eubu-

Eubulidis somnium. Qui voluit hominem condere, & posito quod proprie dictum hominem voluerit condere, non potuit aliter condere, quam rationalem, hoc est talem, qui ratione recte & perfecte utens non posset non ex ipsa objecti natura cognoscere, quod furtum absoluta necessitate turpe sit, is, hoc stante, videtur eum non aliter condidisse, quam ut per se rerum proprietatem agnosceret. *Qui enim dixit*, non furaberis, *eadem opera dixit:* sit rerum proprietas & distinctio, teneat quisque suum; alienum non concupiscat, *quod in decalogo altera vice inculcatur. Miro utique modo sapere eum dixerim, qui animo concipere furtum, aut explicare possit, sine præcepta dominiorum distinctione. Furtum enim, nisi proprietate constituta, vel cogitare, ab omni ratione alienum est. Id quod ultro agnoscit catalogus legum naturæ a Melanchthone propositus. Bœclerus in præfat. ad Grotianum opus p.m. 9.* Consentit Alpha JCtorum *Bartol. in l. ex hoc jure. de J. & J. n. 4. per l. 1. D. de furt.* Et *Baldus* JCtus accuratissimus ac Φιλοσοφώτατος *ad eandem legem n. 31.* ibi: *Omnia communia, id est, communicanda tempore necessitatis.* Idem de ultimis duobus decalogi præceptis, quæ itidem leges naturales sunt, dixeris, in quibus (stante eo, quod de septimo Decalogi præcepto dicebatur) nullum dubium est, quin itidem genuina

nuina ſententiæ de proprietatis rerum exordio fundamenta contineantur.

V. Niſi intra *Grotianæ Philoſophiæ* terminos contineremur, *Ariſtotelis Philoſophia* his, quæ hic diſſeruntur, inſignem ſatque magnam lucem afferre poſſet, utpote qui *prioribus Politicorum libris, II. III. & IV.* maxime vero *II. c. 5.* (ad quod *Piccarti commentationes* conferri merentur) & *6.* omnimodam rerum communionem ex numero ἀδυνάτων eſſe ſat accurate &, ſi quicquam aliud, nervoſe ſatis demonſtravit, dum nempe contra *Platonem* præceptorem ſuũ diſſeruit: (Cui num injuriam fecerit de que ſuo hoc affinxerit, ut haberet monſtrum Platonicum, quod ſuperaret, ceu poſt alios *Kippingius in auctariis variisque notis ad Epitomen Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Pappianam p. m. 149.* defendere ſuſtinet, de hoc in præſenti diſpicere nil refert.) Numne igitur Philoſopho qua tali de rerum proprietate ne quicquam conſtare poterit? vel ſola *Politicorum Ariſtotelis* inſpectio contrarium docere potuiſſet, ubi ipſe, omnium rerum bonorumque communionem cum fine ſocietatis civilis pugnare, vel eum ſaltem impedire, judicioſe deductum reliquit, ex quibus Arg. V.

faci

facile liquere potuisset, quod illa minime Philosophum fugerint. Sed de his plura sequenti *cap. 6.*

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata quid responderi in veritatis clarissimam speciem possit, paucis lubet exponere.

RESP. AD ARG. I.

Ad I. respondetur negando minorem. Ut enim nihil nunc dicamus, immane quantum hæc sententia *Orthodoxæ Theologiæ* adversetur, dum statuitur, quod primi homines in simplicitate eximia vixerint virtutisque cognitione caruerint,

campestres veluti Scythæ,
quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
& sicut rigidi Getæ,
immetata quibus jugera liberas
fruges & Cererem ferunt.

Sicut multi Americæ populi, qui in eo errore per secula multa perstitere: Pestilentissimus namque error est ita statuere, cum satis constet e *Sacro Codice* ac *Theologorum scriptis*, primos homines conditos fuisse in magna sapientia magnaque prudentia, quarum particulas saltem post lapsum vel maxima adhibita cura mortalibus acquirere datum est: Post lapsum vero homines ponere simplices & sine prudentia, item viventes ex sponte nascentibus sine cura seu directione rerum secundum rectam rationem ad usum, est ex hominibus bestias facere, quibus tamen

men natura dominium propter defectum rationis denegavit. Nam bestiarum status ita comparatus est, ut invicem nullo, quo homines hominibus, vinculo juris sibi sint connexæ, sed ex innato bonoque quorundam desiderio velut propter rapinam, escam, aut commodiorem locum, quibus una alteram præ se gaudere cernit, sæpius vim quamcunque mutuo sibi, ut possunt, inferant. Annon autem hominibus, ut ratione rebus præsint, dirigantque easdem ad suum usum, dedit. Itaque merito mireris, cur *Grotius* Americanorum aliorumq; barbarorum hominum exempla pro confirmando hocce argumento, cujus solutionem hic quærimus, adducere voluerit, quo ipso facile alios in hanc opinionem conjicere potuisset, quasi tantus vir ex barbarie jus naturæ æstimaverit. Ex prudentia, quæ quatenus talis cum virtute conjuncta est, perfectio hominis & per consequens jus naturale æstimari debet. Uti corpus sine oculo ubivis offendit: ita homo in actionibus occupatus sine prudentia. Est enim simplicitas cœcitas quædam mentis. Dn. *à Felden JCtus in notis ad Grotium p. m. 93. & 94.* Adeo stupidi judicii & impeditæ mentis creduntur Indi & Americani quidam populi, ut id propter haud ita pridem Hispani, nunquam lacessiti injuria, illos sibi vel hoc solo prætextu juste subjicere potuisse confisi

ſint, cujus juſtitiæ examen aliis ſuſcipiendum relinquimus.

RESP. AD ARG. II. Ad II. reſpondetur in dubium vocando majorem propoſitionem. Quaſi vero charitas obſtaret, quo minus locum proprietas rerum inveniat ad virtutis exercitium requiſita quam maxime. Annon exercere virtutem poteſt dominus donando alteri de rerum ſuarum abundantia, quantum voluerit? *Deus ipſe* hoc *per naturam loquitur, cum ea cuncta, quibus vita indiget, omnibus locis ſuppeditari a natura non vult: artibus etiam alias gentes gentibus dat excellere. Quo iſta? niſi quod voluit mutua egeſtate & copia humanas foveri amicitias, ne ſinguli ſe putantes ſibi ipſis ſufficere, hoc ipſo redderentur inſociabiles? Factum ergo eſt, ut unus alterius suppleret inopiam divinæ juſtitiæ inſtituto.* Hæc elegantiſſime *Grotius cap. I. Mar. Lib.* Nec ſatis cauſæ apparet, cur adeo provocet *Grotius* ad conſvetudinem & exemplum primitivæ Eccleſiæ, quam *autor Actorum II. 44. & 45.* ita delineat: *Omnes, qui credebant, erant conjuncti & habebant omnia communia poſſeſſionesque & ſubſtantias vendebant ac dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Et *c. IV. 34. 35. neque quisquam egens erat inter illos, quotquot enim poſſeſſores agrorum aut ædium erant, vendentes afferebant pretium eorum, quæ vendita fuerant, & ponebant ad pedes Apoſto-*

Apostolorum. Erat igitur præternaturalis, ut ita vocemus, Christianorum, qui Hierosolymis primi extabant, status. Christianus populus tunc premebatur, hincque evenerat, ut præter consvetudinem necessitati huic succurrendo bona fierent communia: Et quod præcipuum, illa communio non erat universalis seu omnimoda rerum communio, de qua jam agitur, sed huic solummodo societati propria, & sic cum proprietate rerum conjuncta. Imo notabile est, institutum illud, licet bona intentione, nec impia opinione susceptum, quia non habebat verbum Dei & mandatum, non usque adeo feliciter cessisse. Illis enim, quæ in commune collata fuerant cito consumtis, magna & periculosa egestate pressa est Ecclesia Hierosolymitana, ita ut Paulo & aliis Apostolis valde multum exhiberetur negotii in colligendis eleemosynis in Ecclesiis aliis pro sustentatione pauperum Hierosolymis, & hoc exemplo admoniti, postea nec instituerunt, nec consuluerunt talem communionem inter gentes, imo ne in Judæa quidem. Quid, quod inter ipsos Judæos nec in urbe Hierosolyma generale aut perpetuum tale institutum fuerit, ceu incomparabilis Theologus *Martinus Chemnitius Part. 2. LL. Theol. L. de paupertate c. 3. de communione rerum in responsione ad IV. Ana-*

baptistarum argumentum hæc omnia explanavit uberrime *p. m. 147.*

RESP. AD ARG. III. Ad III. respondetur: *Optimus & certissimus interpres illius privilegii est ipse Deus. Ille autem distinctionem dominiorum sua voce sancivit & approbat, idque non tantum in lege Mosis, sed statim in principio. Cain & Abel habent proprias quasi possessiones, & post diluvium terra distributa est non humano arbitrio, sed sicut Moses inquit Deut. XXIII. 8. quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, nec semel tantum tunc ita distribuit terram, sed Act. XVII. 26. Paulus dicit, Deum adhuc definire statuta tempora, & ὁροθεσίας habitationis hominum. Ita igitur datum est privilegium subjicite, dominamini &c. quod Deus ipse manum aperit & distribuit cuique prout vult. Neque ex iniquitate ortum, quod alius plus, alius minus possidet, unus abundat, alter eget. Scriptura enim dicit Prov. XXII. 2. divites & pauperes effici a Deo, hoc est, talem inaequalem distributionem esse a Deo, quod alii plus, alii minus possideant, alii abundent, alii egeant. Si enim quisque satis haberet, non curaret alteram.* Hæc laudatus Martinus Chemnitius, Theologus de universa Christi Ecclesia meritissimus.

RESP. AD ARG. IV. Ad IV. Negari nequit, quod hæc communis veterum *Poëtarum, Historicorum*

JCto-

JCtorum, imo & *Philosophorum* constans ac frequens fuerit opinio. Et quidem *gentiles Philosophos* quod attinet: *Platonici* aliam, aliam *Epicuræi* viam quæsivisse feruntur: Illi communionẽ cum statu tranquillo & pacifico atque adeo communi socialitate omnium adversus omnes: hi cum bestiali quasi statu & perpetuo omnium in omnes bello conjunctum censuisse perhibentur. Quod si ita est (in cujus veritatem in *libro* nostro *de Jurisprudentia Morali* occasio inquirendi sat ampla dabitur) facile esset conjicere, quorumnam *Grotius*, & quorumnam vestigia *Hobbes* presserit, ille præsenti loco & *dissertatione de Mari libero*, hic in suis *Elementis Moralibus*, & altero, cui titulus est *Leviathan*. Sed quicquid sit, hæc, quæ *Philosophi, Historici & Poëtæ* de primo statu rerum communium & postea secuta rerum distributione dixerunt, ex depravato *sacrarum literarum* sensu dubio procul originem traxerunt, & exinde æque ac ex aliis multis κακοζηλία Gentilium oppido elucescit. Quippe Diaboli fraudibus effectum est, ut statum innocentiæ primorum hominum lapsumque secutum nimium quantum extenuarent, ad quam extenuationem annon apprime faciat commentum de aureo, nescio cujus, Saturni seculo ac stupenda primorum mortalium simplicitate, vi cujus in primis hominibus ignoratio magis vitio-

rum, quam cognitio virtutis fuerit, judicent alii.

Resp. ad Arg. V. Ad V. respondetur negando consequentiam majoris ejusque probationem. Omnino alius datur modus, nempe titulus divinæ donationis, ut ita proprietas rerum, a Deo homini data, non occupatione ac divisione demum orta sit, quasi per has dominium primi homines acepti fuissent. Secuta divisionem occupatio hoc præstitit, ut jure proprietatis divinitus acquisito possessionem mortales per illam adipiscerentur.

Resp. ad. Arg. VI. Ad VI. respondetur: 1. Equidem sunt, qui primævam communionem, quam jactant scriptores, intelligunt talem, ut nunc est, nempe qua proprietas inter plures ut universos, non ut singulos, pro indiviso quodam consortio aut consensu collata est, exclusis aliis non solum extra societatem existentibus, sed & singulis de communitate, usu vero singulis intra societatem permisso, ut scilicet omnia communia inprimis negative fuerint, quatenus natura ipsa nulli privato alicujus rei dominium applicuerit: Quatenus vero dominium fuerit penes totum hominum communitatem, ita fuerint communia, ut tamen natura permisisset fieri occupantis. Sed ad hæc respondet celebratissimus JCtus, Dominus *Struchius*, sequentibus: *Quamnam nobis fingunt*

fingunt hominum communitatem, Adamo solo existente, familiæ suæ capite? Dicat quis, donatam eam Adæ, non ut homini singulo, sed ut totam ex se nascituram posteritatem repræsentanti. Atqui nec ulla verisimilitudinis ratio dari potest, cur Adæ non ut Adæ seu individuo, sed ut speciei vel humani generis ideæ totus terrarum orbis cesserit. Ipsa traditionis divinæ formula consignate ad par unicum hominum restringitur. Add. Eccles. XVII. ibi: Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram. Repugnat etiam id naturæ proprii, si enim penes communitatem ut universam dominium fuisse ponas, non potuit natura permittere, ut rei jam occupatæ pars aliqua fieret denuo privatim occupantis. Occupatio enim per naturam rei occupandæ non nisi rei vacuæ datur. Et si quod occupatum est, sine injuria occupanti non potest eripi, utique nihil ex universitate rerum, humano generi data, a singulis potuit sibi, privative ad universitatem applicari, cum natura rerum ita communium sit, quod partes habeant, non pro diviso, sed pro indiviso, ita ut nec atomus sit, in qua non sit communio pro indiviso l. 94. §. 1. de solut. quæ si ab singulorum aliquo sibi applicaretur, per injuriam communitati eriperetur. Itaque si communio nulla fuisset, frustra esset, quod quomodo discessum ab ea fuerit, docere conatus fuit Grotius. Nempe communi consensu a com-

munione discessum fuisse, propriũ sibi quolibet sumente, vel per divisionem sibi accipiente; & vero præterea facti est & nondum probata: nec præsumi potest talis divisio in tanta rerum inæqualitate, diversissimarum regionum, terrarum rerumque aliarum qualitate & æstimatione, denique hominum avaritia, cupiditate & injustitia, ut fingere quidem liceat, contingere non potuerit. Nec ulla ratio est, cur aliter fuisse fingatur. 2. Quid? si suo modo concedatur hæc sequela: Si in primi hominis lumbis totum humanum genus fuit, sequitur, quod quando jure divinæ donationis primo homini proprietas rerum fuit concessa, simul quoq; ea toti humani generi concessa fuerit. At quando amplius infertur: Et per consequens stante proprietate a Deo primo homini concessa, adhuc tamen ante occupationem ac divisionem omnes res humano generi communes fuerunt. Dicimus hic desiderari rationem connexionis. Nam sicut immediate humanum genus non extitit, sed solus Adamus, ita etiam immediate res iverunt in proprietatem solius Adami, ut tamen in tantum jure divinæ donationis ad humanum genus pertigisse censeantur, in quantum Adamo cesserunt una cum jure transferendi in posteros vel donatione, vel veluti peculii assignatione, vel quacunque cessione. Nec est, quod dicatur, quod post mor-

mortem demum, liberi Adami rerum proprietatem acquisiverint: id enim repugnat sacris literis, quæ proprietatem liberis Adami vivo adhuc humani generis parente tribuunt.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Prolixam occasionem hujus quæstionis videsis integro §. 2. Lubuit vero magnorum virorum, *Grotii* & *Strauchii*, sententias, utpote multum ab invicem dissidentes, prolixius adducere, ut eo facilior utramque dignoscendi occasio detur. Summa utriusque discrepantiæ præcipue huc redit: *Grotius* vult statim ab orbe condito, item mox post diluvium reparato mundo, fuisse omnimodam rerum communionem, hoc est, omnia fuisse communia, privata, (ut *Ciceronis 1. Offic.* verbo utamur) natura nulla: *Strauchius* statim sub orbis incunabulis, item mox post diluvium, proprietatem rerum obtinuisse sustinet. Ille exordium proprietatis habet pro hominis: Hic pro Dei invento. Ille in statu innocentiæ proprietatem rerum locum habituram fuisse negat: Hic revera habuisse affirmat. Ille divisionem & occupationem facit primæ rerum proprietatis antecedentia: Hic consequentia.

Quæstio II.

Num mare ſumtum ſub ra ione integri aut ſumtum ſub : atione partium in proprium jus abire poſſit?

§. I.

PRO NEGATIVA SENTENTIA

NEgativam *Grotius* noſter probare nititur duabus rationibus, quarum unam moralem, alteram phyſicam vocat, quæq; in formam ſyllogiſticam redactæ ita ſe habent:

ARG. I. I. Cujuscunque rei tanta eſt magnitudo, ut ad uſum quemlibet omnibus populis poſſit ſufficere, circa illam cauſa, ob quam a communione diſceſſum ſit, ceſſat.

Atqui tanta eſt maris magnitudo, ut ad quemvis uſum omnibus populis ſufficere poſſit, imo ſufficiat E.

Circa mare ceſſat cauſa proprietatis.

Minor probatur, quia mare omnibus populis ſufficit ad aquam hauriendam, ad piſcatum, ad navigationem: hi vero ſunt notabiles uſus maris.

ARG. II. II. Quæcunque res non eſt terminata, illa nequit abire in proprietatem.

Atqui mare non eſt res terminata E.

Mare nequit abire in proprietatem.

Minor

Minor probatur, quia mare eſt par terræ aut terra majus, unde nequit contineri terra, adeoque nullos plane habet terminos.

§. 2. Priusquam veram ſententiam, Grotianæ vero contrariam, probemus, in anteceſſum notamus, a *Grotio* rectiſſime diſtingvi inter mare ſumtum ſub ratione integri aut ſub ratione præcipuarum partium, & inter mare ſumtum ſub ratione partium non præcipuarum. Nam per partem non præcipuam maris *Grotius* intelligit eam, quæ terræ adhæret; contra per præcipuam, quæ a terra avulſa eſt, ita ut ibi nihil niſi aqua & cœlum conſpiciatur. Itaque quæſtio non eſt de eo: an mare ſub ratione non præcipuarum partium poſſit in proprietatem venire? Hujus quippe quæſtionis affirmativa extra omnem dubitationem ponitur, eidem quoque noſter *Grotius capite ſequenti 3. §. 10.* expreſſe ſubſcribit. Inde quoque partes non præcipuas maris eleganter terræ acceſſiones vocat præſentis *2. cap. §. 14.* Sed quæſtio huc redit: An mare, ubi ſcilicet nihil præter cœlum & aquam conſpicitur, poſſit in proprietatem abire? Probaturq; affirmativa ſequenti argumento: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA

Si nulla dari poteſt ratio, ob quam a cæteris rebus homini a creatore mancipio datis mare eximi debeat vel poſſit, ſequitur, quod mare omnino poſſit ARG.

ſit abire in proprietatem, ſeu, quod proprietatis capax ſit.

Prius eſt verum tamdiu, donec ratio detur E. & poſterius,

Conſequentia non eget probatione.

RESP. AD ARGUMENTA CONTRARIA

§ 3. Ad Grotianas rationes quod attinet in contrarium allatas, iis forſan non ſibi, ſed aliis perſvadere voluit, mare non eſſe dominii capax, & fortaſſis hoc credentes non adeo peccamus, ab ipſo *Grotio* noſtro moniti, ne omnia ſtatim probemus, quæ a quamvis præclaræ famæ auctoribus dicantur, cum ſæpe tempori, ſæpe affectibus ſerviant, & aptent τῷ πέτρῳ ςάθμην *L. I. c. 3. §. 5. n. 6.* in quorum numero Vir præclariſſimæ famæ num in ſuorum civium gratiam eſſe voluerit, hi quippe cum Anglis diſputabant de piſcationis jure in mari, aliorum judicio lubenter ſubmittimus. Interim ad eas rationes reſpondetur, & quidem,

RESP. AD ARG. I.

Ad I. primo dici poteſt ſano ſenſu totum argumentum concedi poſſe, cum directe non pugnet cum aſſertione §. præcedenti allata. Non enim quæſtio erat de eo: num cauſa detur, ob quam a communione maris diſceſſum ſit? ſed, num mare poſſit in proprium jus abire, ſeu, quod idem eſt, num mare ſit dominii capax? Secundo notat ipſe *Grotius* noſter *L. I. c. 3. §. 8.* in alia

tamen

tamen politica materia, quod ſæpe ex voluntate jus metiendum ſit. Itaque licet nulla alia cauſa dari poſſet, ob quam diſcedi potuiſſet a communione maris, pro cauſa tamen ac pro ratione ſtare poſſet voluntas. Tertio præviderat *noſter* majoris univerſalitatem facili inſtantia ab aëre petita infringi poſſe: nam hujus quoque tanta eſt magnitudo, ut ad quemvis uſum omnibus populis ſufficiat, ad reſpirationem, ad aucupium, unde ut eam inſtantiam declinaret, *idem*, ait, *dicendum eſſet de aëre*, quaſi dixiſſet, majorem propoſitionem totumque argumentum de aëre etiam poſſemus concedere, *ſi quis ejus uſus eſſe poſſet, ad quem terræ uſus non eſſet neceſſarius, ut eſt ad aucupia, unde illa legem accipiunt ab eo, qui in terra imperium habet.* Quid vero dixeris pro *Grotio*, ſi ab ipſa terra petamus inſtantiam: nam & hujus tanta eſt magnitudo, ut ad quemvis uſum omnibus populis ſufficiat, ad habitationem, ad venationem, ad ambulationem. Quarto invertenda potius erat major: Cujuſcunque rei tanta eſt magnitudo, ut ad quemvis uſum omnibus populis poſſit ſufficere, illa poteſt abire in proprietatem. Hæc enim potius communionis mutandæ, quam retinendæ ratio eſt. Sicut enim ſi res diviſa nulli ſociorum ſuffectura eſſet, inde rationem communionis retinendæ petere poſſes: ita quid impediet,

diet, propriam fieri eam rem, quæ inexhaustæ & omnibus sufficientis est abundantiæ, ut licet per partes occupetur, semper supersit tantum, quantum aliorum usibus satis sit.

RESP. AD ARG. II. Ad II. respondetur 1. Hoc ipsum est desilire in genus alterum, quod ipso *Grotio* judice *in Prolegom. ad Libb. de J.B. & P. n. 44. Aristoteles* merito culpat, quamvis immerito ipse *Aristotelem* hujus culpæ ibidem arguerit. 2. Major fallit, quæ sic se habebat: Quæcunque res non est terminata, illa nequit abire in proprium jus. Detur ratio, cur proprietas nequeat esse, nisi rei terminatæ. Forsan hæc urgebitur ratio, quam etiam *Grotius* urget, quia occupatio non procedit, nisi in re terminata. Verum in præcedenti quæstione notabatur, quod non ab occupatione proprietas, sed a proprietate jus occupandi manaverit. 3. Terminabile duplex est, scilicet terminabile proprio & terminabile alieno termino: si major intelligatur de interminabili suo termino, sic falsa est: nam vini, cerevisiæ, lactis, omnium liquidorum proprietas dari potest, utut suo termino sint interminabiles, sufficit dominiis distinguendis, quod sint terminabiles termino alieno. Si major accipiatur de interminabili termino alieno, sic cadit minor, cum qui termini in mari alieni sint, *Seldenus L. I. Maris Clausi c. 22.* pro-

prolixe oſtenderit: Imo quod mare terminatum [illegible]t litoribus, præter Codicis ſacri auctoritatem Job. XXXVIII. 8. Prov. IIX. 29. conſenſus omnium hominum eſt. Sunt quoque ſcopuli, brevia, adverſa invicem promontoria, inſulæ hinc inde ſparſæ, e quibus linearum rigores, verſuræ, ſeu flexus angulorum coſſæ, gammæ, ut agri menſores loqvuntur, ſumi poſſunt. Quæ *Seldeno* reponi poterant, & a *Pontano* & *Stypmanno* repoſita ſunt, nervoſiſſime a Domino *Strauchio Diſſertatione de Imperio Maris* diſcuſſa videantur *c. 2. §. 5. & 6.* 4. Quidni Mathematicorum lineæ ad diſtingvenda maris dominia ſufficere poſſent? Sunt hæ lineæ imaginariæ καὶ λόγῳ μόνῳ θεωρητοί. Auget hanc opinionem ipſe *Grotius*, dum ſequenti *3. cap. §. 16. n. 2.* flumini interminato adſcribit terminos. Sic enim ait: *Flumen ſua medietate eos dirimeret tanquam naturalis terminus.* Quod non ita accipiendum eſt, quaſi Mathematicorum lineæ efficere poſſint proprietatem, ſed quod regionibus maribusque diſtinguendis ſatis aptæ ſint. Et quid tandem opus eſt longiori hujus rationis phyſicæ inſpectione? Uti phyſica phyſice non ethice, ita moralia non phyſicis, ſed moralibus rationibus ſunt docenda.

§. 4. Tractat quæſtionem *Grotius* §. 5. Occaſio Quæſtionis.

Quæ

Quæstio III.

Utrum in certo caſu ſalvo naturæ jure licitum ſit, contra directam domini voluntatem aliena re uti, vel etiam illam auferre?

PRO SENTENTIA NEGATIVA ARG.

§. 1. Negativa probari poteſt ſequenti argumento:

Suum jus alteri invito eripere eſt naturaliter injuſtum.

Atqui in certo caſu contra directam domini voluntatem aliena re uti vel etiam illam auferre, eſt alteri invito ſuum jus eripere. E.

In certo caſu contra directam domini voluntatem aliena re uti vel etiam illam auferre, eſt naturaliter injuſtum.

Major eſt manifeſta.

Minor patet: nam qui habet jus in re, is etiam habet jus utendi re.

PRO SENTENTIA AFFIRMATIVA.

§. 2. Affirmativa eſt *Grotii noſtri* duplicem caſum ponentis. Namque hoc licitum cenſet 1. in caſu extremæ neceſſitatis, quaſi ea porrigat exceptionem. 2. in caſu plane innoxiæ utilitatis. Quidni enim, quando ſine detrimento ſuo quis poteſt, alteri communicet, in iis, quæ ſunt accipienti utilia, danti non moleſta. Sed ratio, qua *Grotius* ſententiam ſuam probat, vel potius

potius fundamentum probationis non omnibus placet. Jubet enim *Grotius* respicere ad statum primævæ ac omnimodæ communionis, vultque in gravissimæ necessitatis casu reviviscere jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansissent, cum in omnibus legibus humanis, ac proinde & in lege dominii, summa illa necessitas videatur excepta: In casu vero plane innoxiæ utilitatis credit adesse primævæ communionis reliquias: Enimvero uti quod nunquam vixit, nequit reviviscere; &, quod nunquam fuit, ejus reliquiæ frustra quæruntur: ita si status omnimodæ primævæ communionis fabula est, nec proprietas ab occupatione & divisione cœpit, frustra divisionem dominiorum cum benigna quadam receptione primitivi juris *Grotius* asserit, & forte nimium benigna fictio juris est, qua si primi divisores interrogati fuissent, quid de ea re sentirent, responsuros fuisse idem, quod ipse dicit, arbitratur, hosque duos casus exemturos. Unde alii aliunde arcessunt fundamentum, quod sub forma syllogismi ita conspicuum se præbet:

Si propria in certo casu possunt fieri quoad usum communia, sequitur, quod in certo casu salvo naturæ jure licitum sit contra directam domini ARG.

voluntatem aliena re uti vel etiam illam auferre.

Prius est verum. E. & Posterius.

Consequentia apparet prona & facilis.

Prius probare satagunt, dum nihil obstare putant, quo minus, uti circumstantia sæpe tribuit novam speciem & transfert actum in aliud genus peccati, nunc multiplicat solummodo rationem malitiæ & aggravat, sic quoque in certis casibus malitiam tollere possit, ut ita in præsentibus casibus: extremæ necessitatis & innoxiæ utilitatis, malitia a talismodi actu, quo bonum, quod extra talem casum est proprium possidentis sive ejus, cui aufertur, hoc ipso, quod per istam circumstantiam moraliter mutatur objectum actus inque ejusmodi casu commune fit quoad usum, salvo naturæ jure auferatur, utut alias absque tali casu si fuisset, recte & licite contra possessoris voluntatem nemo eo usurus, aut illud ablaturus fuisset.

RESP. AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

§. 3. Ad argumentum pro negativa allatum hi ipsi respondent negando minorem propositionem. Nempe volunt in certo casu utentem re aliena contra directam domini ac possessoris voluntatem non eripere alteri invito suum jus, cum ea re non utatur vel eandem auferat, in quantum aliena est & possidentis, sive ejus, cui aufertur, propria, sed in quantum quoad usum communis

munis est. Imo magni alias judicii viri hanc explicationem ad decisionem multorum casuum moralium multarumq; quæstionũ, etiam Theologicarum, apprime conducere censent, ut de facto Davidis; quod panes propositionis comedit, an recte & licite fecerit? & de aliis.

§. 4. Potissimam occasionem *Grotius* exhibet §. *6. 7. 8. 9. 10. 11.* Et ex ejus decisione tanquam fonte reliquarum quæstionum, omnium, quas concise hoc capite tractat, in sequentibus §§. solutionem petiit, ut vel obiter inspicienti lectori facile constare poterit. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæstio IV.

Num postulatus, & ex gravis periculi neutiquam vano metu negatus transitus bello internam justitiam per omnia habente, hoc est, naturaliter justo, vindicari possit?

§. 1. Pro affirmativa sequens militare detur argumentum: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA ARG.

Si in casu magnæ necessitatis, imo quandoque innoxiæ utilitatis, contra directam domini voluntatem aliena re uti vel etiam illam auferre licet, sequitur,

quod etiam transitus sine dolo malo postulatus ex naturaliter justis ac necessariis causis, & saltem ex metu haud vano gravis periculi a domino territorii denegatus, bello naturaliter justo vindicari possit.

Prius est verum. E. & Posterius.

Consequentia patet: Si namque bello naturaliter justo transitus vindicari non posset ex justis causis postulatus, & ex metu haud vano gravis periculi denegatus, nihil aliud, nisi metus, morali impedimento esse posset: Jus vero meum non tollitur tuo metu, eoque minus, quia sunt rationes cavendi, ut si divisis manibus transmittantur copiæ; si inermes, quod Agrippinenses Germanis dicebant: quem morem antiquitus in Eleorum regione observatum notavit Strabo; si impensa transeuntis is, qui transitum concedit, sibi præsidia idonea conducat; si obsides dentur, quod a Demetrio Seleucus postulabat, ut eum intra imperii fines subsistere sineret. Si enim forte dicas, & alio posse transiri: tantundem quivis diceret, atque eo modo jus transeundi plane interimeretur: Satis igitur est, si sine dolo malo transitus postuletur, qua proximum ac commodissimum est.

Prius constitit ex præcedenti quæstione.

§.

§. 2. Verum negativa ſententia demonſtratur ſequenti argumento: PRO NEGATIVA SENTENTIA ARG.

Quicunque tranſitus per cauſam naturaliter juſtam negatur, is naturaliter juſto bello vindicari nequit.

Atqui tranſitus poſtulatus, & ex gravis periculi neutiquam vano metu negatus, per cauſam naturaliter juſtam negatur E.

Tranſitus poſtulatus, & ex gravis periculi neutiquam vano metu negatus, vindicari naturaliter juſto bello nequit.

Major æquitate naturali pleniſſime nititur: Nam ſi tranſitus poſtulatus per cauſam naturaliter juſtam potuiſſet negari, & tamen naturaliter juſto bello vindicari poſſet, ſic naturaliter juſtum bellum ei inſligi poſſet, qui belli autorem nulla unquam affeciſſet injuria, unde hæc abſurda ſequerentur, quod alia eſſe poſſit cauſa naturaliter juſta belli ſuſcipiendi, quam injuria, cujus contrarium *cap. 1.* oſtendebatur: Quod utraque pars belligerantium poſſit eſſe innocens, bellumque ex utraque parte naturaliter juſtum dari poſſit: Datis his abſurdis, alia innumera ſeqvuntur.

Minor probatur, quia neutiquam vanus metus gravis periculi metus juſtus eſt, & quidem interna juſtitia, hoc eſt naturaliter juſtus. Nam ſi indignum libero quovis ho-

mine & minime ferendum eſt ab altero neceſſario periclitari & ad injurias nudari, quidni naturali jure ex moraliter certi periculi nequicquam vano metu tranſitus poſtulatus a Rege quique par Regibus jus obtinent, poſtulanti denegari poſſet. Per privati fundum ſalvo naturæ jure ire nequis, niſi ſervitute quæſita: quid autem territorium, per quod tranſire quis poſtulat, aliud eſt quam univerſitas agrorum, unde ſi quando gravissimum ſcilicet periculum domino agri imminet, contra ipſius voluntatem per eum jure tranſire nequis, quo titulo injuſta dicenda erit denegatio tranſitus propter neutiquam vanum gravis periculi metum facta.

RESPONDETUR AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

§ 3. Ad argumentum pro contraria ſententia allatum reſpondetur negando conſequentiam majoris. Quomodo enim in tali caſu, quando ex gravis periculi neutiquam vano metu negatus tranſitus, bello vindicatur, ibi locum inveniet caſus magnæ neceſſitatis, ſi tanta neceſſitate is, qui denegat tranſitum, teneatur. Melior eſt cauſa tranſitum negantis, quam poſtulantis: multo vero minus innoxiæ utilitatis caſus dicetur, ſi inde ſecuritati metuendum omnino ſit. Quando probationis loco dicebatur, quod ſi bello naturaliter juſto tranſitus vindicari non poſſet ex juſtis cauſis poſtulatus, & ex metu haud vano gravis periculi

culi denegatus, nihil aliud, nisi metus, morali impedimento esse posset: hoc si vel maxime admittatur, solus tamen ejusmodi metus ad negandum transitum sufficit. Excipiebatur quidem: Jus meum non tolli tuo metu, eoque minus, quia sint rationes cavendi. Sed ad utrumque acutissime respondet Dominus *Strauchius*, famigeratissimus JCtus, sæpius commendata *dissertatione de Imperio Maris cap.8.§.2.* & primo quidem his verbis: *Quale*, ait, *jus habes eundi per alienum suo Principe invito? Quod nec habiturus sis per privati alicujus Titii fundum iturus l.13.§.ult. D. de Injur. nisi servitute quæsita. Quis autem putet libertatem territorii, quæ universitas agrorum est non minui, inconsulto domino propriaque autoritate transeundo, cum minuatur agelli unius libertas hoc modo, itinere alii permisso. Imo si servitute itineris, actus, via, jure constituta libertas prædii minuitur; quid non minuatur facto transeuntis mero usurpata?* Secundo pergit: *Sed fac, jus tibi esse, dicam, omnino constringi, si inde securitati metuam. Est enim securitas inter bona externa reipublicæ, quæ invito nemini debet attrectari usurpative: quippe repugnat conditioni hominis liberi, atque servile est, inevitabili necessitate cogi ab altero metuere.* Hæc Vir iste. Frustra adjiciebatur in probatione: jus meum non tolli tuo metu, eoque minus,

quia sunt rationes cavendi: At si rationes cavendi adsint, ejusque, per cujus territorium alter transire vult cum exercitu, securitati satis cautum fuerit, sic non amplius postulatus transitus ex gravis periculi neutiquam vano metu denegari poterit. Non enim quæstio de eo erat: num denegatus transitus, ubi rationes cavendi adfuere, tandem vindicari possit bello naturaliter justo, sed quæstio formabatur de transitu ex gravis periculi neutiquam vano metu, quique adeo justus metus est, denegato. Non ergo satis est, si sine dolo malo transitus postuletur, qua proximum ac commodissimum est, nec ad injustitiam metus sufficit, alios alibi eundem transitum forsan denegaturos esse. Non enim propter tuum incommodum jus in meo meum tollitur. Et societas communis inter homines hoc exigit, ut, alterius indigentiæ succurras, non ita, ut qui indiget, jus exigendi inde accipiat, & quasi suo jure id sumat, sed tua gratia, quousque id sine tua fraude damnove id fieri potest.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasionem *Grotius* præbebat §. 13. ubi postquam hanc quæstionem *n. 1.* moverat, sequenti *n. 3.* sic mentem suam exponere gestit: *Media sententia vera est, postulandum prius transitum: sed si negetur, vindicari posse: ita Agesilaus ex Asia rediens, cum a Rege Macedonum transitum postulasset, atque is consultaturum se dixisset: Consultet,* in-

inquit, *nos interea transibimus*. Ex quibus verbis colligimus juxta *Grotium* duas extremás esse sententias: unam quod ne quidem naturalis æquitas requirat, ut postuletur prius transitus, sed quod etiam transitus non postulatus jure fiat. Alteram, quod non modo postulandus sit prius transitus, sed etiam si negetur, postulans in eo debeat acquiescere. Et huic tertiæ sententiæ, modo sat justa de causa denegatus fuerit, quid subscribere vetat? Cæterum hujus, magis vero præcedentis quæstionis occasione facilis via parabatur ad decisionem sequentium quæstionum: *Num mercibus alienis transitus debeatur? an ita transeuntibus mercibus terra aut amne vectigalia imponi possint ab eo, qui in terra imperium habet?* Nam quia habens vias publicas securitatem præstat, eam utique pro mercede præstare poterit. *An capitatio civibus imposita ad sustentanda reipublicæ onera ab exteris transeuntibus exigi possit? An morari aliquantisper prætervehentibus aut prætereuntibus valetudinis aut alia qua justa de causa liceat? An perpetua habitatio concedenda sit exteris, qui sedibus suis pulsi receptum quærunt? An iis postulantibus concedi debeat occupatio soli deserti ac sterilis? An piscandi, item venandi jus exteris prohiberi possit?* Cujus affirmativam *Grotius* §. 5. agnoscit, sic mutata sententia, quippe aliter *tractatu de Mari Libero*

 statue-

ſtatuerat. *An libertas matrimonia ambiendi & contrahendi exteris jure denegari poſſit?* Ubi Romulus forſan ſine cauſa excuſatur a *Grotio:* Erat enim ipſe ejusque conſortes colluvies gentium. *An monopolia unus populus alteri concedere poſſit?* Ubi affirmativam ipſe *Grotius* recte defendit, modo qui jus monopolii acquiſivit, paratus ſit merces divendere æquo precio: & quæ ſunt id genus plures aliæ quæſtiones, quas ex monſtrato fonte deducere facile erit nudaque *Grotiani capitis* inſpectio plurimum conducet.

Quæſtio V.

Num dominium eminens detur?

PRO NEGATIVA SENTENTIA ARG. I.

§. 1. Pro negativa ſequentia poſſunt adferri argumenta:

I. Quæcunque ſententia manifeſtam implicat contradictionem, ea non eſt admittenda.

Atqui ſententia de dominio ſupereminenti manifeſtam implicat contradictionem. E.

Sententia de dominio ſupereminenti non eſt admittenda.

Minor probatur, quia ſtante dominio ſupereminenti duo erunt unius ejusdemque rei domini: unus vulgaris, ſcilicet ſubditus;

ſus; alter eminens, nempe Princeps: Aſt manifeſtam contradictionem implicat, unius ejusdemque rei duos proprie ſic dictos dominos eſſe.

II. Cujuscunque rei dominium a Principe acquiri poteſt, ejus rei dominium Princeps non habet. ARG. II.

Atqui in bona ſubditi dominium a Principe acquiri poteſt. E.

Major eſt manifeſta, quia nemo rem ſuam, poſtquam ſcilicet res ſua eſt, ab alio acquirere poteſt: nam ſi ab alio poſſet acquirere, nondum eſſet ſua.

Minor per experientiam liquet: namque in vulgus notum eſt, quod ſubditus Principem ſuorum bonorum hæredem ac dominum inſtituere poſſit teſtamento, quod rerum ſuarum dominium jure donationis, item emtionis, multisque aliis titulis Princeps a ſubdito poſſit acquirere, imo quandoque acquirat.

III. Quæcunque ſententia e diametro adverſatur juri naturæ, illa merito rejicienda venit. ARG. III.

Atqui hæc ſententia, qua Principi dominium eminens in ſubditorum bona tribuitur, e diametro adverſatur juri naturæ. E.

Minor probatur, quia juris naturalis præceptum eſt: Suum cuique tribuere: At hoc

poſito,

quod etiam transitus sine dolo malo postulatus ex naturaliter justis ac necessariis causis, & saltem ex metu haud vano gravis periculi a domino territorii denegatus, bello naturaliter justo vindicari possit.

Prius est verum. E. & Posterius.

Consequentia patet: Si namque bello naturaliter justo transitus vindicari non posset ex justis causis postulatus, & ex metu haud vano gravis periculi denegatus, nihil aliud, nisi metus, morali impedimento esse posset: Jus vero meum non tollitur tuo metu, eoque minus, quia sunt rationes cavendi, ut si divisis manibus transmittantur copiæ; si inermes, quod Agrippinenses Germanis dicebant: quem morem antiquitus in Eleorum regione observatum notavit Strabo; si impensa transeuntis is, qui transitum concedit, sibi præsidia idonea conducat; si obsides dentur, quod a Demetrio Seleucus postulabat, ut eum intra imperii fines subsistere sineret. Si enim forte dicas, & alio posse transiri: tantundem quivis diceret, atque eo modo jus transeundi plane interimeretur: Satis igitur est, si sine dolo malo transitus postuletur, qua proximum ac commodissimum est.

Prius constitit ex præcedenti quæstione.

§. 2

§. 2. Verum negativa ſententia demonſtratur ſequenti argumento: PRO NEGATIVA SENTENTIA ARG.

Quicunque tranſitus per cauſam naturaliter juſtam negatur, is naturaliter juſto bello vindicari nequit.

Atqui tranſitus poſtulatus, & ex gravis periculi neutiquam vano metu negatus, per cauſam naturaliter juſtam negatur E.

Tranſitus poſtulatus, & ex gravis periculi neutiquam vano metu negatus, vindicari naturaliter juſto bello nequit.

Major æquitate naturali pleniſſime nititur: Nam ſi tranſitus poſtulatus per cauſam naturaliter juſtam potuiſſet negari, & tamen naturaliter juſto bello vindicari poſſet, ſic naturaliter juſtum bellum ei infligi poſſet, qui belli autorem nulla unquam affeciſſet injuria, unde hæc abſurda ſequerentur, quod alia eſſe poſſit cauſa naturaliter juſta belli ſuſcipiendi, quam injuria, cujus contrarium *cap. 1.* oſtendebatur: Quod utraque pars belligerantium poſſit eſſe innocens, bellumque ex utraque parte naturaliter juſtum dari poſſit: Datis his abſurdis, alia innumera ſeqvuntur.

Minor probatur, quia neutiquam vanus metus gravis periculi metus juſtus eſt., & quidem interna juſtitia, hoc eſt naturaliter juſtus. Nam ſi indignum libero quovis ho-

mine & minime ferendum est ab altero necessario periclitari & ad injurias nudari, quidni naturali jure ex moraliter certi periculi nequicquam vano metu transitus postulatus a Rege quique par Regibus jus obtinent, postulanti denegari posset. Per privati fundum salvo naturæ jure ire nequis, nisi servitute quæsita: quid autem territorium, per quod transire quis postulat, aliud est quam universitas agrorum, unde si quando gravissimum scilicet periculum, domino agri imminet, contra ipsius voluntatem per eum jure transire nequis, quo titulo injusta dicenda erit denegatio transitus propter neutiquam vanum gravis periculi metum facta.

RESPONDETUR AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

§ 3. Ad argumentum pro contraria sententia allatum respondetur negando consequentiam majoris. Quomodo enim in tali casu, quando ex gravis periculi neutiquam vano metu negatus transitus bello vindicatur, ibi locum inveniet casus magnæ necessitatis, si tanta necessitate is, qui denegat transitum, teneatur. Melior est causa transitum negantis, quam postulantis: multo vero minus innoxiæ utilitatis casus dicetur, si inde securitati metuendum omnino sit. Quando probationis loco dicebatur, quod si bello naturaliter justo transitus vindicari non posset ex justis causis postulatus, & ex metu haud vano gravis periculi

culi denegatus, nihil aliud, nisi metus, morali impedimento esse posset: hoc si vel maxime admittatur, solus tamen ejusmodi metus ad negandum transitum sufficit. Excipiebatur quidem: Jus meum non tolli tuo metu, eoque minus, quia sint rationes cavendi. Sed ad utrumque acutissime respondet Dominus *Strauchius*, famigeratissimus JCtus, sæpius commendata *dissertatione de Imperio Maris cap. 8. §. 2.* & primo quidem his verbis: *Quale*, ait, *jus habes eundi per alienum suo Principe invito? Quod nec habiturus sis per privati alicujus Titii fundum iturus l. 13. §. ult. D. de Injur. nisi servitute quæsita. Quis autem putet libertatem territorii, quæ universitas agrorum est non minui, inconsulto domino propriaque autoritate transeundo, cum minuatur agelli unius libertas hoc modo, itinere alii permisso. Imo si servitute itineris, actus, via, jure constituta libertas prædii minuitur; quid non minuatur facto transeuntis mero usurpata?* Secundo pergit: *Sed fac, jus tibi esse, dicam, omnino constringi, si inde securitati metuam. Est enim securitas inter bona externa reipublicæ, quæ invito nemini debet attrectari usurpative: quippe repugnat conditioni hominis liberi, atque servile est, inevitabili necessitate cogi ab altero metuere.* Hæc Vir iste. Frustra adjiciebatur in probatione: jus meum non tolli tuo metu, eoque minus,

quia sunt rationes cavendi: At si rationes cavendi adsint, ejusque, per cujus territorium alter transire vult cum exercitu, securitati satis cautum fuerit, sic non amplius postulatus transitus ex gravis periculi neutiquam vano metu denegari poterit. Non enim quæstio de eo erat: num denegatus transitus, ubi rationes cavendi adfuere, tandem vindicari possit bello naturaliter justo, sed quæstio formabatur de transitu ex gravis periculi neutiquam vano metu, quique adeo justus metus est, denegato. Non ergo satis est, si sine dolo malo transitus postuletur, qua proximum ac commodissimum est, nec ad injustitiam metus sufficit, alios alibi eundem transitum forsan denegaturos esse. Non enim propter tuum incommodum jus in meo meum tollitur. Et societas communis inter homines hoc exigit, ut, alterius indigentiæ succurras, non ita, ut qui indiget, jus exigendi inde accipiat, & quasi suo jure id sumat, sed tua gratia, quousque id sine tua fraude damnove id fieri potest.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasionem *Grotius* præbebat §. 13. ubi postquam hanc quæstionem *n. 1.* moverat, sequenti *n. 3.* sic mentem suam exponere gestit: *Media sententia vera est, postulandum prius transitum: sed si negetur, vindicari posse: ita Agesilaus ex Asia rediens, cum a Rege Macedonum transitum postulasset, atque is consultaturum se dixisset: Consultet,* in-

inquit, *nos interea transibimus*. Ex quibus verbis colligimus juxta *Grotium* duas extremas esse sententias: unam quod ne quidem naturalis æquitas requirat, ut postuletur prius transitus, sed quod etiam transitus non postulatus jure fiat. Alteram, quod non modo postulandus sit prius transitus, sed etiam si negetur, postulans in eo debeat acquiescere. Et huic tertiæ sententiæ, modo sat justa de causa denegatus fuerit, quid subscribere vetat? Cæterum hujus, magis vero præcedentis quæstionis occasione facilis via parabatur ad decisionem sequentium quæstionum; *Num mercibus alienis transitus debeatur? an ita transeuntibus mercibus terra aut amne vectigalia imponi possint ab eo, qui in terra imperium habet?* Nam quia habens vias publicas securitatem præstat, eam utique pro mercede præstare poterit. *An capitatio civibus imposita ad sustentanda reipublicæ onera ab exteris transeuntibus exigi possit? An morari aliquantisper prætervehentibus aut prætereuntibus valetudinis aut alia qua justa de causa liceat? An perpetua habitatio concedenda sit exteris, qui sedibus suis pulsi receptum quærunt? An iis postulantibus concedi debeat occupatio soli deserti ac sterilis? An piscandi, item venandi jus exteris prohiberi possit?* Cujus affirmativam *Grotius* §. 5. agnoscit, sic mutata sententia, quippe aliter *tractatu de Mari Libero*

ſtatuerat. *An libertas matrimonia ambiendi & contrahendi exteris jure denegari poſſit?* Ubi Romulus forſan ſine cauſa excuſatur a *Grotio:* Erat enim ipſe ejusque conſortes colluvies gentium. *An monopolia unus populus alteri concedere poſſit?* Ubi affirmativam ipſe *Grotius* recte defendit, modo qui jus monopolii acquiſivit, paratus ſit merces divendere æquo precio: & quæ ſunt id genꝰ plures aliæ quæſtiones, quas ex monſtrato fonte deducere facile erit nudaque *Grotiani capitis* inſpectio plurimum conducet.

Quæſtio V.

Num dominium eminens detur?

PRO NEGATIVA SENTENTIA ARG. I.

§. 1. Pro negativa ſequentia poſſunt adferri argumenta:

I. Quæcunque ſententia manifeſtam implicat contradictionem, ea non eſt admittenda.

Atqui ſententia de dominio ſupereminenti manifeſtam implicat contradictionem. E.

Sententia de dominio ſupereminenti non eſt admittenda.

Minor probatur, quia ſtante dominio ſupereminenti duo erunt unius ejusdemque rei domini: unus vulgaris, ſcilicet ſubditus;

eus; alter eminens, nempe Princeps: Ast manifestam contradictionem implicat, unius ejusdemque rei duos proprie sic dictos dominos esse.

II. Cujuscunque rei dominium a Principe acquiri potest, ejus rei dominium Princeps non habet. Arg. II.

Atqui in bona subditi dominium a Principe acquiri potest. E.

Major est manifesta, quia nemo rem suam, postquam scilicet res sua est, ab alio acquirere potest: nam si ab alio posset acquirere, nondum esset sua.

Minor per experientiam liquet: namque in vulgus notum est, quod subditus Principem suorum bonorum hæredem ac dominum instituere possit testamento, quod rerum suarum dominium jure donationis, item emtionis, multisque aliis titulis Princeps a subdito possit acquirere, imo quandoque acquirat.

III. Quæcunque sententia e diametro adversatur juri naturæ, illa merito rejicienda venit. Arg. III.

Atqui hæc sententia, qua Principi dominium eminens in subditorum bona tribuitur, e diametro adversatur juri naturæ. E.

Minor probatur, quia juris naturalis præceptum est: Suum cuique tribuere: At hoc posito,

posito, quod Princeps in subditorum proprietates dominium habeat, sic certe nullus subditus habebit aliquid proprii: nam si haberet, istud eidem relinquendum esset, adeoque nullum Principi in talem proprietatem dominium esset.

Arg. IV. IV. Quicquid essentialem finem civitatis evertit, id asseri nequit salva naturali æquitate.

Atqui dominium eminens essentialem finem civitatis evertit E.

Dominium eminens asseri salva naturali æquitate nequit.

Minor probatur, quia verendum, ut in officio suo contineri semper possit Princeps, quantumvis optimus & integerrimus, cui dominium eminens tribuitur, quod multa secum afferat ejusmodi fortuna, quæ a recto dimovere soleant. Princeps a subdito mutuatus est pecunias, unde hanc obligationem, si sibi videbitur, tollere poterit. Et quid vero metuendum erit tum, ubi Principi id suggeris rerum imperito, privatis intento commoditatibus, publicarum utilitatum pene hosti, addicto voluptatibus, osori libertatis ac veri, nihil minus, quam salutem reipublicæ cogitanti, sed omnia sua libidine suisque commodis metienti. Tum vero quæ subditorum futura sit conditio, facile omnibus constat.

§. 2.

§. 2. Affirmativam *Grotius* præcipue hoc videtur probare voluisse argumento: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA ARG.

Qui summam potestatem habet in personam subditi, quidni habere posset summam potestatem in bona subditi.
Princeps &c. E.

Major probatur, quia accessorium sequitur suum principale. Si ergo subditus a Majestate justo titulo obligatur ad vitam pro civitatis salute fundendam, debetque sanguinem suum, multo magis obligatus erit ad hoc, ut pro salute civitatis ex prudentis Principis arbitrio bonis eorumve usibus cedat.

§. 3. Qui *Grotii* sententiam tuentur, ad argumenta in contrarium allata sic nituntur respondere, & quidem. RESP. AD ARGUMENTA NEGANTIS SENTENTIÆ

Ad I. negando propositionem minorem ejusque probationem. Hoc quidem largiuntur facile, quod duæ proprietates, quarum neutra alteri subordinatur, unius ejusdemque rei dari nequeant: nihil vero vident, quod obstet, quo minus duo unius ejusdemque rei dominia, modo unum alteri subordinetur, esse queant. Annon, inquiunt, Deus in omnia omnino bona omnium hominum supereminentissimum, si ita vocare liceat, dominium habet, cum tamen quisque, qui Deum omnium rerum dominum agnoscit, simul se pro suorum rerum domino habeat? Et si duo unius perso- RESP. AD ARG. I.

næ

næ domini esse possunt, modo in eandem persona m potestas unius alteri subordinata sit, quid impedit duplex dominium in eandem rem, alterum nempe alteri subordinatum.

Resp. ad Arg. II. Ad II. resp. limitando majorem: Cujuscunque rei dominium a Principe acquiri potest, in istam rem Princeps non habet dominium, vel eo modo non habet, quod aut quomodo a subdito potest acquirere: sic limitata majore concedunt totum argumentum. Nempe certum relinqvunt, quod subditus Principem instituere possit suorum bonorum hæredem ac dominum per testamentum, hoc est, quod vi testamenti sui subditus liberam ac vacuam relinquere valeat possessionem suæ rei, in tantum renuncians suo juri, in quantum in alium subditũ vulgarem hanc proprietatem jure hæreditario potuisset transferre, salvo tamen semper relictoPrincipis eminenti dominio, ut sic Princeps hæres a subdito instituatur nõ rei, in quam nullo modo, sed in quam non tali modo dominium habuerat. Idem judicant de jure donationis a subdito Principi factæ. Ita quando Princeps, qui juxta illos habet dominium eminens in bona subditi, eadem bona jure emtionis sibi acquirit, hoc nihil aliud ipsis est, quam quod Princeps libera sua voluntate subdito libere consentienti certam pecuniæ summam det, ut possessio-

nem

nem ſuam ac proprietatem a Principis dominio dependentem iterum derelinquat, quam in alium ſubditum pro ſua libertate hic ipſe ſubditus transferre potuiſſet, inito cum altero emtionis venditionis contractu, ut tamen proprietas alteri vendita dominio eminenti Principis ſubordinata ſemper manſiſſet.

Ad III. reſp. negando propoſitionem minorem ejusque probationem. Equidem veriſſimum manet juris naturalis præceptum: ſuum cuique tribuere, tamen ſicut poteſtas mariti in uxorem manet, ſuumque marito jus relinquitur in uxorem, manente nihilominus Principis in maritum poteſtate, id propter ſuum omnino marito adhuc tribuit: Ita dominium eminens aſſerere non eſt ſubdito ſuum eripere, ſed dominium ſubditi dominio Principis ſubordinatum relinquere. RESP. AD ARG. III.

Ad IV. reſp. negando minorem: tantum abeſſe arguunt, ut ſalus civitatis impediatur, ut potius tranquillitati ac ſaluti civitatis conſulatur. Salus quippe civitatis manet ſuprema lex eminentis dominii, ideoque uſus dominii eminentis probatur, quem ſalus civitatis ex magna neceſſitate poſtulat. Neque civis, qui pecuniam Principi mutuo dedit, deterioris conditionis evadit per rationem dominii eminentis, quam ſi alius civis ab eo pecunias ſibi mutuatus RESP. AD ARG. IV.

tuatus

tuatus fuiſſet. Nam & ne ille alius civis redderet pecunias eo tempore, quo convenerat, ſed reipublicæ potius commodaret, dominium eminens efficere poterat, nõ quidem tollendo obligationem, ſed differendo ſolutionem, & obligatio quidem Principis debitoris cum ſubdito creditore contrahentis jure naturæ perfecta eſt, Deoque teſte & judice ſuſtentatur. Itaque ſemper in officio ſuo principem contineri poſſe credunt, modo uſum ſui juris ab abuſu Princeps diſtinguat ac dominii eminentis ſubſidia privatorum deſideriis tum demum quadantenus opponat, ſi omnia prius tentata fuerint, nec alia ratione graviſſima neceſſitas evadi queat, fiatque reſtitutio, ubi neceſſitas ceſſat.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occaſio petebatur ex §. *6. & ſeqq.* Et uti *Grotii* ſententiam ſaltem recenſere placuit, ita non pauci ex contrariæ ſententiæ Patronis ſic explicata natura eminentis dominii, tolerari iſtud nomen utcunque poſſe tandem largiuntur, nec tam de ipſo titulo, quam loquendi genere controverſiam movent. Hoc tandem utraque pars diſſentientium admittit, quod Principi urgente neceſſitate jus utendi bonis ſuorum ſubditorum competat, eo quod omnia ea ſimul conceſſa intelligantur, ſine quibus commune bonorum obtineri non poteſt. Saltem de eo lis eſt, num Princeps, quando

tali

tali jure utitur, vi imperii, an dominii uti dicendus sit. Cæterum *Grotii* causam egit *Bœclerus* singulari *disquisitione de dominio eminente*, quæ in *commentationibus* suis *ad Hugonis Grotii opus p. 85. & seqq.* videatur. Scripsit quoque multa pro *Grotiana* sententia de dominio eminente *Johannes Fridericus Hornius in Politica sua Architectonica, L. II.* per integrum *cap. 4.* sed forte non pauca eorum talia deprehendere est, quæ minus continens calamus expressit, nec unquam *Grotio* in mentem venerunt.

CAPUT III.
De
ACQUISITIONE
RERUM ORIGINARIA ET DERIVATIVA.

§. 1.

ACquisitio rerum duplex datur: *Originaria & derivativa.* *Acquisitio rerum quotuplex?*

[*Grotius c. 3. §. 1.*]

NOTÆ.

I. *Grotius* sic disserit: *Singulari jure aliquid nostrum fit acquisitione originaria aut derivativa*, digitum iterum intendens ad

ſuam opinionem de jure primævæ communionis, id quod *præced. cap.* prolixiuſcule expendimus.

II. Non modo dominia, ſed & imperia utraque acquiſitione acquiri poſſunt: de acquiſitione tamen imperiorum ſequenti *cap.5.* agetur.

Acquiſitio originaria quid?

§. 2. *Acquiſitio originaria* eſt, qua aliquid meum fit, quod ante immediate *erat nullius.* Exempli gratia ponamus piſcatum in mari eſſe liberum, ut piſces in omnimoda communione ac nullius ſint, ſi caperem piſcem, ille meus fieret acquiſitione originaria.

[*Grotius §.4. n.1.*]

NOTA.

Studio addimus voculam *immediate*, dicentes, quod antea immediate erat nullius, quia non requiritur ad acquiſitionem originariam rei, ut nunquam ullius fuerit, ſed ſufficit, ſi tum temporis nullius fuerit, cujus nempe momento alterius fieri incipiebat, ſive olim aliquando alterius fuerit, ſive minime: qua de re mox conſtabit melius ex tradenda acquiſitionis originariæ diſtinctione.

Acquiſitio derivativa quid?

§. 3. Acquiſitio derivativa eſt, qua aliquid meum fit, quod ante immediate

te erat alterius: e. gr. si piscem, quem alter originarie acquisiverat, ab eo emerem, tunc meus fieret acquisitione derivativa.

NOTA.

Notanter dicitur, quod ante immediatè erat alterius: Ita eo ipso dum piscis in proprietatem emtoris abire incipit, in venditoris proprietate esse desinit.

§. 4. Acquisitio originaria alia κατ' ἐξοχὴν & primario talis est, alia secundario sic dicta. *Acquisitio originaria duplex.*

§. 5. Primario acquisitio originaria dicitur, qua aliquid proprium fit, quod nunquam ullius fuerat: Ita si ponamus piscationem in mari esse liberam, & quis piscem caperet, qui nunquam captus fuisset, sic acquisitione originaria primario tali piscis in proprietatem venisset. *Acquisitio originaria primo talis quid?*

§. 6. Originaria acquisitio secundario talis vocatur, qua aliquid proprium fit, quod antea fuerat alterius, cujus tamen antequam proprium jam fieret, esse desierat: e. gr. si denuo ponamus piscationem in mari esse liberam, & vero quis originarie acquisi- *Acquisitio originaria secundario talis quid?*

tum piscem iterum in mare projecisset, aliusque eum alio tempore rursus caperet, hujus fieret piscis acquisitione originaria secundario tali, quia nullius erat piscis, cum eum caperet. Dicitur etiam acquisitio quasi originaria.

NOTA.

Eæ res, quæ dominum habuerunt, sed habere desierunt, puta quia derelictæ sunt, aut quia defecerunt domini, perinde se habent, ac si nullius unquam fuissent.

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

Num alia detur naturalis acquisitio originaria præter occupationem?

§. 1.

PRO AFFIRMAT. Pro affirmativa faciunt sequentia argumenta:

ARG. I. I. Datur divisio.

ARG. II. II. Concessio servitutis.

ARG. III. III. Constitutio pignoris.

ARG. IV. IV. Specificatio.

PRO NEGATIVA §. 2. Negativa tamdiu manet vera, donec alia præter occupationem detur.

SENTENT. §. 3.

§. 3. Nam recte expendenti eos modos, qui in contrarium adducebantur, facile apparebit, quid responderi possit; nempe

RESP. AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. resp. quod quoties divisio fit, ea semper præsupponat occupationem. *Grotius* quidem sic disserit: *Originaria acquisitio olim, cum genus humanum coire posset, fieri etiam potuit per divisionem, nunc per occupationem tantum:* Verum ibi denuo respicit ad suam de primævæ communionis statu opinionem.

RESP. AD ARG. I.

Ad II. & III. resp. eum, qui acquirit aliquid per modum pignoris, aut concessione servitutis, non acquirere rem, quæ antea fuerat nullius, sed tantum novo modo eam acquirere, quam is acquisiverat, qui rem dederat pignori, aut cum servitute.

RESP. AD ARG. II. & III.

Ad IV. resp. litem esse de modo loquendi. Nam rigorose loquendo acquisitio originaria illius est, quod, cum antea in rerum natura daretur, nullius erat: Si igitur e.gr. poculum consideremus, aut spectatur ratione materiæ, ut: auri, cum naturaliter nihil fiat, nisi ex materia prius existente; aut ratione formæ: Si prius, aut ea materia tua fuit, & sic continuabitur dominium specie introducta: aut nullius, & ita ad occupationis genus hæc acquisitio pertinebit: aut aliena, & sic jam naturaliter tibi soli ea non acquiretur. Si posterius, sic antea plane non erat.

RESP. AD ARG. IV.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occasionem dabat *Grotius* noster §. 2. 3. & 4.

Quæstio II.

An flumina possint abire in proprium jus?

PRO NEGANTE SENTENTIA ARG.

§. 1. Pro negativa poterat urgeri tale argumentum:

Si mare nequit occupari, sequitur, quod etiam flumina occupari nequeant.
Prius est verum. E. & Posterius.

Major probatur, quia flumen est pars maris.

Minorem probant argumenta præced. cap. 2. q. 2. §. 1. p. 650. prolata.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA ARG.

§. 2. Affirmativam facillime probat sequens ratiocinatio:

Si mare potest occupari, sequitur, quod etiam flumina occupari queant.
Prius est verum E. & Posterius.

Major est manifesta: nam si mare sumtum sub ratione integri aut præcipuarum partium occupari potest, quidni flumina tanquam partes non præcipuæ occupari possent?

Prius præced. *cap.* cit. *quæst.* §. 2. *p.* 651 probabatur.

§. 3.

§. 3. Ad argumentum pro contraria sententia allatum respondetur negando propositionem minorem, ratio negationis ex citata quæstione satis liquere poterat.

RESP. AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

§. 4. Occasio quæstionis extat §. 7. & seqq. & sane *Grotius*, quia negaverat *præcedenti capite* mare esse dominii capax, ne idem de fluminibus admittere vel tandem dominium maris teneretur agnoscere, studiose operam dedit, ut probaret flumina adhuc esse proprietatis capacia, utut mare dominii capax non sit, hinc multas collegit rationes, ob quas flumina, quanquam nec supra nec infra includuntur territorio, in proprium jus abire possint: 1. quia major eorundem pars, id est, latera clausa sint ripis, & sic quasi accessiones terræ sint. 2. comparatione terrarum exiguum quid sit flumen. 3. ad mare flumen se habeat, ut diverticulum fluminis ad flumen. 4. sit naturaliter clausa maris particula. Sed supervacua erat hæc operositas, nec poterat non tanto Viro, ob partium & causæ studium, cui serviebat, philosophiam juris fingenti, ubi nulla erat, infirmitas rationum physicarum esse perspecta.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

CAPUT IV.

De RERUM DERELICTIONE MANIFESTA ET TACITA, DERELICTIONUM SIGNIS, RERUM DERELICTARUM OCCUPATIONIBUS, JURE USUCAPIOMIS SEU PRÆSCRIPTIONIS, IMPERIORUM ALIENATIONIBUS AC IN SPECIE PRÆSCRIPTIONIBUS.

§. I.

DE RERUM DERELICTIONIBUS. *Derelicto rei quotuplex?*

DErelictio rei est vel manifesta vel tacita; Ita e. gr. quando rem meam abjicio, additis expressis verbis: volo ut hæc res mea non amplius sit, mihique perinde est, sive derelicta manserit, sive alius, quicunque tandem sit, eam occupaverit, sic manifesta datur derelictio: Si vero etiam admonitus rem meam a bonæ fidei possessore non reposcam tempore memoriam excedente, sic locum habere potest tacita derelictio.

NOTÆ.

I. Agebatur præcedenti capite etiam de rerum acquisitione quasi originaria, quæ dice-

dicebatur rerum earũ,quæ dominum habuerunt,ſed habere deſierunt:Quia vero inter illas res ſunt,quæ a domino ſponte derelictæ ſunt, ordo tractationis exigit, ut ad *Grotianæ Philoſophiæ* ductum pauca de derelictione rerum dicantur, quippe objectum acquiſitionis originariæ res derelictæ dici poſſunt.

II. Accedit, quod uſucapio ſeu præſcriptio ad acquiſitionem originariam, ut mox videbimus, pertineat, cum tamen ea ſit rei derelictæ acquiſitio.

§. 2. *Signa* derelictionis ab altero factæ varias admittunt diſtinctiones: 1. alia ſunt *verba*, alia *facta*: e. gr. qui præſentibus aliis dicit: volo certe, ut hæc res, quæ hactenus mea fuit, hoc momento mea eſſe deſinat, is ſane hiſce talibus verbis ſignificat ſe velle derelictionem rei ſuæ, & exinde adſtantes facile colligunt eum, qui hoc ſermone utebatur, revera voluiſſe rem ſuam derelinquere: Contra e. gr. qui debitori reddit chirographum, hoc ipſo facto ſignificat remiſſionem debiti,ſicque ex tali facto tanquam idoneo ſigno debitor colligit, quod creditori placuerit jus crediti, ſicque pecuniam,

DE DERELICTIONUM SIGNIS.

Signorum voluntatis diſtinctio.

quam hoc jure exigere poterat, derelinquere.

[*Grotius cap.4.§.3. & 4.*]

NOTÆ.

I. Derelictio notat voluntarium quid, h. e. agitur hoc loco de derelictione, ut derelinquenti voluntaria est seu a libero ejus arbitrio qua tali pendens: Jam vero nemini quicquam de alterius voluntate constare potest, nisi signo quodam idoneo indicatá fuerit. Huc respicit *Grotius* noster, quando §. *3.* ait: *Juris effectus*, (actus, qui habent juris effectus) *qui ab animo pendent* (qui a libero hominis arbitrio, voluntate hominis, ut non a coactione modo, sed inprimis etiam a necessitate libera est, procedunt: sæpe namque liberum arbitrium nomine *animi* censetur, ut quando ad animum agentis *Philosophi morales* in æstimandis delictis honestisque actionibus respicere jubent, id quod etiam *JCti* solenniter animadvertunt, nec hæc locutio in Classicorum scriptis infrequens est: Ita Lucretia ad Collatinum apud *Livium: vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo, cæterum corpus est tantum violatum, animus insons, mors testis erit) non possunt tamen ad solum animi actum consequi* (ut ex alieni animi actibus recte judicare possis, num effectum juris habeant, non sufficit, hunc actum revera fuisse in

in alterius animo) *quia nudis animi actibus efficientiam juris tribuere non fuerat congruum naturæ humanæ, quæ nisi ex signis actus cognoscere non potest.* (Neque enim scire alius potest, quid alius velit, nisi signum adsit, ex quo voluntas queat colligi. Et huc facit illud *Moralistarum:* Qui periculo peccandi se exponit, omnino peccat. Pariter qui præsupponit alienæ voluntatis actum, ut inde suum jus doceat, utut signum idoneum non adsit, ex quo possit istum actum cognoscere, periculo peccandi se exponit.

II. Voluit *Grotius* hic quasi tacite adducere prima de actionibus voluntariis, cum internis, tum externis, elementa, ad quæ *Ethices Magistri* primo omnium auditores suos ducunt, ut viam ad accuratiora parent.

III. Pergit *noster: Signa nulla de animi actibus certitudinem habent mathematicam, sed probabilem tantum: nam & verbis eloqui aliud possunt homines quam quod volunt & sentiunt, & factis simulare.* Voluntas hominis fenestralis non est, ut alter alterius voluntatem introspicere possit, soli Deo voluntas certa esse potest, & prætera nemini. Nam & qui expressis verbis se rem suam derelinquere ait, forte diversum animum habuit, argumento *l. Divus Trajanus 24. D. de testamento militis, §. plane de testamentis I. Instit. eod. tit. l. an inutilis 8. D. de acce-*

acceptilatione, l. non solum 31. D. de obligationibus & actionibus, l. hæredes 57. §. cum ita 1. D. ad SCtum Trebellianum, l. obligationum 3. D. de oblig. & actionibus.

IV. Tandem non minus vere, quam eleganter, *noster* subjicit: *Neque tamen patitur natura humana societatis, ut actibus animi sufficienter indicatis nulla sit efficacia, ideo quod sufficienter indicatum est, pro vero habetur adversus eum, qui indicavit.* Nihilominus sufficit moralis certitudo, ut de quolibet, prout animum signis declarat, juste judicare queas, utut signa physice certa non sint, sed saltem satis probabilia. In moralibus certitudo sæpe liberum spatium habet.

V. In Scholis inter signa verbalia ac signa realia distingvi solet.

Alia signorum voluntatis distinctio.

§. 3. Utraque (cum verbalia, tum realia, ut Scholæ loqvuntur) signa sunt vel positiva vel negativa.

Signa verbalia positiva quid?

§. 4. Signa verbalia positiva sunt expressa verba ore prolata aut scripta: Exemplum petatur ex §. nostro *1*.

NOTÆ.

I. Scriptura gerit vicem sermonis. Eleganter *Paulus JCtus l. non figura 38. D. de obligationibus & actionibus* ait: *Non figura literarum, sed oratione, quam exprimunt literæ, obligamur: quatenus placuit non minus vale-*

valere, quod scriptura, quam quod vocibus lingua figuratis significaretur.

II. Etiam loquitur aut scribit, qui per alium loquitur vel scribit: Exempli gratia quando persona illustris per tertium sponsalia celebrat, sic verbis, adeoque signo verbali positivo, indicat inchoatam derelictionem juris in suum corpus.

§. 5. Signa verbalia negativa sunt omissiones verborum, quæ adhiberi debebant, hoc est, quando tacet, qui debebat loqui: Exempli gratia *qui rem suam ab alio teneri scit, nec quicquam contradicit multo tempore, is nisi causa alia manifeste appareat, non videtur id alio fecisse animo, quam quod rem illam in suarum rerum numero esse nollet, & hoc est, quod l. si finita 15. §. non autem 21. D. de damno infecto dixit Ulpianus ædes longo silentio videri pro derelicto a domino habitas.* *Signa verbalia negativa quid?*

[*Grotius* §. 5. *n.* 1.]

NOTÆ.

I. Hinc illa regula juris: *qui tacet, consentire videtur. Ulpianus l. sed quæ patris 12. D. de sponsalibus* sic effert; *Consentit, qui non repugnat. Paulus JCtus l. qui tacet 142. D. de regulis Juris*, ita: *qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare.*

Eun-

Eundem fere in modum *Grotius* noster: *qui sciens & præsens tacet, videtur consentire, quod & lex Hebræa agnoscit Num. XXX. 5. & 12. nisi circumstantiæ ostendant, quo minus loquatur, metu eum vel alio casu impediri.* *Dynus* regulam: *qui tacet, consentire videtur*, infallibiliter in eo valere ait, qui contradicendo poterat impedire, quod agebatur. Et quidni consensisset, si tacuisset, quando contradicendo impedire debuerat. *Parum juste*, rescripsit Pius Imperator, *præteritas usuras petis, quas omisisse te longi temporis intervallum indicat; quia eas a debitore tuo, ut gratior apud eum videlicet esses, petendas non putasti l. cum quidam 17. §. Divus Pius 1. D. de usuris. Baldus: qui spe futuræ gratiæ usuras non petit, eas remisisse videtur.*

II. Non tamen semper silentium est signum alienæ voluntatis, cum non raro actus hic vel ille positivum consensum alterius requirat: ita exempli gratia posito, ad firmitatem sponsaliorum requiri positivum sponsæ consensum, sponsalia non sunt valida, si puella interrogata, an velit nubere sponso, tacuit, nec silentium ejus dici potest signum voluntatis, quasi implicite consenserit.

Signa realia positiva quid?

§. 6. Signa realia positiva sunt veræ & reales actiones seu actus commissionis,

nis, ut in Scholis vocantur: Exempli gratia pro ſigno reali poſitivo derelictionis habetur abjectio, hoc eſt, *intelligitur derelictum, quod abjicitur, niſi ea ſit rei circumſtantia, ut temporis cauſa & requirendi animo abjectum cenſeri debeat. Sic chirographi redditione cenſetur remiſſum debitum. Recuſari hæreditas* (inquit *Paulus l. recuſari 95. D. de adquirenda vel omittenda hæreditate*) *non tantum verbis, ſed etiam re* (factis) *poteſt, & alio quovis indicio voluntatis. Sic ſi is, qui rei alicujus eſt dominus, ſciens cum altero eam rem poſſidente tanquam cum domino contrahat, jus ſuum remiſiſſe merito habebitur.*

§. 7. Signa realia negativa ſunt omiſſiones actuũ realium, ſeu, ut Scholis dicuntur, actus omiſſionis: *Sic amiſſum cenſetur id, cujus recuperandi ſpes projicitur, ut porcos a lupo raptos, & quæ naufragio amittimus, noſtra eſſe deſinere ait Ulpianus, non ſtatim, ſed ubi recipi non poſſunt, id eſt, ubi non eſt, cur credatur aliquis animum domini retinere: ubi nulla voluntatis indicia extant. Nam ſi miſſi eſſent, qui rem inquirerent, ſi pro-* *Signa realia negativa quid?*

miſſum

missum μὴ νῦν ἔχειν, aliud esse judicandum. Sic qui patitur res hæreditarias destrui, recusasse putatur hæreditatem. Nec enim suum quis dicere poterit, quod periens contemsit *l. unusquisque 2. C. de infantibus expositis.*

[*Grotius §. 5. n. 1.*]

NOTA.

Hæc de signis voluntatis alienæ ideo adferre placuit, ut melius meliusque constare posset, qua nempe ratione venire possimus in derelictonis ab altero factæ notitiam, quando nempe alter suum voluit derelinquere. Nam factam ab altero derelictionem sequi potest quasi originaria acquisitio, qua nempe alterius fit, quod alter dereliquerat, perinde ac si nunquam ullius fuisset.

DE RERUM DERELICTARUM OCCUPATIONIBUS. *Acquisitio quasi originaria derelicti quotuplex.?*

§. 8. Est igitur acquisitio quasi originaria derelicti duplex: 1. manifesto derelicti. 2. tacite derelicti.

NOTÆ.

I. De acquisitione originaria manifesto derelicti, quod sc. juste fieri queat, nulla dubitatio oritur, estque vera quædam occupatio, quia est acquisitio ejus, quod proprie nullius est: Exempli gratia acquisitio quasi originaria manifesto derelicti est, quando alter

alter alterius rem his verbis: volo ut non amplius mea ſit, abjectam ſucceſſu temporis occupaverat.

II. Sunt qui duos agnoſcunt acquiſitionis quaſi originariæ modos: occupationem, voce ſtrictius ſumta, & præſcriptionem, hique occupationem dicunt acquiſitionem originariam manifeſto derelicti: præſcriptionem vero acquiſitionem originariam ejus, cujus derelictio recte præſumebatur.

§. 9. Ad acquiſitionem quaſi originariam tacite derelicti, ut juſta ſit, multa requiruntur, & quidem maxime ſequentia: 1. ut poſſeſſio, in quam quis rem tacite derelictam vocavit & in qua habet, ſit bonæ fidei.

Requiſita acquiſitionis quaſi originariæ tacite derelicti. Requiſ. 1.

NOTÆ.

I. Ubi ſubeſt mala fides, non procedit præſcriptio, etſi per multa annorum millia continuetur poſſeſſio, ceu ex *Frantzkio*, JCto maximi nominis, celeberrimus JCtus Dn. *Zieglerus* notat, ſimulq; eruditiſſime monet, quod interim difficile ſit malam poſſeſſoris aut ejus anteceſſorum fidem probare, ut proinde præſumtio ſit pro poſſeſſore.

II. Et huc procul omni dubio reſpicit *noſter*, quando §. 7. ſic diſſerit: *Temporis memoriam excedentis ſilentium ad rei dere-*

lictæ conjecturam semper sufficere videbitur, nisi validissimæ sint in contrarium rationes.

Requisitum 2.

§. 10. Requiritur 2. ut *possessio* sit immemorialis, hoc est, ut *memoriam excedat.*

[*Grotius §. 9.*]

NOTÆ.

I. *Tempus memoriam excedens quasi infinitum est moraliter. Grotius §. 7.*

II. Non plane idem est tempus memoriam excedens cum centenario, quanquam sæpe hæc non longe abeunt, quia communis vitæ terminus sunt anni centum, quod spatium ferme solet ætates hominum, aut γενεὰς tres efficere, quas Antiocho Romani objiciebant, cum ostenderent repeti ab eo urbes, quas ipse, pater, avus nunquam usurpassent: nam γενεὰ est τριακονταετία, triginta annorum ætas. *Grotius §. 7.*

III. Etiam perbreve spatium quandoque moraliter longum dici potest, & ad derelictionis rectam conjecturam sufficere, si nempe derelicti natura exigat.

Requisitum 3.

§. 11. Requiritur 3. ut possessio sit continua, hoc est nullo signo verbali aut reali impedita, seu quod eodem redit, nec contradictione interpellata, nec facto turbata.

NO-

NOTÆ.

I. Tempus, quo possessio effectum proprietatis accipit, non est definitum, sed quantum satis est, ut derelictionem significet.

II. *Ut ad derelictionem præsumendam valeat silentium, duo requiruntur: ut silentium sit scientis, & ut sit libere volentis. Nam non agere nescientis, caret effectu: & alia causa cum apparet, cessat conjectura voluntatis.* Ut hæc duo adfuisse censeantur, valent & aliæ conjecturæ, sed maxime tempus id indicare potest. Vid. *Grotius noster* integro §. 6. ubi hoc eleganter declarat.

§. 12. Acquisitio quasi originaria, ut est tacite derelicti, vocatur *præscriptio*, item *usucapio*. *Præscriptio quid?*

[*Grotius* §. 12.]

NOTA.

Grotius sine discrimine his technicis vocabulis: *usucapio*, *præscriptio*, uti voluit, utut non ignoraret, quod sæpe in distinctis significationibus adhibeantur: Nam a plerisque traditur, *usucapionem* ad mobilia, *præscriptionem* ad immobilia pertinere. *Gl. in l. 2. D. de usuc. Gl. in princ. Instit. eod. tit. in verb. usucapiantur.* Passim tamen apud ipsos Jctos indifferenter hos terminos sumi,

 idem-

idemq; ex omnibus fere legibus *D. de usucap.* cognosci posse, *Vasquius* auctor est *Controvers. Illustr. l. 2. c. 51. n. 8. p. m. 199.*

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

Num præscriptio inter diversas gentes diversarumque gentium rectores obtineat, an vero sit purum putum inventum juris civilis?

§. I.

PRO NEGANTE SENTENTIA

PRo sententia negativa, quod nempe præscriptio inter diversos populos liberos populorumve rectores locum habere nequeat, merumque juris civilis inventum sit, sequens facere creditur argumentum:

ARG.

Si datur jus præscriptionis inter diversas gentes gentiumque rectores, sequitur, quod quantitatis sit efficacia sat magna.

Consequens est absurdum E. & antecedens.

Consequentia probatur, quia nulla alia circumstantia ostendi potest, unde jus præscriptionis inter diversas gentes gentiumq; rectores originem trahat, nisi esset circumstan-

ſtantia temporis, tempus vero eſt quantitas: Exempli gratia: cur hoc illudve territorium, quod ante optimo jure Regis alicujus fuerat, & adhuc ejusdem foret, niſi ab altero longo tempore poſſeſſum eſſet bona fide ſine contradictione, cur territorium non eſſet amplius iſtius, ſed alterius Regis, niſi vis eſſet temporis, ita ut dominium territorii novum unice tempore ab iſto Rege amiſſum, & alteri Regi tempore acquiſitum eſſet.

Abſurditas conſequentis patet inde, quia omnes ſaniores Philoſophi agnoſcunt nullam eſſe efficaciam quantitatis, nihil fieri a tempore, quamvis nihil non fiat in tempore.

§. 2. Pro contraria ſententia, quod nempe jus præſcriptionis non ſit mera lege civili introductum, ſed omnino inter diverſas gentes gentiumque rectores locum inveniat, hocce pugnat argumentum: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

Sine quo tranquillitas, ad quam omnes civitates inſtitutæ ſunt, obtineri nequit, hoc eſt juris civili latioris, & inter diverſas gentes gentiumque rectores obtinet. ARG.

Atqui ſine præſcriptionibus tranquillitas, ad quam omnes civitates inſtitutæ ſunt, obtineri nequit. E.

Præſcriptiones ſunt juris civili latio-

ris, & inter diverſas gentes gentiumq; rectores obtinent.

Majoris & minoris probationem petere facile erit ex iis, quæ *L. I. c. 1. quæſt. 6. integro §. 2. p. 325. & ſeqq.* attulimus.

RESP. AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

§. 3. Ad argumentum pro contraria ſententia allatum reſpondemus negando conſequentiam majoris. Etenim hoc largimur facile, quod quamvis jus præſcriptionis fiat in tempore, non tamen fiat a tempore. Alia certe quærenda eſt cauſa jus præſcriptionis parere idonea, tempus ex ſuapte natura vim nullam effectricem habet. Quando in probatione dicebatur, nullam aliam circumſtantiam oſtendi poſſe, unde jus præſcriptionis ortum trahat, hoc fruſtra dicebatur: Omnino a finis circumſtantia probatur, quæ in moralibus optima eſt probatio. Ad omnium gentium ſalutem pertinet, ut præſcriptioni locus relinquatur, ne dominia ac imperia ſint incerta, lites de territoriis ex litibus ſerantur, bellorum fomites nullo unquam tempore extinguantur, gentes, gentiumque rectores perpetui timores redintegrandorum bellorum, ſibi eripiendarum victoriarum, amittendi imperii & ſanguinis maneant.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occaſionem *Grotius* præbuit §. *1. 2. 5. 6. 7. 8. 9.* ſimulque veram ſententiam inſignibus teſtimoniis & exemplis illuſtravit egregie. Contrariam ſententiam nemo, quod

quod sciam, acrius prosecutus est, quam *Fernandus Vasquius*, JCtus Hispanus, qui usucapionem vel præscriptionem *mero jure civili receptam, L. 2. Controv. Illustr. c. 51. n. 23. p. 201. merum inventum juris civilis, ita, ut si jus civile non foret, præscriptiones aut usucapiones minime forent, ibid. n. 24. 25. & 28. inventum mere civile & civilissimum, n. 36. p. 202.* vocat, & nimis audacter scribit, nullibi sic declaratam fuisse hanc sententiam eo potissimum nomine notandam *eod. n. 36. p. 202.* imo audacter censet, *existimantes contrarium aut fabulari, aut ineptire, aut tyrannorum esse adulatores, c. 82. ejusd. L. n. 9. p. 307.* Et sane per totum *Controversiarum illustrium librum secundum*, hac fini potissimum conscriptum, iniquitatum ac absurditatum veram sententiam convincere voluit. Præcipua argumenta *dissertatione de Jure Imperii quæsito* sub qualicunque moderamine nostro ante biennium habita recensita & discussa videri in compendio possunt *§. 72. & seqq. usque ad §. 89. Vasquium* strenue secutus est *Johannes Friedericus Hornius in Politicorum Parte Architectonica L. 2. c. 9. §. 19. & sequentibus p. 505. & seqq.* quem feliciter castigavit *Achilles Epstein in Annotationibus & discussionibus suis p. 521. & seqq.* summorum virorum, *Grotii & Conringii*, exquisita doctrina usus.

Quæstio II.

An jus uſucapionis aut præſcriptionis etiam extendatur ad ſumma imperia?

Pro negante sententia

§. 1. Pro negativa facere videntur ſequentia argumenta:

Arg. I.

I. Si populus plane nequit alienari, ſequitur, quod præſcriptio non habeat locum in ſummis in populum imperiis.
Prius eſt verum E. & Poſterius.

Conſequentia probatur, quia præſcriptio locum non habet, ubi alienatio locum non invenit.

Prius probatur, quia populus nihil aliud eſt, quam multitudo liberorum hominum, liberi vero homines, uti non ſunt in commercio, ita nec poſſunt alienari.

Arg. II.

II. Cujus derelictio nequit præſumi, hoc nequit acquiri præſcriptione.
Atqui ſummorum imperiorum derelictio nequit præſumi E.
Summorum imperiorum derelictione præſcriptio nequit acquiri.

Major probatur, quia præſcriptio derelictionem præſumtam ſupponit.

Minor non eget probatione, cum ſumma imperia magnifieri ſoleant, & quis negaret ea eſſe maximi momenti, nec facile venalia?

III. Si

III. Si præscriptio summi imperii locum habere potest, sequitur, quod nondum natis jus suum tacite tali derelictione possit decedere. ARG. III.

Consequens adversatur naturali æquitati E. & Antecedens.

Consequentia probatur, quia nisi nondum natis jus suum tacite tali derelictione decedere posset, nihil ad tranquillitatem imperiorum ac dominiorum profecisset data præscriptionis ejusque juris definitio, cum pleraque talia sint, ut posteris debeantur.

Absurditas Consequentis, & inde orta naturalis iniquitas, patet facile: Quomodo enim nocere silentium poterit his, qui loqui non potuerunt? quippe qui nec existerent; aut quomodo aliorum factum aliis damno esse possit?

IV. Si semper licet subditis, si possint, in libertatem, eam scilicet, quæ populi est, se vindicare, sequitur, quod præscriptio summorum imperiorum locum habere nequaquam possit. ARG. IV.

Prius est verum E. & Posterius.

Consequentia per se manifesta est.

Prius a Vasquio probatur hoc prosyllogismo: Princeps summum imperium in populum justificat aut vi, aut consensu, aut tempore: Vi, quasi a majoribus hujus Prin-

cipis gens illa subacta fuisset: Consensu, quasi sponte sua gens illa majoribus illius Principis se subdidisset: tempore, quasi tanto tempore, cujus initii memoria hominum non esset, gens illa sub tali ditione ac imperio fuisset. At si vi fuerunt subacti, vi quoque se poterunt in suam laxitatem recipere; nihil enim tam naturale est, quam unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum fuit, omnisque res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, & quæque res de facili revertitur ad suam originem. Quod si consensu fuerunt facti obnoxii & subditi, is consensus sua natura revocabilis est, quasi ad suam, non ad sui Principis utilitatem se subdidisse videantur: Unde voluntatem mutare liberum esse debet, nam & quæ consensu fiunt, etiam inter vivos contraria voluntate dissolvuntur, & facilius quantum ad præsens negotium attinet, cum sponte sua se subjecerant, ad suam utilitatem suique commodam gubernationem, nam tunc propriæ utilitati renunciare, & ab ea recedere, liberrimum esse debet, etiam abutendo jure & rebus suis, neque enim quisquam voluntati & arbitrio suo eam legem imponere potest, a qua sibi recedere non liceat. Itaque Principi possem dicere, si vi me subjecisti, æqvum est, ut liberes me, quod si nolueris, cum primum vi aut clam potuerim me in laxitatem recipere, jure fecisse

cisse videbor: sin autem consensu meo subdidi me tibi, jam me pœnitet, & hac in re pœnitere mutareque voluntatem liberum esse debet. Si tempore immemoriali Jus quæsivisti, ego similiter, & longe facilius, tempore immemoriali laxitatem libertatemque contra te potui acquirere.

§. 2. Pro affirmativa sequentia argumenta adsunt: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

I. Si summa imperia in populum expresse derelinqui, & in alium populum, aut Regem, aut Senatum transferri possunt, sequitur quod ea etiam tacite derelinqui, aliique aut aliis acquiri possint, & per consequens præscriptio extenditur etiam ad summa imperia. ARG. I.

Prius est verum E. & Posterius.

Consequentia patet, quia consensus taciti & expressi eadem est regulariter virtus.

Prius supra *L. I. c. 3.* & præceptis & quæstionibus explicatum probatumque dedimus.

II. Si aliarum rerum, cum corporalium, tum incorporalium, præscriptio datur, uti quidem non civilis legis, sed legis civili latioris est, nempe gentium juris, sequitur, quod præscriptio uti juris gentium est, etiam ad summa imperia extendatur. ARG. II.

Prius est verum E. & Posterius.

Con-

Consequentia est prona. Est namque summum imperium res quædam incorporalis. Locum alias invenit cum originaria tum derivativa acquisitio imperiorum, quid igitur obstaret, quo minus summorum imperiorum præscriptio locum habere posset, & quidem eo facilius, quo magis summi imperii natura exigit continuam & sedulam curam, deque ejus derelictione citius faciliusque, quam aliarum rerum, judicari potest.

RESP. AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata ex genuinis morum principiis facile solideque responderi potest, & quidem

RESP. AD ARG. I.

Ad I. respondetur negando consequentiam majoris. Nam aliud est alienari populum, aliud alienari summum imperium in populum: Proprie cum populus alienatur, non ipsi homines alienantur, sed jus eos regendi, qua populus sunt. Hæc *Grotii nostri* responsio est *L.I.c.3. §.12. n. 2.* quam Dominus *Strauchius Dissert. Exot. 4. §. 12.* judiciosissime approbat, quando scribit: *Alienato imperio, non homines alienantur, sed jus imperandi, ut rectissime Grotius censet, multumque interest hac parte inter dominium rei familiaris & imperium. Illud enim jus in re & rei affectio, hoc res ipsa incorporalis est. Illud non est in commercio, sed subjectum ejus. Ideoque quo modo recte dicitur, jus imperandi alienari, non subditos, eodem*

perpe-

perpetuum diceretur, non rem familiarem, sed jus habendi rem propriam. Alii negant minorem. Et quando probationis loco dicitur, liberorum hominum non esse commercium: hoc alii volunt frustra dici, cum liber homo accipiatur in æstimationem: alii admittunt, tamen dicentes, populum non alienari, ut multitudinem liberorum hominum, seu qua parte populus dicit libertatem, sed in quantum civiliter est subjectus: eaque fini urgent distinctionem inter libertatem personalem & civilem, cujus supra *L. I. c. 1. §. 33.* mentionem fecimus.

Ad II. respondetur negando minorem. Pari ratione nec expressa derelictio locum habere posset, cum ne quidem præsumi queat, aliquem populum aut Regem a se summum imperium abdicasse. Imo si aliarum rerum & imperiorum, ut herilis in servum, derelictio præsumi potest, quidni etiam summorum imperiorum? Quid? quod multo probabilius sit, aliquem hanc vel illam rem dereliquisse, quam adhuc velle eam, si longo temporis intervallo nullam ediderit significationem idoneam, quod credibile non est, quenquam id, quod vult, longo tempore nullo signo indicare, maxime, quando id, quod vult, per naturam suam tale est, ut cura ejus negligi ab eo nequeat, qui hoc velit. Quando in probatione dicebatur, quod summa imperia magnificeri sole- RESP. AD ARG. II.

ſoleant, imo res ſint maximi momenti, h
quidem confeſſæ veritatis eſt, ſed quo m
joris momenti ſumma imperia ſunt, eo m
gis magisque humanæ ſocietatis intere
imperia tandem aliquando in certo & ext
controverſiæ aleam conſtitui, quam rem
quæ adjuvant conjecturæ, favorabiles p
tandæ ſunt, illudque Auguſti tenendum
eum virum bonum ac civem eſſe, qui pr
ſentem reipublicæ ſtatum mutari non vu
Accedit, quod quo major eſt ſummi imp
rii honos, eo majus eſt onus, cum non be
adminiſtratum hominem divinæ iræ redd
obnoxium: ac ſicut durum eſſet, qui ſe t
tores dicerent, damno pupilli litigare, ut
ad tutelam jus habeat; aut, qua ſimilitud
ne ad hanc rem *Plato* utitur, nautas nav
periculo certare, quis eorum potiſſimum
gubernaret: ita non ſemper laudandi, q
cum ſumma jactura, ſæpe & cum ſangui
innocentis populi, diſceptare cupiunt, qu
ejus populi rem ſit curaturus.

RESP. AD ARG. III. Ad III. reſpondetur negando conſ
quentiam majoris, quæ talis erat: Si præ
ſcriptio ſummi imperii locum habere po
eſt, ſequitur, quod nondum natis jus ſuu
tacite tali derelictione poſſit decedere
Nondum nati nullum habent jus: quomo
do igitur iis, quibus jus quæſitum non e
jus decedere poterit? Nulla ſunt acciden
tia rei non exiſtentis, ſeu ut Scholæ efferun

no

non entis nulla sunt prædicata. Si ergo populus, a cujus voluntate jus negandi proficiscitur, voluntatem mutet, hoc est, expresse vel tacite summum imperium derelinquat, nulla fiet injuria nondum natis, quorum, uti diximus, jus nondum existit, utut suo tempore jus essent habituri, nisi ii, e quibus nasci poterant, id ipsum jus dereliquissent, quod ut derelictum ab alio occupari juste poterat jureque præscriptionis proprium fieri. Imo; si stante præscriptione summi imperii nondum natis jus suum tacite tali derelictione posset decedere, eandem ob causam nec expressa derelictio summi imperii locum habere justaque esse posset. Mirum ni tandem dicatur, quod quamdiu spes prolis adest, pater nihil rerum suarum vel expresse vel tacite derelinquere possit, cum tamen dudum existentibus, qui expectabantur, hoc justo titulo tentet. Et annon in invitum populum juste acquiri imperium potest? Item annon certi temporis neglectu jus amitti potest, quod alias perventurum fuisset ad alios, atque ita etiam, ut extituris salva sit querela de iis, qui neglexerunt, nec tamen id propter is, qui rem neglectam acquisiverat, (quæ ad alios non pertinebat, nisi per eos, qui neglexerant, si scilicet non neglexissent) jus sibi quæsitum admittat, nullam quoque faciat injuriam iis, quorum alias illud jus futurum fuisset?

Ad

Resp. ad Arg. IV. Ad IV. respondetur negando prius,qu non tantum naturæ, sed & divino & ge tium juri adversum, evertendisque om bus rebuspublicis idoneum est. Probat nem prioris a *Vasquio* allatam quod attin utut eam immane quantum commendet lemque pronunciet, qua solidiorem nen unquam suppeditaturus sit,& *quæ id prop maxime notari debeat, quia nullus unqu eruditissimorum virorum, in cujus scripta i inciderit, sic declaraverit*, nihil in ea e quod non eruditum quemvis dedeceat nec impium sit ac falsum indignumque r tari. Primo quod de vi dicebatur, om um quidem sapientum consensione vim repellere licet, non tamen vis per se est ca sa justifica imperii quæsiti, sed tum dem idonea est jus parere, si justa vis sit, h est, quæ nullius jus violat aut tollit, pr prium jus (quod aut conservari aut repa ri aliter non poterat, tamen debebat, a salvo naturæ jure vi defendi, aut repar minimum poterat) salvat. At vero vel c cus videt, quod vis injusta foret, si popul vi subactus, postquam longa possession aut pacto victor jus nactus fuerat, vi in suam laxitatem se vellet recipere. Ir adeo verissimum hoc est, ut licet vel ma me injustissima vi populus subactus fuis si tamen fuisset pactio secuta, aut illi, c subegerat populum, a subacto fides da

sal

ſalvo naturæ jure vi ereptum ſummum imperium ſubactus populus vi repetere non poſſet. Urgebatur quidem, *nihil tam naturale eſſe, quam unumquodque eo modo diſſolvi, quo colligatum fuit, omnemque rem, per quaſcunque cauſas naſcitur, per easdem diſſolvi, & quamque rem de facili reverti ad ſuam naturam ſeu originem:* Sed fruſtra & frivole hoc urgetur. De eo quippe jam non eſt quæſtio, an quid ad ſuam originem reverti poſſit, ſed an & quouſque id juſte fieri queat? Imo certe non quæque res de facili ad ſuam originem revertitur: Qui fuerunt Troës, non de facili iterum fiunt: Qui nunc caulas inhabitant, non facile redeunt ad aulas: Præciſæ alæ non tam facile renaſcuntur. Hoc, quod unum quodque eo modo diſſolvi naturaliter poſſit, quo colligatum fuit, nullum Vaſquianæ ſententiæ patrocinium præbet, imo eam certiſſime deſtruit ac evertit. Nam ſive juſta, ſive injuſta vi invaſiſſet alius jura ſummi imperii in populum, titulus tamen quæſiti ſummi imperii nunquam fuiſſet injuſta invaſio aut injuſta poſſeſſio, ſed vel juſtum bellum, quo ſubactus fuiſſet populus, vel alias deſiiſſet cauſa injuſte poſſidendi pactoque jus acquiſitum fuiſſet: Si ergo eo modo populus recuperare civilem libertatem vult, quo amiſerat, ut naturalis ſit recuperatio, ſic eam debebit recuperare aut bello juſto,

aut pacto cum imperante inito. Non bello: non enim amplius res integra: Olim, ne civilis libertas amitteretur, certatum oportuisset. Nam servitutis periculum facere durum omnino erat, & ne id subiretur, cæteris paribus, honesta poterat esse certatio: At qui semel subactus demum deficit, non libertatis civilis amans dicendus est, sed servus contumax ac rebellis. Non pacto: non enim populum aut pacisci volentem, aut injustam possessionem quærentem, ut ea tandem in jus abeat, imperans exaudiet statim aut reprimere cessabit, dicet potius: Ne mihi jura imperii quæsita fuissent, o rebelles, vim adhibere debuissetis, at postquam mihi quæsita sunt, non recta, sed contumax ac desperata ratio vobis dictat, vi mihi eripiendum jus in vos quæsitum. Deinde quod *de consensu* a *Vasquio* notabatur, *quasi is sua natura revocabilis sit:* sane si hoc evinceret, consensum sua natura revocabilem esse, omnia in irritum cecidissent, nihilque unquam firmum ac stabile permanere posset, quocunque gestum fuisset nomine. Hoc stante, omnia momento mutarentur ac turbarentur, & nunquam certitudo negotiorum, promissorum, pactorum, contractuum, dominiorum, imperiorum esset, nusquam quoque tranquillitas reipublicæ secura. Ratio, qua assertionem suam *Vasquius* constringit & probare satagit, non melio-

melioris farinæ eſt, *conſenſus*, inquit, *ſua natura revocabilis eſt, cum ad ſuam, non ad ſui Principis utilitatem ſe ſubdidiſſe videntur, hacque in re pœnitere & voluntatem mutare liberum eſſe debet*: Enimvero utut populus ad ſuam utilitatem Principi ſe ſubjeciſſet nuncque pœnitentiam ageret, certe *μονομερῶς* acta nequaquam ſalutaris eſſe poſſet, quandoquidem novo actu voluntatis ab eo, quod a mutua pendebat voluntate, diſcedi niſi conjunctim nequit. Hoc ſane per ſe manifeſtum eſt, ineſt quippe in talismodi actuum natura, id quod *Vaſquius* veritate rei convictus amplius negare erubeſcit, dum aperte ſcribit: *ea, quæ duorum conſenſu fiunt regulariter, alterius tantum conſenſu diſſolvi non poſſunt, ſed demum contraria utriusque voluntate.* Ne tamen herbam porrexiſſe videretur, adjicit *hanc regulam juris fallere, quando is actus reſpiciebat principaliter alterius tantum utilitatem non utriusque*: Sed non pudet *Vaſquium* contra apertam veritatem loqui. Quam multi contractus pactaque ſunt tantum ob alterius partis commoda? Nec tamen id propter, niſi conjunctim, diſſenſu ſcilicet utriusque partis, deſinunt ſuamque vim amittunt. Quid? quod populi etiam ſe ſubdere potuerint, non ad ſui, ſed imperantis utilitatem, ad cujus rei veritatem & exempla *L. I. c. 3.* provocavimus, idque plu-

ribus rationibus ac quæstionibus deduximus. Tandem de tempore quod habet *Vasquius: Si tempore immemoriali jus quæsivisti, ego similiter & longe facilius tempore immemoriali laxitatem libertatemque contra te potui acquirere*, istud quidem totum sano sensu conceditur: Nulli namque dubitamus, quin is, cui jus imperii quæsitum fuerat, (si videat populum continuo tot manifestis factis, totque violentiæ modis luculentissimis affectare pristinam laxitatem libertatemq; publicā, nec tamen contradicat) diuturno silentio a sciente & volente profecto amittere iterum possit jus imperii quæsitum, nisi alia notabilis circumstantia accesserit, quæ eum ad silendum moverit. Nihil enim obstat, quo minus ut silentium populi scientis & libere volentis ad jus quæsitum Principi valuerat, sic longa patientia Principis sufficiat ad amittendum istud ipsum jus, quando nempe Princeps tamdiu tacuit, quod non alio videtur animo factum esse, quam quod jus quæsitum imperii vellet derelinquere. Sed inde nullatenus evincitur, quod justo titulo, scilicet temporis, populus jura imperii Principi quæsita possit invadere. Quam enim haberet æquitatem, ut Princeps jus imperii ante multos annos aut etiam secula sibi suisve majoribus quæsitum rebellione populi amitteret. Injuste ergo revocaret populus imperium

rium juste Principi quæsitum, eoq; uteretur non sine læsæ Majestatis crimine. Frustra igitur ac inepte *Vasquius* ita procedit: *Si solo tempore justificabatur subjectio, ergo solo etiam tempore & longe facilius justificabitur liberatio.* Nunquam enim solo tempore justificatur subjectio: nam tempus edax sceleris non datur, quæque ab initio injusta sunt, ea ex post facto nequeunt convalescere: ex tempore tamen tanto, quantum satis est, ut concurrat ad significandum consensum, causa cognosci potest, quæ jus peperit, tacitum scilicet pactum nunc accessit, cujus natura est, ut omne excludat jus μονομερῶς pœnitendi cum effectu.

§. 4. Occasionem amplissimam nanciscebamur ex toto *capite*, cujus totam magnitudinem hæc quæstio fere implet. Eandem materiam pro dignitate & ex voto solidissime tractatam cognoscere desideranti inspectio eminentissimi *tractatus de Finibus Germanici Imperii*, quo summus *Conringius* orbem literarium illustravit, abunde satisfaciet, ex cujus integro *cap. 19. p. m. 341. & seqq.* haberi poterunt. Reliqua *Vasquii* argumenta *dissertatione de Jure Imperii quæsito duobus abhinc annis sub nostro præsidio habita* collecta & decisa videantur. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæstio III.

An Princeps sit solutus legibus civilibus?

PRO NEGANTE SENTENTIA ARG.

§. 1. Pro negativa sequens adduci solet argumentum:

Si Princeps esset solutus legibus suis, non esset in mystico reipublicæ corpore proportio capitis & membrorum.

Consequens est absurdum, & naturali æquitati contrarium E. & Antecedens.

Consequentia patet: nam omnium Politicorum consensu Princeps & populus rempublicam velut mysticum quoddam corpus constituunt, ac ipse capitis, populus membrorum rationem obtinent: Sic jam nec populus Principis legibus obediret, nec itidem se iisdem legibus Princeps, atque ita populo conformaret, quæ quæso in mystico reipublicæ corpore capitis & membrorum esset proportio? Itaque Princeps obligabitur legibus non directe & ut caput est, sed per reflexionem, qua scilicet pars est totius communitatis: intellige eas leges, quarum & materia & ratio sunt universales, ut in æstimandis rerum pretiis.

Absurditas consequentis patet, quia æquitas naturalis partes vult componi ad rationem integri.

§. 2.

§. 2. Affirmativa ſententia probari poſſe videbatur inter alia ſequentibus argumentis: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

I. Cuicunque leges civiles latæ non ſunt, illum non obligant. ARG. I.

Principi (intellige, qui ſummæ rei præeſt & Majeſtatem habet) leges civiles latæ non ſunt E.

Principem leges civiles non obligant, ſeu quod eodem redit, Princeps eſt ſolutus legibus civilibus.

Major videtur ſatis manifeſta: Etenim eos ſolos obligat lex, quibus data eſt.

Minor probatur, quia lex civilis qua talis fertur a ſuperiori: Aut igitur ſibi ipſe princeps, aut alius ei tuliſſet legem: Non prius, nam nemo ſeipſo poteſt eſſe ſuperior: *neque* enim *imperare ſibi, neque ſe probibere quisquam poteſt l. ſi de re ſua 51. D. de receptis, qui arbitrium receperunt, ut ſententiam dicant:* Non poſterius, quia ſic non eſſet princeps, quia non amplius ſummæ rei præeſſet, nec haberet Majeſtatem.

II. Si Princeps obligatur ad ſervandam ſuam legem, aut obligatur per id, quod materiæ; aut per id, quod formæ rationem in illa habet. ARG. II.

At vero neque per id, quod materiæ; neque per id, quod formæ rationem in illa habet E

Princeps plane non obligatur ad serva
dam suam legem, adeoque est solut
legibus civilibus.

Consequentia est evidens, quia in fo
mali conceptu legis præter materiam
formam plura, quæ ejus naturam intrinse
constituunt, non involvuntur.

Quod ad materiam legis civilis attin
ejus rationem habet, ὃ ἐξ ἀρχῆς μὲν ὃ
διαφέρει, οὕτως ἢ ἄλλως, *id, quod ab i*
tio nihil refert, an sic vel aliter fiat, sicu
contrario legis naturalis materia est
πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν, καὶ οὐ
δοκεῖν, ἢ μὴ, quod ubique (in se) *eanden*
vim habet, & non quod (huic vel illi) *ita*
deatur vel non videatur, *V. Nic. c.10.* h
est, si materiam legis civilis spectemus, fu
damentum unice est indifferentia, quam
quod in legibus civilibus, qua talibus, m
teriæ rationem habet, sua natura involv
Hoc enim ipso, quo quid indifferens
nihil refert, an sic vel aliter fiat, cum no
trum oppositorum sua natura sit contr
honestatem; At vero quod ita se hab
id nisi sit conjunctum cum aliquo princip
a quo necessitatem accipiat, per se oblig
tionem nullatenus inducit; obliga
namque in suo formali conceptu nece
tatem importat alterum saltem opposit
agendi, denegata ad utrumlibet liberta
quod tamen id, quod indifferens est, p
mit

mittitt, ut ita ſine contradictione obligatio rei indifferenti, qua tali, attribui non poſſit. Jam ſi formam legis civilis, qua talis, ſpectemus, ea eſt voluntas, non quidem quælibet, ſed ejus, penes quem eſt majeſtas, quæ tanquam fundamentum præreqviritur: per hanc enim voluntas, quoties non conſilium dare, aut aliquid ſaltem permittere, ſed legem ferre intendit, ſuam habet efficaciam, ut rem alioquin in ſe & natura ſua indifferentem præcipiendo debitam, & vetando illicitam reddat, & ſic neceſſitate ſuperaddita, legem formaliter conſtituat. Plane eximia ſunt verba, quibus idem innuit *Franciſcus Suarez tractatu de legibus lib. III. de leg. hum. & civ. c. XX. n. 3. p. m. 162. Voluntas*, ait, *legislatoris eſt intrinſeca forma & anima legis. Probatur, quia lex eſſentialiter pendet in ſuo eſſe ac inſtitutione ab intentione legislatoris: nam licet ille proferat verba de ſe ſufficientia ad præcipiendum, & cum omnibus exterius requiſitis ad conſtitutionem legis, ſi non habeat intentionem ferendi legem, non feret illam, nec illa erit vera lex.* Idem teſtatur communis loquendi modus *JCtorum*, quando voluntatem legislatoris dicunt *ſpiritum & animam legis, Baldus in l. ſcire etiam D. de excuſ. tut. Tirnquellus in l. ſi unquã verb. ſi libertus n. 45.* Quia igitur Princeps, quantum ad præſens, eſt ipſe legislator, ſi iſte obligaretur per id, quod for-

mæ rationem in lege civili habet, sicut subditi obligantur ad servandam legem civilem voluntate legislatoris, ita legislator obligaretur propria voluntate; Sed hoc fieri nequit; Etenim si libera est Principis voluntas, non tantum quoad res, sed quoad personas, quibus præceptum injungit, sane nihil magis ex hoc principio de Principe præsumi debet, quam quod seipsum suæ libertati reservare intendat: Obstat quoque Principis conditio a subditorum sorte longe diversissima, quo minus Princeps se voluntate propria obligare præsumatur: Subditi enim nec sui juris sunt, nec quilibet eorum novit, aut si non novit, non tamen statim agit, quæ Reipublicæ sunt profutura. Hinc non tam conveniens saltem, quam omnino necesse est, ut definitam habeant normam, secundum quam actiones civiles instituant: ipse vero Princeps non tantum sui juris est, sed etiam ex eo, quod Rempublicam bene & ex virtute gubernat, suapte se ratione regere posse, nec certa lege civili, cui se semper, ut subditi, conformet, indigere præsumitur. *Ipsi enim lex sunt*, inquit *Aristoteles* de iis, qui cæteris in Republica *secundum virtutem & civilem potentiam superiores sunt*, *III. Polit. c. 13.* Illustrari res exemplis potest: Censebiturne Dominus, quando servo, aut parens, quando filio præcepit, seipsum inclusisse? Qua ergo de

de causa Princeps putandus esset seipsum, dum nempe subditos sibiipsis præesse nescios obligare voluit, quosque vi officii sui legibus gubernare tenebatur, obligare voluisse. Adime enim principi subditorum & boni publici curam, numquid de legibus civilibus ferendis ulterius quicquam cogitabit? Et quid clarius *Grotius* noster asserere potuisset, dum §. 12. n. 1. expresse scribit: *Sed nec* in Principe *voluntas*, qua scilicet seipsum obligare voluisset, quando subditos ea obligaverat, *præsumitur:* Addit rationem, *quia*, inquit, *legum auctores non censentur se velle comprehendere.* Nec est, quod dicatur, *Grotium* cautelam adjecisse & exceptionem, dum sic limitat effatum suum: *Legum auctores non censentur se velle comprehendere, nisi ubi & materia & ratio legis sunt universales, ut in æstimandis rerum pretiis:* Ea quippe cautio frustra adhibetur, si de eo præcisa quæstio sit: Num Princeps legibus civilibus qua talibus sit solutus? nam si Princeps dat subditis legem, in qua necessarium quid involvitur, vel immediate cum illa conjungitur, ut est lex taxans rei pretium, sufficiens ratio suppetit, ob quam obligetur, quia scilicet naturalis æquitas, non autem lex civilis qua talis id exigit. Et ne tandem objiciatur, non jam quæri, quid præsumendum sit, sed quid fieri possit, certe ponamus Principem habuisse animum seipsum

in

in numero eorum, a quibus legem vult
vari, comprehendendi, id propter nond
licebit sic argumentari: Si Princeps iden
quod subditis lege præcepit, voluit a sei
servari, sequitur quod lege sua, quaten
lex sua est, obligatus sit. Certe nisi ali
quid stet a tergo, quod necessitatem in
rat, Princeps propria voluntate, utut ea
luerat legem, quam subditis tulerat, a
servari, non magis obligabitur, quam c
vis alius, qui aliquid sibi agendum vel
mittendum proponit, ut tamen, quando
bet, sine peccato postea voluntatem & p
positum mutet, oppositumque eligat.

Exceptio. Video, quid hic excipi poterat, nemp
hoc, quod omnino aliud quid detur a *G*
tio nostro feliciter satis & sat aperte mo
stratum, dum scribit cit. §. *12. n. 1.* *Ut q*
legibus obligetur, requiritur in legis auct
& potestas & voluntas, saltem præsumta.
his forte colligi posse videbatur, *Grotium*
hoc velle, quod voluntas legislatoris
summa potestate hanc efficaciam accipi
ut ea legislator, qui alioquin seipsum ob
gare nequivisset, semet obliget.

Solutio. Verum utut hæc admittamus lubenti
me, quod ad obligationem civilem requ
rantur in legis auctore & potestas & volu
tas, ita ut legibus civilibus obligari sine l
gislatoris voluntate & potestate nem
queat. Interim si accurati esse velimus,
ho

hoc, ut quis legibus civilibus obligetur, non ſufficiunt poteſtas & voluntas in legislatore: Imo, formaliter non requiruntur in legislatore voluntas & poteſtas, ad hoc, ut quis lege civili obligetur, ſed ut quis lege civili obliget. Nempe poteſtas requiritur ut fundamentum, cui obligatio civilis, ut civilis, hoc eſt, ab ipſamet lege civili inducta, innititur: namque auctor legis ſumma, qua pollet, poteſtate, ut aliquid ſit lex civilis, efficit, quod ipſum etiam deligere alii v. gr. qui principi legem juſſuro a conſiliis ſunt, & proponere poterant: Ita leges ſcribere, non præſcribere potuerunt, Spartanis Lycurgus, Athenienſibus Solon, Romanis ſuis Romulus, Numa & cæteri, qui in Rebuspublicis non Monarchicis Legumlatores audiunt, quia caruerunt majeſtate, cujus & primum, & proprium, & incommunicabile jus eſt, leges præſcribere. Voluntate vero opus eſt, in quantum eſt actus determinans & perſonas, quibus; & objectum, ad quod, vi poteſtatis civilis, obligatio civiliter induci debet, ut ita voluntas ſaltem requiratur, ut exercitium & uſus ipſius, quæ requirebatur, poteſtatis. Requiritur ergo ad hoc, ut quis civili lege obligetur, aliqua aptitudo, per quam aptus ſit terminare obligationem, a voluntate legislatoris, vi poteſtatis civilis inductam. Neque enim poteſtas hæc ita principi competit, ut quemcunque
velit

velit, ſua voluntate obligare poſſit: alias etiam eos obligaret, quos extra Rempublicam ſuam invenit, quod tamen non conceditur. Unde uti requirebatur in legis auctore & poteſtas & voluntas, ut obligaret alterum lege civili: ita, ut quis obligetur lege civili, in legis ſubjecto requirimus & poteſtatis civilis carentiam, & dependentiam ab illa; Quo ſtante, omnino propria Principis voluntas inefficax erit ad obligationem ipſi Principi inducendam: Nam poteſtas civilis, per quam alias voluntas Principis apta redditur ad hoc, ut obliget, etſi ſemper penes Principem manet, etiam tunc, cum a ſeipſo idem, quod a ſubditis, vult fieri vel omitti, tamen voluntati ipſius non utrinque pariter, tam ſcilicet ipſius, quam ſubditorum reſpectu, efficaciam obligandi largitur. Nec enim dici poteſt de Principe, quod poteſtate ſumma careat, nec, quod ab altero eam habente dependeat. Sicut ergo ſubditi per hoc, quod poteſtate civili carent, & a Principe, eam habente, dependent, apti tantum ſunt, ut obligentur, non vero ut obligent: ita e contrario Princeps per hoc, quod ſumma poteſtate in civitate pollet, nec quantum ad illam ab alio dependet, aptus eſt tantum, ut obliget, non vero ut ipſemet, vi illius, obligetur. Neque enim ſummæ poteſtatis, cum in ſtatu Monarchico eſt penes unam perſo-

personam, alia erit ratio, quam in statu populari, in quo potestas toti multitudini competit in singulos, ita tamen, ut multitudo ipsa per potestatem sibi competentem nequaquam obligetur. Ita *Aristoteles IV. Politic. c. 4. Talis*, inquit, *populus, utpote absolutam potestatem habens, dominari solus quærit, nec ulli legi subesse, efficiturque dominator.* Hinc perplacet, quod *Grotius* noster ait: *Se per modum legis, id est, per modum superioris, obligare nemo potest: & hinc est, quod legum auctores habent jus leges suas mutandi:* Quod vero addit: *Potest tamen quis obligari sua lege, non directe, sed per reflexionem, qua scilicet pars est communitatis:* Ad hoc jamjam pluribus respondebitur.

§. 3. Ad Argumentum pro contraria sententia allatum respondetur negando consequentiam majoris, quæ talis erat: *Si princeps esset solutus legibus suis*, intellige legibus civilibus qua talibus, *non esset in mystico Reipublicæ corpore proportio capitis & membrorum.* Quod vero probationem consequentiæ attinet, quando dicebatur, *omnium Politicorum consensu Principem & populum Rempublicam velut mysticum corpus constituere, ipsumque capitis, populum membrorum rationem obtinere:* hoc verissime dicebatur, istudque lubentissime ab omnibus admittitur. Sed quando addebatur: RESP. AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

tur: *Si jam nec populus principis legibus obediret, nec itidem se iisdem legibus Princeps, atque ita populo, conformaret, quæ quæso in mystico Reipublicæ corpore capitis & membrorum esset proportio?* ad hoc respondetur, omnino capitis & membrorum futuram esse proportionem in mystico Reipublicæ corpore: Sicut enim in vero ac propriissime sic dicto corpore non requiritur ad proportionem capitis & membrorum, ut idem caput præstet, quod reliqua membra: Ita v. gr. pedes ambulant, & utut pedum officium sit ambulare, id propter nõ idem exigitur a capite; sufficit ad capitis & pedum in vero corpore proportionem, ut pedes ambulent, caput dirigat pedes in ambulando: membris quippe humani corporis suum cuilibet adsignatum est officium: manuum est apprehendere, operari, pedum ambulare, capitis omnium membrorum actiones ordinare: neque hæc officia inter se confunduntur. Nunquam sane pedem manumve involare in jus capitis animadvertes, nec caput reliquorum membrorum subire munera. Quidni vero idem satis commode aptari ad Rempublicam posset, ita ut in mystico ejus corpore ad capitis & membrorum proportionem satis sit, si subditi obligentur legibus civilibus, non obligent, Princeps vero non obligetur legibus suis civilibus, sed iisdem obliget subditos

tali-

talique directione efficiat, ut subditi (sit locutioni venia) in legibus suis civilibus ambulent. Certe quod valet in uno dissimilium, cur non etiam valeret in altero? Imo uti nulla amplius esset proportio capitis & membrorum, si capitis æque ac pedum esset ambulare: Ita nulla esset proportio Principis & subditorum, si princeps, æque ac subditi, in numero obligatorum viveret. Ut nihil nunc de eo dicamus, quod ex loco similium argumenta peti debeant confirmantia, unde prius aliunde probari debuisset id, quod erat in quæstione. Quia vero tandem adjiciebatur: *Itaque Princeps obligabitur legibus non directe & ut caput est, sed per reflexionem, qua scilicet pars est totius communitatis, intellige eas leges, quarum materia & ratio sunt universales, ut in æstimandis rerum pretiis,* & vero id majori probabilitate dictum videri poterat, lubet illud paulo accuratius expendere. Ponamus casum: Princeps tulit legem taxantem pretium certæ rei, quæritur, annon Princeps obligatus sit sua lege civili, ne rem carius vendat? Videtur omnino eum, quia legis materia de se universalis & ratio communis est, lege sua obligatum esse, adeo ut si rem carius vendat, peccet contra legem & teneatur ad restitutionem. Sed licet omnino concedamus legis, qua rei pretium æstimatum ac definitum est, materiam & ratio-

 nem

nem esse de se universalem ac communem, largiamur quoque ob communem hanc rationem fieri, ut Princeps rem carius vendendo peccet, inde tamen nondum sequitur, Principem obligari sua lege, hoc est, civili qua tali: quippe materia & ratio talismodi legum, ut universales sunt, non sunt leges civiles qua tales, sed arguũt aliquid per se ac suapte natura debitum, in quantum præcise & per se ob commercia & contractus dantur, in quibus naturalis æquitas subditis non magis quam Principi æqualitatem servandam imponit. Ita nos docet ipse *Grotius* noster, quando *L. II. c. 12. §. 8.* expresse scribit: *In contractibus natura æqualitatem imperat, & ita quidem, ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti.* Excipis: Jus naturæ præcipit quidem in contractibus æqualitatem, non tamen æstimat rei pretium, sed in arbitrio principis relinquit, qui suo arbitratu æstimare ac definire, & quando vult, aliud in locum ejus substituere potest. Si ergo Princeps obligatus est, ut modo concedebatur, ne æstimatam rem carius vendat, nec tamen naturaliter obligatus est, omnino erit obligatus ad servandam legem taxantem rei pretium, quatenus ea lex civilis est. Enimvero non jam de eo dicemus, quod non semper sit in arbitrio Principis situm, quanti ea, quæ in hunc vel illum contractum veniunt, sint æstimanda,

Exceptio.

Solutio.

da, cum mensura ejus, quod res quæque valeat, maxime naturalis sit indigentia, ut *Aristotelem* recte ostendisse censet *Grotius* noster *l. 2. c. 12. §. 14.* unde quoties Princeps in æstimandis rerum pretiis indigentiam humanam, ceu communem & maxime naturalem mensuram observaret, toties pretium ab ipso æstimatum omnino esset per se necessarium ad æqualitatem, quam natura imperat, nec præcise Principis arbitrio definitum: quia tamen indigentia non est unica mensura; transeant hæc, imo esto liberum Principis arbitrium hujus istiusque pretii mensura, sicuti revera esse potest, nec raro est, nequaquam tamen inde evincitur, Principem lege civili qua tali esse obligatum, utut ad servandum commune pretium, quod præcise suo arbitratu æstimaverat, obligatus sit. Nam licet hac ratione materia legis pretium rerum æstimantis sit in se indifferens, in quantum in Principis potestate erat, ita, vel aliter, pretium æstimare ac definire, tamen in quantum per se ordinatur ad exercenda commercia & ineundos contractus, in quibus vi legis naturalis æqualitas servari debet, omnino aliquid quod per se ac suapte natura debitum est, secum trahit, ratione cujus pretium illud, posteaquam a Principe æstimatum fuit, non magis subditos, quam ipsum Principem obligat, non quia ipsemet sic definivit,

 sed

ſed quia alias injuriam inferret iis, quibus cum ſibi contrahendum eſt, ſi non eodem, quo illi, pretio uteretur. Nempe hic perinde ſe res habet ac in aliis actibus, quorum initium eſt voluntatis, effectus vero neceſſitatis: Sicut enim ab initio eſt voluntatis, num Princeps velit contractum inire, promittere aliquid, poſtea vero effectum habet neceſſitatis, ita ut contractum inire, promiſſum ſervare neceſſum habeat: Ita voluntatis erat rei pretium æſtimare ac definire, neceſſitatis rem, quam emere aut vendere voluerat, juſto pretio emere aut vendere. His ita ſtantibus, nondum liquet, quid diſtinctio a *Grotio* allata inter obligationem directam & reflexam contra aſſertam Principis libertatem a legum ſuarum obligatione evincat. *Se*, inquit, *per modum legis, id eſt, per modum ſuperioris obligare nemo poteſt: & hinc eſt, quod legum auctores habent jus leges ſuas mutandi: Poteſt tamen quis obligari ſua lege, non directe, ſed per reflexionem, qua ſcilicet pars eſt communitatis ex æquitate naturali, quæ partes vult componi ad rationem integri.* Diſtinguit *Grotius* noſter inter Principem, *ut eſt pars civitatis, & ut totius civitatis perſonam atque auctoritatem ſuſtinet.* Clarius namque hanc diſtinctionem effert, mentemque ſuam declarat *lib. II. c. 20. §. 24. n. 1.* his verbis: *Legis auctor aliquo modo legibus ſuis obligatur, ſed*

hoc

hoc diximus c. 4. §. 12. verum esse, quatenus auctor legis ut pars civitatis spectatur, non qua civitatis ipsius personam atque auctoritatem sustinet. Sed merito aliis accuratius dijudicandum relinquimus, quidnam *Grotius* intelligat per legem, quando scribit: *Potest quis obligari sua lege per reflexionem, qua scilicet pars est communitatis.* Aut enim intelligit legem civilem qua talem, aut in quantum aliquid, quod per se ac suapte natura debitum, involvit. Si hoc, non est contra nostrum assertum, quod de legibus civilibus qua talibus intellectum volumus: nec facile datur assequi, qua ratione accuratus Philosophus inde inferre possit, quod sua lege quis obligari possit, ut sua lege: In tali quippe casu Princeps obligabitur sua lege non ut sua, sed naturali, quæ in lege sua ex necessitate materiæ involvitur: Huc facit, quod laudatus *Grotius* noster alibi hanc suam assertionem ipse hoc modo explicet, dum *cap. 14. §. 1. n. 2.* ad hanc distinctionem (quam videlicet *c. 4. §. 12.* tradiderat) provocans ita disserit: *Nos, ut alibi distinximus, ita hic quoque distinguendum censemus inter actus Regis, qui regii sunt, & actus ejusdem privatos. Nam in regiis actibus, quæ Rex facit, eo loco habenda sunt, quasi communitas faceret: in tales autem actus sicut leges ab ipsa communitate facta vim nullam haberent, quia communitas seipsa*

superior non est, ita nec leges regiæ. Pergit §. 2. *At privati actus regis considerandi sunt non ut actus communitatis, sed ut actus partis, ac proinde facti eo animo, ut communem legum regulam sequantur. Unde etiam leges, quæ actus quosdam aut simpliciter, aut si is qui læsus est velit, irritos faciunt, locum & hic habebunt, quasi sub ea conditione contractum foret. Poterit tamen rex ut aliorum, ita suos actus his legibus solvere; quod an facere voluerit, ex circumstantiis erit æstimandum. Si fecerit, judicanda res erit mero ex jure naturali.* Videatur ibidem pluribus. Si illud, (hoc est, si *Grotius* intelligit legem qua talem,) difficile erit *Grotium* ab omni contradictionis periculo immunem præstare. Implicat enim contradictionem, unum eundemque simul habere eandem summam potestatem, & non habere eandem summam potestatem: Jam vero si Princeps obligaretur lege civili qua tali, omnino simul haberet & non haberet summam potestatem. Nam quod dicitur diversum respectum tollere contradictionem, ita ut majestatem non habeat Princeps, prout scilicet pars communitatis est, & adhuc habeat, ut totius civitatis personam sustinet, de eo lis est sub judice, an diversus sit respectus, cum idem Princeps ad seipsum refertur secundum idem, quippe

sem-

ſemper ſermo eſt de obligatione ad leges civiles qua tales.

§. 4. Niſi *Grotius* noſter hujus circa leges civiles tritæ, & tam apud *Jureconſultos* (ad *l. Princeps 31. D. de legibus*, ubi *Ulpianus* ait: *Princeps legibus ſolutus eſt: Auguſta autem, licet legibus ſoluta non eſt: Principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quæ ipſi habent*. Et ad *Nov. CV. cap. 2. Omnibus a nobis dictis Imperatoris excipiatur fortuna, cui & ipſas DEUS leges ſubjecit, legem eum animatam mittens hominibus*) quam *Philoſophos* agitatæ quæſtionis ſat amplam occaſionem *pluribus in locis*, inprimis vero hocce *capite quarto*, ut & *duodecimo* ac *vigeſimo*, ſuppeditaſſet. Aliud interim nobis eſt *legibus obligatum eſſe* & *legibus vivere*. Illud de Principe negantes, adhuc tamen bonum eſſe putamus, ſi Princeps his illisve legibus vivat. Nam ſicut heliotropium ſolis curſum imitatur: ita ſubditi inſtituendæ vitæ regulam ab imperantium exemplo mutuantur, ſibique præcipi credunt, quod imperantes faciunt: Quippe hoc plebis ingenium eſt, ut magis oculis credat, quam auribus, & magis, ſi exemplis quam verbis excitetur. Hinc in veteri verſu eſt: OCCASIO QUÆSTIONIS.

Præſul ut amptruat, inde & volgu redemptruat olli.

Et *Claudianus*:

- - - - - componitur orbis

Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
humanos edicta valent, quam vita regentis.

Idem *Vates* sub Friderici I. Imp. persona ostendere voluit,

- - *nihil,* canens, *ut verum fatear, magis esse decorum*
aut regale puto, quam legis jure solutum,
sponte tamen legi sese supponere regem.

Gunth. Ligur. l. 8. unde etsi Principes legibus civilibus qua talibus soluti sunt, præclare tamen egerint, si cum *Severo* & *Antonino* dicant: *Licet legibus soluti simus, attamen legibus vivimus*, quo decentior cum membris capiti convenientia sit, quove efficacius ad id servandum, quod legibus civilibus qua talibus jussum est, subditos inducant, si ultro se suis legibus conforment. Interim uti non peccat subditus, quoties in rebus nulla plane lege ei prohibitis boni Principis exemplo se non conformat, utut decebat subditum Principis præeuntis exemplum in rebus indifferentibus sequi: ita nec Princeps evadet peccator, qui legibus non vixerat, quia id fieri non debebat, saltem decebat. Neque vero, quod obiter addimus, *Moralistarum* distinctio inter *obligationem civilem directivam* & *coactivam*, quasi ab hac, non item ab illa Princeps liber sit, quicquam in recessu habere cernitur:

tur: nam lege sua dirigere seipsum non est obligare lege sua seipsum, cum civiliter obligans & obligatum requirant distinctas personas, nec distincti respectus queant sufficere. Accedit, quod ex ipsorum *Moralistarum* sententia *obligatio directiva* tendat ad *culpam*, quam commereatur Princeps, si contra legem civilem, qua directive obligatus dicebatur, agat; *obligatio coactiva* vero ad *pœnam*: At quia *reatus* & *culpa* realiter ab invicem separari nequeunt, imo ne quidem realiter differunt, *obligationem directivam* sine *coactiva* dari fortassis plane repugnat. Scripsit *Jenæ* egregiam *Dissertationem de hac quæstione* celeberrimi nominis Philosophus & Theologus νῦν ἐν ἁγίοις *D. Petrus Musæus*, quem κατὰ πόδα in pluribus ad hanc materiam attinentibus sequi voluimus. Plura argumenta pro utraque sententia collecta exhibet *Dissertatio* sub nostro moderamine habita, cui titulus: PRINCEPS EXLEX.

CAPUT V.

De

MODIS, QUIBUS VARIA VARIARUM SOCIETATUM IMPERIA ACQUIRUNTUR.

§. I.

Imperium quid?

IMperium est facultas moralis alius personæ actus jussibus dirigendi.

NOTÆ.

I. Supra *L. I. cap. 1. §. 13. p. 34.* & *cap. 3. §. 14. p. 378.* Imperium sic definivimus: *Imperium est potestas in alium aut alios cum jure puniendi aut coercendi conjuncta.* Sed res tandem eodem redit, ut intimius rem penetranti liquere potest.

II. Est imperium ex numero communium πρὸς ἕν, sicque accurata definitione ejus generalis notio exprimi nequit.

Varietas imperiorum.

§. 2. Variant autem imperia pro varietate negotiorum in qualibet societate.

NOTÆ.

I. Majus enim & notabilius regimen in ea requiritur societate, in qua majora & plura, quam ubi pauciora minorisque momenti negotia procurantur.

II. Proinde imperium in societatibus majoribus magis tale audit quam in minoribus.

III. Sicut igitur imperii natura in omnibus societatibus non æque obtinet, sed prout negotia societatum majoris minorisque momenti sunt, nunc majus, nunc minus est, modo amplos, modo restrictos limi-

tes

tes habet: ita ex professo hanc materiam & ex dignitate persequi cupientibus expedier omnes ac singulas societates, earum causas, personas, ex, quibus constant, omnium que officia ac negotia ordini ac decenti cura adhibita lustrare.

IV. Quia nobis brevissima via eundum est, satis erit ea tetigisse, quæ introductionis loco sufficere videbantur, & quidem de eo potissimum solliciti jamjam erimus, quibus modis præcipue varia imperia acquirantur.

§. 3. Imperium est vel societatis minoris, vel societatis majoris. *Imperii divisio.*

NOTA.

Omnibus quippe nota est divisio societatis in primam seu minorem, item simplicem: & secundam seu majorem, item compositam.

§. 4. Minoris societatis imperium est vel *maritale*, vel *patrium*, vel *herile*. *Imperium minoris societatis quotuplex?*

[*Grotius c.5.§.2.8.& 27.*]

NOTA.

Minor enim societas alia est nuptialis, alia paterna, herilis alia, ceu omnibus ex *Politicis* liquet.

§. 5. Imperium maritale est imperium mariti in uxorem. *Imperium maritale quid?*

§. 6.

Quo titulo imperium maritale quaratur? §. 6. Acquiritur marito imperium in uxorem ex mutuo utriusque *consensu*, natura sic volente sic jubente.

[*Grotius* §. 8. n. 1.]

NOTÆ.

I. Eleganter hoc ita exprimit *Grotius noster* his verbis: *Consociatio maxime naturalis in conjugio apparet, sed ob sexus differentiam imperium non est commune, sed maritus uxoris caput, nempe in rebus conjugii & in rebus familiæ. Nam uxor pars fit familiæ maritalis. §. 8. n. 1.*

II. *Conjugium* igitur *naturaliter esse existimamus talem cohabitationem maris cum fœmina, quæ fœminam constituat quasi sub oculis & custodia maris. Grotius §. 8. n. 2.*

III. Cùm conjugium sit contractus, essentialissimum requisitum ex parte efficientis consensus est.

Imperium patrium quid? §. 7. Imperium patrium est imperium parentum in liberos.

NOTA.

Utrique parentum jus acquiritur in liberos, patri ac matri: sed si contendant inter se imperia, præfertur patris imperium, ob sexus præstantiam.

Quo titulo imperium patrium quaratur? §. 8. Acquiritur parentibus imperium in liberos ex mutuo consensu, qui ex

ex parte parentum expressus adest, ex parte liberorum vero præsumtus.

NOTÆ.

I. Rectissime enim præsumitur, nec a naturalis æquitatis amante aliter salva veritate præsumi potest, quam quod liberi, modo tunc temporis, quando non potuerunt, potuissent quantum ad hoc negotium consensum suum exprimere, a quonam potissimum educari & sibi prospici velint, suos parentes præ cæteris nominaturi fuissent, cum nemini liberorum salus curæ cordique magis futura sit, quam parentibus, qui, dum liberos amant, recte φίλαυτοι sunt, hoc est, naturali amore seipsos proseqvuntur. Amat enim parens partem sui, dum liberos amat, qui fictione *juris naturalis* sunt quasi partes parentum, uti *juris civilis* fictione pater & filius una persona dicuntur.

II. Dici poterat, quod si liberis de parentum misera conditione, naturæ animique vitiis constaret, sæpenumero consensuri non essent in imperium parentibus relinquendum. Sed respondetur 1. quod maxime ad statum naturalem societatis patriæ respiciendum sit. 2. quod sui conservationem ac educationem appetere necessum habeant, nec vero alium quærere aut invenire possint, a quo hæcce talia possint exigere.

III. Di-

III. Dicis: Si parentes ex libero consensu imperium in liberos acquirunt, ergo non obligati sunt ad hoc, ut liberos regant. Respondetur: Consensus ille liber erat in sua causa, necessarius ex post facto: liberrimæ enim voluntatis erat inire societatem nuptialem, qua inita postea necessum fuit, ut quia pater voluit sobolis procreationem, nunc quoque ejus curam & educationem vellet.

IV. *Grotius noster* §. *1.* asserit parentibus jus in liberos quæsitum esse ex generatione, dum expresse scribit: *Generatione parentibus jus acquiritur in liberos*, unde videri primo intuitu poterat, ac si a *Grotio* secessum quæsivissemus. Sunt enim, qui *Grotium nostrum* reprehendunt, eo quod parentibus jus imperii in liberos acquiri generatione dixerit, cum in consensu tale jus quærere debuisset. Verum salvo meliori judicio videtur nobis, ac si hæ duæ assertiones consistere simul optime possint, & quando jus in liberos parentibus *consensu*, & quando *generatione* acquiri dicitur. Quod consensu acquiratur, in antecedentibus ostendimus, paucissimis jam ostensuri, quod acquiratur generatione: nam si generatione acquiritur finis, qui est soboles, etiam medium ad hunc finem necessarium scilicet educatio acquiritur: educatio vero sine jure imperii esse nequit. Quomodo enim

nim parens filium educare posset, nisi simul potestate eundem coercendi instructus esset. Nos igitur consensus impressi, *Grotius* expressi mentionem facere voluit, hoc est, consensus ille, quo acquiritur patri imperium, ex parte patris per generationem sese exerit & exprimitur.

Imperium herile quid?

§. 9. Imperium herile est imperium domini in servum.

Quo titulo imperium herile quaeratur?

§. 10. Acquiritur domino imperium in servum nunc ex mutuo utriusque consensu, nunc contra servi voluntatem. Ex mutuo utriusque consensu, *quando quis se dat in servitutem perfectam, ut illi apud Germanos, qui novissimo aleae jactu de libertate contendebant, victus vero, teste Tacito, voluntariam servitutem adibat. Etiam apud Graecos, ut narrat Dion Prusaensis, innumeri cum liberi essent, se in servitutem dabant, ut ex contractus formula servirent.* Contra servi voluntatem acquiritur domino jus in servum, ut: *jure belli, jure poenae; jure nativitatis.*

[*Grotius* §. *27. 29. & 32.*]

NOTA.

Egimus de hujusmodi acquisitionibus supra *lib. 1. c. 3. §. 17. & seqq. p. 378. & seqq.*

§. 11.

III. Imperium in civitatis subditos primario & per excellentiam imperium, item imperium civile dicitur. Ratio est, quia civitas *est perfectissima societas: neque ulla est actio hominis externa, quæ non ad hanc societatem aut per se spectet, aut ex circumstantiis spectare possit.*

IV. Quod nunc uni, nunc pluribus jus imperii quæsitum sit, omnibus liquet, quotquot receptam Monarchiæ & Polyarchiæ, hujusque iterum cum simplicis, tum mixtæ, doctrinam admittunt.

V. Inter modos, quibus jus imperii civilis quæritur, alii ad acquisitionem originariam, alii ad derivativam pertinent: Non enim aliis imperia civilia quæruntur modis, nisi quos vel natura omnibus hominibus injunxit, vel mutuo quodam consensu gentes moratiores pepigere.

VI. De his vero omnibus ac singulis fusius actum est in integra *Dissertatione* sæpius citata *de jure imperii quæsito.* In specie, quod jura societatis nuptialis attinet, quibus *Grotius noster* maximam hujus capitis partem confecit, ea omnia enucleatius expendimus in nostris *notis & animadversionibus in Roberti Scharrockii libellum de moralitate concubitus variisque illiciti concubitus speciebus* nostra cura publicis typis excusum, quo B. L. remittimus. Et quia, ut ocularis inspectio *quinti capitis libri II. de*

J. B. & P. luculenter docet, *Grotius* præcipue quæstionum, quæ matrimonia attinent, materiam attigit, illas ipsas vero occasione *Scharrockiani libelli*, quantum ad instituti rationem sufficit, expendimus, ejusmodi quæstiones breviter hic tangemus, aliis duabus simul adjectis.

VII. Acquisitio imperiorum est vel originaria vel derivativa, æque ac supra *cap. 2. hujus libri* dominiorum acquisitio distinguebatur: Ita qui hominem liberum primo sibi subjicit, originarie acquirit imperium herile, & quando alteri eum vendit, servus alterius fit acquisitione derivativa. Non tamen semper hæc distinctio obtinet. Ita *imperium paternum ita sequitur ipsam patris personam ac σχέσιν, ut avelli transferrique in alium non possit, Grotius §. 5.* nisi forte quasi derivativam acquisitionem imperii paterni dicere volueris eam, qua tutor ex ultima patris voluntate imperium in pupillum acquirit, utpote qui in patris locum quodammodo succedit, & cui quasi filialis obedientia, honor & reverentia debentur, non tamen in eodem gradu, quo parenti, sed aliquantum minore. Quodammodo quasi derivativam talismodi acquisitionem dici posse credibile est, modo attendamus, quod, quia Deus & natura non deficiunt in necessariis, id propter ineunda fuerit alia via, qua liberis, qui propter lubricum æta-

tis

tis seipsos regere rebusque suis superesse non possent, consuleretur, nempe tutela inventa est. Vid. *Guilielmus Grotius*, frater *nostri, enchirid. de juris naturalis principiis c. 10. §. 11. 12. & 13.*

§. 13. Est quoque imperium aliud societatis in æqualis, aliud societatis sine inæqualitate. *Alia imperii distinctio.*

NOTÆ.

I. *Habent autem omnes consociationes,* in quibus sine inæqualitate penes plures aut totam universitatem imperium est, *hoc commune, quod in rebus ob societatem institutis, universitas & ejus pars major obliget singulos, qui sunt in ea societate. Grotius §. 17.*

II. Eleganter *Grotius noster ibidem* demonstrat, cur quod major pars concludit, prævaleat, dum addit sequentia: *Omnino enim ea credenda est fuisse voluntas in societatem coeuntium, ut ratio aliqua esset expediendi negotia: est autem manifeste iniquum, ut pars major sequatur minorem: quare naturaliter, seclusis pactis ac legibus, quæ formam tractandis negotiis imponunt, pars major jus habet integri.* Idem *Thucydidis, Appiani, Dionysii Halicarnassensis, Aristotelis, Curtii, Prudentii, Xenophontis* testimoniis simul confirmat. Quæ omnia sat bene se habent, si de eo, quod justum est in statu legali, accipiantur. Conf. ea, quæ supra *lib. 1. cap. 1. §. 8. p. 17. & seqq.* attulimus.

Oppositum imperii. §. 14. Oppositum imperii est *subjectio.*

[*Grotius* §. 26.]

Subjectionis distinctio. §. 15. Subjectio 1. alia est *ex consensu*, hoc est, voluntaria ei personæ, quæ subjicitur, alia *non accedente consensu* ejus personæ, quæ subjicitut, *oritur.*

[*Grotius* §. 26. & 32.]

Alia subjectionis distinctio. §. 16. Subjectio 2. *aut privata est aut publica.*

[*Grotius* §. 26.]

NOTÆ.

I. *Subjectio privata esse potest multiplex, sicut multiplicia sunt regiminum genera.*

II. Repetantur ea, quæ *lib. 1. c. 3.* §. *15. & 16. p. 378.* & *seq.* attulimus.

Alia distinctio. §. 17. Utraque subjectio, cum privata, tum publica, alia est *nobilior*, alia *ignobilior:* Ita subjectionis *nobilissima*

Arrogatio quid? *species est arrogatio, qua quis se ita dat in familiam alterius, ut ei subsit ad eum modum, quo filius, qui maturæ est ætatis, subest patri. Subjectionis species ignobilissima est, qua quis se dat in servitutem perfectam, ut illi apud Germanos, qui novissimo aleæ jactu de libertate contendebant.*

[*Grotius* §. 26. & 27.]

§. 18.

§. 18. Utraque subjectio, cum privata, tum publica, alia est *perfecta*, alia *minus perfecta*: Ita *servitus perfecta est, quæ perpetuas operas debet pro alimentis & aliis, quæ vitæ necessitas exigit: servitus imperfecta est e. gr. quæ aut in diem est, aut sub conditione, aut ad res certas: Talis est libertorum, statu liberorum, nexorum, addictorum, adscriptorum glebæ, septem annorum servitus apud Hebræos, & altera ad Jubilæum usque: Penestarum apud Thessalos; eorum, quos manus mortuas vocant; ac postremo mercenariorum. Imperfecta servitus etiam naturaliter esse videtur ejus, qui ab altero parente liberæ, altero servilis conditionis sit natus.* *Alia subjectionis distinctio.*

[*Grotius* §. 27. & 30.]

NOTÆ.

I. *Servitus perfecta si accipiatur in terminis naturalibus, nihil habet in se nimiæ acerbitatis: nam perpetua ista obligatio compensatur perpetua illa alimentorum certitudine, quam sæpe non habent, qui diurnas operas locant. Grotius §. 27. n. 2.* ubi eximiis testimoniis rem confirmat.

II. *Minus perfecta subjectio publica* aut talis est *habendi modo, aut quoad imperandi*

 pleni-

plenitudinem. Quæ omnia fusius a nobis exposita sunt *l. 1. c. 3. §. 38. & seqq. p. 390. & seqq.*

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

An societas absque imperio consistere possit?

§. 1.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

PRo affirmativa faciunt sequentia argumenta:

ARG. I.

I. Si recte & salva veritate a Politicis societas dividitur in societatem rectoriam seu disquiparantiæ, & in æquatoriam seu æquiparantiæ, sequitur societatem dari posse absque imperio.

Prius est verum E. & Posterius.

Consequentia patet, quia, si in societate æquatoria, qua tali daretur regimen, non esset æquatoria sed rectoria societas.

ARG. II.

II. Si societas datur inter æquales, sequitur, veram societatem consistere posse absque imperio.

Prius est verum E. & Posterius.

Prius probatur exemplis societatum inter confœderatos, fratres, amicos, mercatores &c.

III.

III. Idem de Cyclopibus Euripides, de Aboriginibus Saluſtius, de Bebryciis Valerius, de aliis alii teſtantur. ARG. III.

§. 2. Pro negativa ſequens adduci ſolet argumentum: PRO NEGANTE SENTENTIA ARG.

Quicquid toti naturæ ſocietatis repugnat, eamque fruſtraneam & irritam reddit, illud non eſt admittendum.

Atqui hoc, quod ſocietas conſiſtere absque imperio poſſit, toti naturæ ſocietatis repugnat, eamque fruſtraneam & irritam reddit E.

Minor probatur, quia quælibet ſocietas ex natura ſua tendit ad certum objectum, videlicet ad certa negotia, quorum peragendorum cauſa inſtituitur: Jam vero nulla eſſet ratio componendi & perficiendi tot actus & negotia ſocietatis, niſi regimini ac paritioni locus eſſet. Etenim ſæpe fieret, ut adeo magnæ partium diſſenſiones orirentur ſuper hoc vel illo negotio, ut nulla ſpes negotiorum rite peragendorum ſupereſſet, niſi auctoritate regentium hujusmodi lites ac diſſenſiones componerentur, hocque tamdiu veriſſimum manet, donec monſtretur verus ac idoneus modus perficiendi omnia negotia in ſocietate, licet ea omni regimine deſtituatur.

§ 3. Ad argumenta pro affirmativa ſententia allata reſpondetur, & quidem RESP. AD ARGUMENTA

Ad I. negando conſequentiam majoris.

CONTRARIA. ARG. I. Quod probationem attinet, dicimus nullam contradictionem implicare, quando in societate æquatoria imperium seu regimen dari dicitur. Neque enim inde sequitur, societatem æquatoriam non esse æquatoriam, sed saltim illud; eam, quatenus spectatur ordo ejus, qui regit & qui regitur, non esse æquatoriam: Ita exempli gratia, quando in politia regimen est penes omnes, in tantum utique ea est societas æquatoria, in quantum penes omnes est regimen, penes omnes scilicet conjunctim sumtos: At quia alio modo singuli sunt inferiores omnibus conjunctim sumtis, sic adhuc rectoria est politia, utut æquatoria societas suo ac sano sensu maneat. Conferantur ea, quæ *L. I. c. 1. §. 8. p. 17. & seqq.* & *c. 3. quæst. 10. p. 460. & seqq.* allata sunt.

RESP. AD ARG. II. Ad II. respondetur negando prius: nam quæ exempla societatum adferebantur, non erant absolute & rigorose sic dictæ societates: Imo in quantum societatum nomen affectant, in tantum quasi regimen mentiuntur.

RESP. AD ARG. III. Ad III. respondetur, quod Cyclopas attinet, licet ii vagi sparsique fuerint, quisque tamen paterfamilias in sua familia Rex fuit, ejusque arbitria instar legum. Idem de aliis judicium esto. Conf. *Bœclerus Commentat. ad Lib. I. c. 4. §. 2. p. m. 266. & seqq.*

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasio quæstionis sumebatur ex *§. 17.*

Qua-

Quæstio II.

An Polygamia ſit contra jus naturæ?

§. 1. Pro affirmativa ſequentia adducuntur argumenta: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

I. Suum jus alteri eripere & in tertium transferre eſt per ſe turpe, adeoque contra jus naturæ. ARG. I.

Atqui polygamiam inire eſt alteri perſonæ ſuum jus eripere & in tertiam perſonam transferre E.

Polygamiam inire eſt per ſe turpe adeoque contra jus naturæ.

Major eſt manifeſta, eſtque juris naturalis: quod quis non habet, alteri dare non poteſt.

Minor probatur, quia qui polygamiam init, hoc eſt, prima uxore ducta, alteram ſuperinducit, is jus illud, quod prima uxor quæſitum habet in ejus corpore, ipſi aufert, & in aliam transfert, cujus tamen transferendi, & alteri tradendi poteſtatem amplius habet nullam, cum in primam corporis ſui jus tranſtulerit in totum.

II. Alteri facere, quod tibi non vis fieri, eſt per ſe turpe, adeoque contra jus naturæ. ARG. II.

Polygamiam inire eſt alteri facere, quod tibi non vis fieri E.

Polygamiam inire eſt per ſe turpe adeoque contra jus naturæ.

Major patet, quia lex naturæ eſt: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Minor probatur, quia maritus nullo modo vult, ut uxor alium præter ſe maritum habeat, & tamen, quod ſibi non vult fieri, uxori facit, dum uxorem alteram ſuperinducit.

ARG. III. III. Quicquid pugnat cum primæva conjugii inſtitutione, hoc eſt per ſe turpe, adeoque contra jus naturæ.

Polygamia pugnat cum primæva conjugii inſtitutione E.

Polygamia eſt per ſe turpis, adeoque contra jus naturæ.

Major probatur, quia ſi naturæ conforme eſſet, haud dubie auctor naturæ, Deum intellige, ita inſtituiſſet.

Minor patet, quia uni mari fœminam non niſi unam Deus attribuit.

PRO NEGANTE SENTENTIA

§. 2. Priusquam argumenta recenſeamus eorum, qui affirmativæ ſubſcribunt, prænotandum eſt 1. polygamiam hoc loco, ut in *Politicis Scholis* diſtinguitur, non intelligi *ſucceſſivam*, qua maritus mortua prima uxore ad ſecunda, poſt ſecundæ obitum, ad tertia vota tranſit, & ſic deinceps, vel etiam uxor marito mortuo alii nubit, ſed

ſimul-

simultaneam, qua maritus, prima uxore ducta & superstite, alteram superinducit. 2. polygamiam simultaneam non accipi in præsenti pro pluralitate maritorum respectu unius fœminæ, de qua *Grotius* noster quæstionem plane nullam instituit, sed sumi pro pluritate uxorum ratione unius viri. 3. de jure naturæ in rigore & propriissime sic dicto, quod dixerat *Grotius cap. 1. lib. 1. §. 10. n. 5. adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat*, hic sermonem esse. His præmissis lubet adferre argumenta, quæ pro affirmativa sententia adduci solent:

I. Si fieri potest salvo naturæ jure, ut unus dominus plures servos, unus pater plures liberos habeat, sequitur, quod etiam salvo naturæ jure unus maritus possit habere plures uxores, nisi ostendi possit peculiaris quædam circumstantia, quæ per se moralem quandam turpitudinem ac intrinsecam malitiam fundet, simulque causa sit, quo minus in societate nuptiali id locum habere possit, quod in aliis societatibus simplicibus obtinet. ARG. I.

Prius est verum E. & posterius, & per consequens tamdiu verum creditur, polygamiam non esse contra jus naturæ, quamdiu talis circumstantia polygamiæ essentialis nequit ostendi, quæ per se polygamiæ turpitudinem fundet.

Conse-

Consequentia probatur, quia uti societas inter unum patrem & plures liberos, inter unum dominum & plures servos, non dicit unam simplicem societatem paternam, herilem, sed importat plurium simplicium societatum paternarum, herilium quasi aggregationem aut complexum, exempli gratia, societas paterna inter Isaacum & inter Jacobum & Esavum, utut vulgo dicatur una societas, hoc est unius patris societas, non tamen una simplex societas paterna est, sed in rei veritate duas societates simplices paternas arguit, ita ut una sit inter Isaacum patrem & Jacobum filium, altera inter Isaaumc patrem & filium Esavum, id quod inde liquet, quia uno filio mortuo adhuc inter alterum filium superstitem & patrem una societas simplex paterna manet: imo sicuti diversæ societates sunt inter patrem & filium, dominum & servum, tutorem & pupillum, licet una eademque persona alius personæ respectu sit pater, alius personæ respectu dominus, & alius personæ respectu tutor, sic ad plures societates simplices paternas sufficit, si unus habeat plures liberos, ad plures societates heriles, si unus habeat plures servos, ad plures societates simplices nuptiales, si quis sit polygamus. Paucis: Ad multiplicationem relationum multiplicatio terminorum sufficit, nec multiplicatione subjectorum statim

opus

opus est. Posito igitur, quod nulla circumstantia ostendi possit polygamiæ essentialis, ob quam repugnet, plures societates nuptiales simplices unam per aggregationem fieri posse, credibile est juri naturæ simpliciter immutabili, nec nisi de iis, quæ intrinsece ex sua natura atque ideo immutabiliter & sine dispensatione turpia sunt, disponenti, non adversari.

II. Quod lege divina olim licitum fuit, hoc non est contra jus naturæ. ARG. II.

Atqui lege divina olim licita fuit polygamia E.

Polygamia non est contra jus naturæ.

Major liquet, quia nihil Deus potest prohibere, quod sit præceptum jure naturæ, & nihil Deus potest præcipere aut approbare, quod sit prohibitum jure naturæ, cum jus naturæ non nisi ex sua natura & immutabiliter honesta (turpia)præcipiat (prohibeat).

Prius probatur pluribus rationibus: (1.) Quia viri sancti, multi scilicet sanctissimi patres ac Reges, plures una uxores habuerint, quos contra jus naturæ peccasse, & per omne vitæ suæ tempus in tam abominabili & ex sua natura turpi peccato perseverasse probabile nō sit, cum omnia tum Regum, tū aliorum peccata, etiam quæ tantum contra leges positivas erant, alias reprehensa fuerint, ipsaque polygamiæ reprehensione, ut & lege positiva prohiberetur, omnino opus fuisset,

fuisset, utpote cujus usus adeo fuerat frequens. (2.) Quia in lege præcepta quædam dentur his, qui plures una habeant. (3.) Regi præscribatur, ut nec uxorum, nec equorum nimiam sibi adsciscat copiam, ex quo colligi possit, ei licitum fuisse comparare modicam. (4.) Quia Davidi Deus imputet, quod uxores ei complures & quidem illustres dedisset, quando vates Davidem tum πολύγαμον Dei verbis ob raptam Uriæ uxorem sic alloquebatur *2. Sam. XII. 8. Dedi tibi uxores Domini tui in sinum tuum*, qua formula nequeat non innui matrimonium, modo tota phrasis, dare fœminam in sinum alicujus, attendatur.

RESP. AD ARGUMENTA PRO AFFIRMANTE SENTENTIA.

§. 3. Ad argumenta pro affirmante sententia allata a *Grotio* ejusque defensoribus respondetur, & quidem

AD ARG. I.

Ad I. in dubium vocando propositionem minorem ejusque probationem, nempe volunt, hoc esse de jure naturæ, ut maritus uxori corporis sui copiam faciat: quod autem vir tantum uni & non alteri etiam possit corporis sui copiam facere, id ex jure naturæ probari posse dubitant. Addunt, quod in Polygamia, nunc primæ uxoris gratiis & consensu expresso, ut in Abrahami exemplo, nunc saltim ejusdem tacita voluntate & expressa consvetudine plures habendi alia superinducta fuerit, sicq; primæ uxori aut non invitæ, aut nullum ius ereptum.

Ad

Ad II. respondent negando propositionem majorem ejusque probationem, si ita crude intelligatur hoc effatum: *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.* Dominus servum immorigerum verberibus excipit, numne eo animo, ut morem voluntati servi denegans vicissim vapulet? Dominus aliquis non vult, ut servus plures habeat dominos, nec velle potest, ut quispiam duobus dominis serviat, numne igitur per se turpe & contra jus naturæ fuerit, si idem dominus plures habere velit servos? Præter alias igitur limitationes hoc effatum etiam hanc admittit: Quod tibi recta ratione utenti non velles fieri, si alterius loco esses, cui idem facis, id alteri ne feceris. Nolunt ergo omnimodam inter virum & uxorem natura esse æqualitatem, cum alia sit ratio uxoris, (quæ tota per matrimonium transeat in potestatem mariti, & ita ipsi faciat corporis sui potestatem, ut non retineat jus alteri eandem corporis sui potestatem faciendi,) alia vero ratio mariti maneat, utpote qui non quidem habeat potestatem corporis sui, ut uxori de jure possit denegare debitum conjugiale, ut tamen adhuc etiam alii possit corporis sui potestatem facere, sicque maritus non absolute corporis sui potestatem tradiderit uxori, sed ita illi fecerit corporis sui potestatem, in quantum requisiverat officium conjugale, reservaverit

RESP. AD ARG. II.

rit

rit autem ſibi jus poteſtatem ſui corporis per matrimonium alteri faciendi: Loqvuntur autem de lege naturæ in rigore ſic dicta & ſimpliciter immutabili.

Resp. ad Arg. III. Ad III. reſpondent alii ad minorem, nempe volunt Deum inſtituiſſe matrimonium, quale per ſe ſit, nempe prout ſit una & ſimplex ſocietas, conſtans ex uno marito & uxore; quando autem contingat, ut unus mas plures ducat uxores, & cum qualibet conjungatur in carnem unam, ſic plura conjugia ſimplicia coaleſcere in unum, idque quantum ad primævam matrimonii inſtitutionem attinet, prorſus accidentale quid eſſe. Alii ad majorem reſpondent.

Resp. ad Arg. IV. §. 4. Hujus quæſtionis (quam, occaſione §. 9. data, ſilentio penitus præterire ratio noſtri inſtituti non ferebat) hiſtoriam ſaltem pertexere placuit, unice ea fini, ut de *Grotii* ejusque ſectatorum mente conſtare poſſet, examen ejus interim alii reſervantes tempori & occaſioni.

Quæſtio III.

An conjugium, ſi merum jus naturæ reſpiciatur, ſit ſimpliciter & prorſus ex ſua natura indiſſolubile, ut nullatenus utriusque partis conſenſu diſſolvi queat?

§. 1.

§. I. Pro affirmativa *Grotius* adducit sequentia argumenta: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA

I. Quæcunque societas natura sua ordinatur ad finem, qui requirit indissolubilitatem, illa est ex sua natura indissolubilis. ARG. I.

Atqui matrimonium natura sua ordinatur ad finem, qui requirit indissolubilitatem E.

Matrimonium ex sua natura est indissolubile.

Major probatur, quia finis tolleretur, si societas esset dissolubilis & non perpetuo duraret.

Minoris veritas evincitur inde, quia matrimonium natura sua ordinatur ad prolis educationem, quæ tota vita durare debet.

II. Si multo arctius & firmus vinculum est inter maritum & uxorem, quam inter patrem & filium, sequitur, quod conjugium ex sua natura sit indissolubile. ARG. II.

Prius est verum E. & Posterius.

Consequentia probatur, quia vinculum inter patrem & filium est indissolubile.

Prius probatur, quia vir relinquit parentis familiam, quo novam cum uxore familiam constituat.

III. Qualiter Deus instituit matrimonium, tale est ex natura sua. ARG. III.

Atqui ex ordinatione & institutione Dei matrimonium tale est, ut non debeat dissolvi E.

Matrimonium est ex sua natura indissolubile.

PRO NEGATIVA SENTENTIA

§. 2. Pro negativa *Grotius* sequentibus pugnat argumentis:

ARG. I.

I. Si nulla ratio nullaque circumstantia ostendi potest, quæ per se fundet indissolubilitatem matrimonii, sequitur, quod per se & ex sua natura matrimonium non sit simpliciter & prorsus indissolubile.

Prius est verum tamdiu, donec talis ratio detur E. & posterius.

Major probatur, quia hic de jure naturæ agitur, hoc est de tali jure, quod immutabile est.

ARG. II.

II. Si conjugium ex sua natura & absolute esset indissolubile, non posset dissolvi propter adulterium.

Consequens est falsum E. & antecedens.

ARG. III.

III. Si dimittere uxorem volenti modus præscriptus fuit in lege divina, nec dimissam ducere quisquam impeditus, præter eum qui dimisit & sacerdotem, sequitur, quod conjugium non sit absolute & ex sua natura indissolubile.

Prius est verum E. & Posterius.

§. 3.

§. 3. Ad argumenta affirmantis senten- e *Grotius* respondet, & quidem RESP. AD ARGUM. PRO AFFIRMANTE SENTENT.

Ad I. negando minorem ejusque proba- onem, cum educare non sit officium con- gis ut conjugis, sed ut parentis, imo ex- a conjugium nati sint a parentibus edu- ndi. RESP. AD ARG. I.

Ad II. respondet negando consequen- am & probationem, cum omnino dissolva- ır vinculum inter patrem & filium, quan- o filius in omnibus fit αὐτεξούσιος suique ıris, manente tamen semper pietatis & ob- rvantiæ debito, cujus causa perpetua est. RESP. AD ARG. II.

Ad III. respondet negando propositio- em majorem, hocque saltem sequi credit, uod ex divina tam arctæ amicitiæ institu- ione matrimonium non debeat solvi, non em inde firma ratione colligi posse, quod x sua natura sit indissolubile. RESP. AD ARG. III.

§. 4. Occasionem quæstionis *Grotius* sup- editat §. *9. n. 2. 3. & 4.* Interim saltem eam uæstionem recensere ejusque examen in liud tempus plane transscribere merito lacuit. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæstio IV.

An præter nuptias inter parentes & liberos, item inter fratrem & sororem, alia quoque conjugia

jure naturæ in rigore sic dicto & adeo immutabili, ut ne a Deo quidem mutari queat, prohibeantur?

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

§. 1. Sententia affirmans est eorum, qui volunt omnes gradus sanguinis & affinitatis, quotquot *Levitici c. XIIX.* expressi leguntur & simul prohibiti, jure naturæ esse prohibitos, nixi hoc præsertim argumento:

ARG.

Quæcunque nuptiæ illicitæ fuerunt gentilibus citra legem positivam humanam, illæ nuptiæ jure naturæ in rigore sic dicto & adeo immutabili, ut ne a Deo quidem mutari queat, prohibentur.

Atqui præter nuptias inter parentes & liberos etiam in aliis gradibus cum sanguinis, tum affinitatis, quotquot scilicet *Levit. XIIX.* expressi leguntur & prohibiti, nuptiæ gentilibus illicitæ fuerunt citra legem positivam humanam E.

Præter nuptias inter parentes & liberos etiam in aliis gradibus cum sanguinis, tum affinitatis, quotquot scilicet *Le. XIIX.* expressi leguntur & prohibiti, jure naturæ in rigore sic dicto & adeo immutabili, ut ne a Deo quidem mutari queat, prohibentur.

Major

Major probatur, quia præter legem na-
ıralem gentiles nullam aliam habuerunt
gem divinam, ſicut expreſſe dicitur *Rom.*
[.14. ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, item: ἔτοι
μον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσὶ νόμος, *gentes*
gem non habentes: ea legem non habentes
bi ipſis ſunt lex: Jam vero ubi lex non eſt,
ɔi non eſt legis transgreſſio, & ubi non eſt
gis transgreſſio, ibi nec eſt peccatum. Er-
o ſi gentes peccarunt contrahendo nupti-
s in certis gradibus, ibi fuit legis transgreſ-
io, & ſi peccarunt citra legem voluntariam
umanam, ibi fuit legis divinæ transgreſſio,
el naturalis, vel voluntariæ: non volun-
ariæ, quia legem voluntariam non habue-
unt, ergo naturalis legis.

Minor ex eo liquet, quod in *ſacris literis*
rohibitio graduum non ſolos Hebræos
dſtringit, ſed homines univerſos, ceu col-
igi videtur ex illis Dei verbis ad Moſen:
e polluite vos ulla harum rerum: quia
mnibus iſtis polluti ſunt populi, quos vobis
dvenientibus diſpello. Mox; *Ne facite ul-*
am ex iſtis rebus abominandis: nam omnes
ſtas fecerunt indigenæ terræ iſtius, quæ vobis
xpoſita eſt, unde polluta eſt terra.

PRO NEGANTE SENTENTIA.

§. 2. Negantem ſententiam elegit *Gro-*
ius, unde (poſtquam oſtenderat matrimo-
ia parentum cujuscunque gradus cum li-
eris jure naturæ ſtricte tali eſſe prohibita,
hanc ſcilicet ob rationem, quod nec mari-

 tus,

tus, qui superior est lege matrimonii, eam reverentiam possit præstare matri, quam natura exigit, nec patri filia; quia quanquam inferior sit in matrimonio, ipsum tamen matrimonium talem inducat societatem, quæ illius necessitudinis reverentiam excludat, ut id propter *Paulus* JCtus, cum dixisset *in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudorem inspiciendum*, addiderit, *contra pudorem esse filiam suam uxorem ducere l. adoptivus 14. §. serviles 2. D. de ritu nuptiarum*, & *Paulus* Apostolus debitum societatis, quæ illius necessitudinis reverentiam excludat, vocet *τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν, I. Cor. VII, 3.* quod Spiritus S. de re honesta quidem, quam tamen natura pudoris velo tegat, verecunde loqui voluerit: Postquam etiam admodum probabile censuerat nuptias inter fratres & sorores, tam agnatos quam cognatos ejus gradus, esse contra jus naturæ, id propter, quod in hominibus nulla prava educatione corruptis sit in ipsis affectibus insita fuga quædam talis commixtionis, quamvis potius in negante sententia adhuc mansisse *Grotius* videatur, quantum quidem ad connubia fratrum ac sororum attinet) his rationibus eam tueri satagit:

ARG. I. I. Si præter connubia parentum cujuscunque gradus, item fratrum & sororum, in aliis gradibus *Levit. XIIX.* alias expres-

pressis & prohibitis jus naturæ nuptias prohibet, sequitur rationes dari posse, ac ostendi circumstantias, quæ intrinsecam turpitudinem indicent ac fundent.

Consequentis veritatem tueri qui voluerit, experiendo discet, quam id sit difficile, imo præstari non possit E.

II. Si intra eundem gradum *Levit. XIIX.* expressum aliud conjugium est prohibitum, aliud vero licitum, sequitur quod in eo gradu conjugium jure naturæ in rigore sic dicto nequaquam prohibeatur. ARG. II.

Prius est verum E. & Posterius

Consequentia probatur, quia jus naturæ in rigore sic dictum non prohibet nisi per se turpia, quomodo igitur gradus turpitudinem fundare, aut indicium intrinsecæ turpitudinis esse poterit, si in uno plane eodemque gradu nuptiæ vetitæ & licitæ, irritæ & ratæ sint.

Prius probatur, quia ducere amitam agnatam vetitum est: At filiam fratris, qui par est gradus, ducere vetitum non est: imo ejus facti apud Hebræos extant exempla.

§. 3. Ad argumentum pro sententia affirmante allatum respondet *Grotius* negando propositionem majorem, & existimat, quod locutio universalis possit restringi ad præci- RESP. AD ARGUM. PRO AFFIRMANTE SENTENT.

pua *capitis decimi octavi*, ut de concubitu cum maſculis, cum beſtiis, cum parentibus, cum ſororibus, cum nuptis alienis, in quorum προφυλακὴν, & ut Hebræi loqvuntur, præmunimentum, additæ ſint leges cæteræ, nam de ſingulis partibus ne intelligatur, argumento eſſe poſſe credit interdictum de non habendis eodem tempore in matrimonio ſororibus duabus: quod in commune datum olim humano generi fuiſſe Jacobi pietas, qui contra fecit, credere nos non ſinat. Addit factum Amrami, qui pater Moſis fuit, cum & is amitam duxerit uxorem. Hæc *Grotius*. Alii monent non eſſe confundendas haſce duas quæſtiones: Quid liceat jure naturæ, & quid liceat jure divino?

Occasio quæstionis. §. 4. Occaſionem quæſtionis ſat amplam *Grotius* noſter §. *10. 11. 12. 13. & 14.* exhibuerat, eam tamen quæſtionem etiam ſuo loco relinquimus prorſus penituſque.

Quæſtio V.

An concubinatus naturaliter (hoc eſt, ſi merum jus naturæ in rigore ſic dictum & immutabile reſpiciatur) verum ſit conjugium?

§. 1.

§. 1. Pro negante sententia afferuntur argumenta: PRO NEGANTE SENTENTIA

I. Concubitus cum non sua est per se turpis.

Concubinatus est concubitus cum non sua E. ARG. I.

Concubinatus est per se turpis, & per consequens naturaliter non est verum conjugium.

II. Naturaliter verum conjugium habet effectum juris. ARG. II.

Concubinatus non habet effectum juris E.

Concubinatus non est naturaliter verum conjugium.

§. 2. Affirmantem sententiam *Grotius* probat sequenti argumento: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

In quocunque ad ipsam conjugii naturam nihil deest, hoc naturaliter est verum conjugium. ARG.

Atqui in concubinatu ad ipsam conjugii naturam nihil deest E.

Concubinatus est naturaliter verum conjugium.

Major est expedita.

Minor a *Grotio* pro vera habetur, donec id, quod in tali consociatione deest, monstretur. Huc interim *Grotius* referre voluit, quod *Theodosius* & *Valentinianus* concubinatum quendam vocent *inæquale conjugium*, & quod inde adulterii accusatio nasci

dicatur, *l. si quis naturalem 3. C. de naturalibus liberis* & *l. si uxor 13. D. ad L. Juliam de adulteriis:* Etiam propterea in *antiquis canonibus* γάμου nomine appellari scribit, & hunc in sensum capit verba *Concilii Toletani primi: Caterum is, qui non habet uxorem, pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur* &c.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata *Grotius* respondet, & quidem

AD ARG. I.

Ad I. negando propositionem minorem. Nam dicit omnino de tali concubitu sibi sermonem esse, quem quis celebrat cum sua, & ubi vero vinculo sociali locus est. Idem respondet

AD ARG. II.

Ad II. Quod scilicet talis consociatio, quam concubinatus nomine nuncupat, sit vera consociatio, & non careat effectu juris naturalis, etsi effectibus quibusdam juris civilis propriis privetur, aut etiam effectus quosdam naturales impedimento legis civilis amittat. Unde si in secundo argumento major intelligatur de effectibus juris civilis propriis ac præcipuis, negat *Grotius* majorem propositionem. Sin de effectibus juris naturalis, negat minorem. Liceat huc transferre, quæ hanc in rem tradit magni alias judicii JCtus *Didacus Covarruvias*, dum *de sponsalibus Part. I. Tom. 1. c. 4. de sponsaliorum effectu & vinculo p. m. 132.* scribit: *Illud adnotare libet a canonibus antiquis*

quis veras uxores dici quandoque concubinas, eo quod absque dotalibus instrumentis cæterisque solennitatibus a jure civili introductis fuit conjugium celebratum, quod Gratianus probat in cap. omnibus & cap. seq. 34. dist. Quæ jura inter prima memoralia retulit Catel. Cotta *in dict.* ¦ *uxores: Sacra autem Scriptura eas fœminas, quas sancti patres præter proprias uxores carnaliter cognovere, easque in contubernio veluti uxorum ancillas retinebant, promiscue appellat uxores vel concubinas: veras tamen uxores præcedenti nuptiarum solennitate nunquam concubinas nominavit, auctore August. libro I. quæstionum, super Gen. cap. 90. & Magistro in 4. dist. 33. explicat idem Aug. libro 16. de Civ. Dei. cap. 34. scribens, Cethuram verum Abrahæ uxorem peculiari mysterio dici concubinam, Gen. c. 25. Etenim Auctore Thoma in dist. 33 quæst. 1. artic. 3. ad 3. ubicunque in Veteri Testamento legitur, aliquos sanctos viros concubinas habuisse, oportet dicere, eas illis fuisse matrimonio junctas, & tamen aliquo modo concubinas dici, quod aliquid habebant de ratione uxoris, & aliquid de ratione concubinæ. Nam secundum quod matrimonium ordinatur ad suum principalem finem, qui est prolis procreatio, sic erant uxores. Sed secundum quod ordinatur ad secundarium finem, qui est dispensatio familiæ, & mutua communicatio operum viri & uxoris, &*

simul

simul cohabitatio: sic uxores non erant, quæ primæ uxori accedebant, sed concubinæ appellabantur, quasi simile aliquid habentes cum concubina, in hoc scilicet, quod poterat ejici a lecto, & a domo, sicut illa, quæ vere est concubina. Unde & de Agar dicitur per Saram ad Abraham: Ejice ancillam hanc & filium ejus: quam tamen prius dederat ipsa viro suo uxorem. Talis dicitur fuisse Bala ipsi Jacobo Genes. cap. 35. Sic & doctissimus Aloisius Lippomanus super Genes. cap. 22. inquit, concubinæ olim erant non illegitimæ & fornicariæ, sed uxores minime principales, quarum filiis non debebatur hæreditas, nec æqualis honor, non sacerdotium, non primogenitura: munera tantum recipiebant, & mutua se charitate complectebantur, & sese juvabant. Hæc Aloisius. Alibi & frequentius concubina dicitur mulier domi in contubernio retenta. capit. non omnis 22. quæst. 2. atque eodem pacto jura civilia Pandectarum, quæ de concubinis loquuntur, intelligenda sunt: erat enim apud veteres concubinæ nomen honestum, cum ea loco uxoris haberetur, atque citra criminis notam: uxor autem minime dicebatur, quia non fuisset solenniter ducta, ex Jurisconsulto, in l. Masurius ff. de verbor. significat. ubi hoc ipsum notat Alciat. Hæc *Covarruvias.*

§. 4.

§. 4. Occasionem quæstionis prolixiorem videsis apud *Grotium* §. 15. hanc tamen quæstionem & tres præcedentes maluimus discutiendas in aliam occasionem rejicere. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæstio VI.

Utrum consensus parentum ad liberorum, qui adhuc in potestate illorum sunt, nuptias jure naturæ sit necessarius?

§. 1. Pro sententia negante adduci solent sequentia argumenta: PRO NEGANTE SENTENTIA

I. Quocunque posito tollitur ipsa causalitas efficientis conjugii, illud non potest esse jure naturæ necessarium ad essentialem matrimonii constitutionem. ARG. I.

Atqui hoc posito, quod ad conjugium liberorum requiratur consensus parentum, tollitur ipsa causalitas efficientis conjugii E.

Consensus parentum jure naturæ non est simpliciter necessarius ad matrimonium liberorum, qui in eorum sunt potestate.

Major propositio est manifesta, quia causalitas ex parte efficientis *in Scholis* dicitur id, quo posito, primo ponitur causa efficiens

ciens conjugii in esse causæ efficientis, & quo negato, primo tollitur ipsa causæ efficientis, qua talis, ratio: Ita exempli gratia ædificatio est causalitas ex parte causæ efficientis ædificii, unde posita ædificatione fit ædificium, eaque negata ædificium fieri nequit.

Minor probatur, quia causalitas ex parte causæ efficientis conjugii est liber consensus: jam vero consensus hic non est consensus, qui liber non est: imo nusquam libertas tam necessaria quam in matrimonio est: posito ergo, quod consensus parentum simpliciter requiratur ad conjugium liberorum, sic sane consensus non esset liber.

ARG. II. II. Quicquid solummodo arguit officium humanitatis aut filialem reverentiam, illud non est simpliciter jure naturæ necessarium ad matrimonium liberorum, qui sunt in parentum potestate.

Atqui hoc, quod liberi petant consensum suorum parentum, solummodo arguit officium humanitatis aut filialem reverentiam E.

Major patet, quia solus reverentiæ actus non efficit ut contractus, qui alias cum jure naturæ non pugnat, eidem repugnet.

Minor patet inde, quia quotquot ad validitatem conjugii quasi naturaliter consensum parentum requirunt, argumentis, quæ adferunt, nihil aliud probant, quam officio filio-

filiorum conveniens esse, ut parentum consensum impetrent.

§. 2. Pro affirmativa multi sequentia facere censent argumenta: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

I. Quicunque actus liberorum attinet illud ipsum, ob quod societas paterna inita est ac colitur, & propter quod parens jus & imperium in liberos sibi quæsivit quæsitumque habet, ille sane actus, si ullus alius, naturaliter subesse debet patris imperio ac consensui. ARG. I.

Atqui contractus conjugialis liberorum (intellige, qui nondum perfecti judicii & adhuc in potestate parentum sunt) talis est &c. E.

Major extra periculum dubitationis posita creditur: idque putatur vix in dubium vocari amplius posse, quod ex summo parentis ceu vocant, *interesse* nascatur ei jus in talem actum filii.

Minorem itidem pro manifesta habent, ut quemadmodum patri propter suæ familiæ propagationem jus in liberos quæsitum est, (ideo nempe pater libero suo consensu matrimonium iniverat, ut familiam posset propagare) ita propagetur familia per parentis liberos, si iterum nuptias contrahant decenti ac prudenti modo, cujus determinatio maxime a patris moderamine ac prudentia pendeat, ut si justas dissensus sui cau-

causas pater reddere possit, talismodi conjugium, quia consensus parentis deficit, irritum sit ex natura.

Arg. II. II. Si ad validitatem cujusvis contractus naturaliter requiritur consensus ejus, a cujus animo contrahens pendet & in cujus potestate est, sequitur quod etiam ad validitatem matrimonii, quod filius aut filia init, consensus parentum naturaliter sit necessarius.

Prius est verum E. & Posterius.

Consequentiam probant, quia conjugialis contractus maximi momenti est.

Arg. III. III. Adesse volunt cum *sacrarum Pandectarum*, tum *civilium* testimonia. Ita *Justinianus* Imperator expresse ait: Parentum consensum necessarium esse, *naturalis ratio & civilis suadet*, in *princ. Inst. de Nuptiis.*

Respondetur ad Argumenta negantis sententiæ.

§. 3. Ad argumenta *Grotii* a contrariæ sententiæ Patronis respondetur, & quidem.

Resp ad Arg. I.

Ad I. negando propositionem minorem. Quod ad probationem attinet, certissimum quidem relinqvunt, nullum dari posse consensum absolute necessarium, cum consensus sit actus elicitus voluntatis, dicunt tamen omnino consensum manere liberum, liberum scilicet libertate physica, utut non sit liber libertate morali. Paucis; aliud est homi-

hominem esse liberum in agendo, aliud vero hominem esse sui juris. Tum demum sequeretur, quod consensus liberorum liber non sit, si parenres ipsos liberos ad contractus matrimoniales possent cogere, quod tamen salvo naturæ jure fieri nequit in contractu matrimoniali. Recte *Terentius Clemens JCtus in l. non cogitur 21. D. de ritu nuptiarum* ait: *Non cogitur filius familias uxorem ducere.* Etiam liber manet subditorum consensus, quamvis consentire nequeant in hoc vel illud, nisi impetrato Principis consensu.

Ad II. dicunt, ambiguitatem latere in voce: *filialis reverentia*; aut enim intelligi actum non debitum, quamvis filium deceat; aut actum debitum. Si istud, negant minorem ob rationes pro sententia affirmante allatas: si hoc, majorem. Quando dicebatur in probatione, quod solus reverentiæ actus non efficiat, ut contractus, qui alias cum jure naturæ non pugnat, eidem repugnet: aut sermonem esse dicunt de reverentia, ut respicit id, quod intrinsece honestum non est, tamen decorum, sicque falsissimum relinqui, quod hoc ipsum, quando filius, qui sui juris non est, consensum parentis sui petit ad valide contractum matrimonium, non sit de necessitate: aut significari reverentiam jure naturæ præceptam, & sic omnino solum reverentiæ actum efficere RESP. AD ARG. II.

posse & reapse efficere, ut contractus, qui alias cum jure naturæ non pugnat, eidem repugnet. Quid, quod urgeant, eum non intelligere quartum præceptum Decalogi, qui reverentiam jure naturali præceptam neget, ut ita *Grotius* ipsis appareat consentiens cum *Scholasticis modernis*, quibus frequens distinctio est inter matrimonium *licite* contractum & inter matrimonium *valide* contractum, ut ad hoc consensus parentis non sit necessarius, ad illud utique. Quod distinctionis genus ut eludant alii, perinde rem se habere dicunt, ac si ad dominium rei, quæ alterius fuerat, valide quæsitum non requiratur bona fides, sed sufficiat mala fides, licet requiratur bona fides ad dominium licite quæsitum.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Hanc quoque quæstionem accuratius expendendam in alium diem differimus, quam nunc paucis tangere voluimus occasione §. *10. n. 1.* maxime horum verborum: *Si in omnibus rebus filii patribus reverentiam debent, certe eam debent in eo negotio, quod ad gentem totam pertinet, quale sunt nuptiæ.*

Quæstio VII.

An civibus de civitate abscedere liceat venia non impetrata?

§. 1.

§. 1. Pro negativa adferri solent sequentia argumenta: PRO NEGANTE SENTENTIA

I. Si maximam ortus nostri partem patria sibi vindicat, sequitur, quod civitas civem in aliam civitatem commigraturum retinere possit, sicque civibus de civitate abscedere nequaquam liceat venia non impetrata. ARG. I.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia patet.

Prius inde manifestum est, quod omnium *Politicorum* æquissimo judicio quisque civis se non sibi tantum, sed patriæ etiam natum meminisse debet.

II. Si a contractu perfecto & consummato resilire invita altera parte non licet, sequitur, quod civibus de civitate abscedere nequaquam liceat venia non impetrata. ARG. II.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia probatur, quia civis, eo ipso dum civis factus est, tacitum contractum inivit cum civitate.

Prius extra dubitationem ponitur: Nam ea natura est pactorum & contractuum, ut novo actu voluntatis μονομερῶς inde discedi nequeat.

§. 2, Contrariam sententiam quod attinet, prænotanda quædam sunt, & quidem 1. per civitatem hic intelligimus totam Rempublicam. 2. inprimis de cive originario PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

ſermonem eſſe, qui maxime nomen civis meretur: Nam eos præ aliis ſolemus ſocietati adſcribere, de quorum erga ſocietatem ſtudio ac favore nobis certo conſtat: Jam vero liberi ſunt pars parentum, omnesque exteros amore erga patriam ſuperare creduntur. Ideoque iis gentibus, quæ ſingularem nominis gloriam affectarunt, accurate obſervatum fuit, ut nullos niſi ex cive natos civitate donarent. Nativitas primus acquirendæ civitatis modus conſtituitur ab *Ulpiano l. Municipem 1. D. ad Municip.* Noſtros quoque Majores minime aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos fuiſſe aſſeverat *Tacitus lib. de mor. German. cap. 2.* Accedit, quod ſi civibus originariis de civitate abſcedere liceret venia non impetrata, nullum dubium, ne leviſſimum quidem, eſſe poſſit, quin adoptatis civibus, cum tam arcto vinculo non teneantur, id utique licitum ſit. 3. De eo non eſt quæſtio, an civibus gregatim de civitate abſcedere liceat venia non impetrata? Aliud eſt ex flumine aquam haurire, aliud rivum diducere. Sane gregatim diſcedi non poſſe, ſatis expeditum eſt ex neceſſitate finis, quæ jus facit in moralibus. Nam ſi id liceret, jam civilis ſocietas ſubſiſtere non poſſet. 4. Nec de iſtiusmodi abitu jã quæſtio eſt, ex quo civitatis ſalus in diſcrimen adducitur, veluti belli & obſidionis temporibus, præ-

ſertim

ſertim ſi fiducia multitudinis bellum ſit ſuſceptum, aut ſi obſidio immineat, niſi paratus ſit civis alium æque idoneum ſubſtituere, qui rempublicam defendat: item ſi magnum contractum ſit æs alienum, niſi paratus ſit civis in præſens partem ſuam exſolvere: ſi tributum publicum exſolvendum ſit &c. *Semper enim*, ut recte inquit *Proculus l. actione 65. §. Labeo 5. D. pro ſocio, non id, quod privatim intereſt unius ex ſociis, ſervari ſolet, ſed quod ſocietati expedit.* 5. Pariter non negamus talibus pactis iniri poſſe ſocietatem civilem, ne de ea ſocius abſcedat niſi venia impetrata. Sunt ergo populi, ubi id non liceat, ut apud Moſchos & olim apud Romanos. His præmiſſis affirmativa probatur ſequenti argumento;

Ex quo civis facto civitas nec damnum patitur, nec in periculum adducitur, illud jure naturæ licitum eſt civi. ARG.

Atqui ex abitu, quem civis, venia non impetrata, parat, nec civitas damnum patitur, nec in periculum adducitur E.

Abitus iſte jure naturæ civi licitus eſt.

Major valde probabilis eſt.

Minor ex prænotatis liquet: nam de eo abitu locuti ſumus, quem civis indixerat prius, quique nullum periculum vel damnum creabat aut minabatur. Eandem

propositionem confirmat *Tryphoninus* JCtus *l. in bello 12. §. manumittendo 9. D. de captivis & postliminio.* Quid quod non minus ex ea libertate commodi civitas sentire aliunde possit?

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

RESP. AD ARG. I.

Ad I. negando consequentiam majoris: Etenim istud, quod quilibet bonus se non sibi tantum, sed Patriæ etiam natum meminisse debeat, non impedit, quo minus sine incommodo Patriæ tuam conditionem meliorem reddere possis, quin ad id te lex DEI & naturæ instigat. Sed in eo Patriæ amor subsistit, ut si tua & publica salus in pari discrimine versetur, tu vi hujus amoris hanc tuæ anteponas. Unde tum demum consequentia proce[dit,] qvum civis discessurus proponitur, [q]uando civitatis, eum non discedere, interest.

RESP. AD ARG. II.

Ad II. respondetur negando iterum consequentiam majoris. Quod in probatione dicebatur, hoc nihil probat. Nam uti tacito consensu hæc societas inita & nullis expressis regulis firmata est, ita hanc semper tacite adjectam habere conditionem præsumitur, ut in civis arbitrio positum sit, abire societate, vel in eadem permanere, maxime si finem, ob quem te cœtui cuidam aggregasti, aut plane non, aut vero in alia aliqua civitate rectius obtinere licet: Id quod

nec

nec a jure civili abhorret, quod renunciationi non fraudulentæ apprime favet §. *manent 4. Institut. de soc.* in societatibus, quæ omnium maxime pro fundamento amicitiam habent.

§. 4. Occasionem præbet *Grotius noster* §. 24. quam insigniter auctam deprehendimus in eximia summi *Conrigii dissertatione de cive & civitate.* §. 23. & 24. OCCASIO QUÆSTIONIS.

CAPUT VI.

De

ACQUISITIONIS DERIVATIVÆ MODIS, INPRIMIS EA ACQUISITIONE DERIVATIVA, QUA ALIQUID NOSTRUM FIT FACTO HOMINIS.

§. 1.

A*Cquisitione derivativa nostrum fit aliquid* duplici modo: 1. *facto hominis.* 2. *legis.* *Acquisitio derivativa quotuplex?*

[*Grotius c. 6. §. 1. n. 1.*]

NOTA.

Supra *c. 3. Grotius noster* mentionem acquisitionis derivativæ in communi fecerat, nunc ejus modos tradere satagit.

Facto hominis quomodo aliquid nostrum fiat?

§. 2. *Facto hominis aliquid fit nostrum,* quando quis *rei dominus dominium aut totum aut ex parte in alium transfert:* e. gr. quando Titius Sempronio donat agrum, sic facto Titii nempe donatione ager fit Sempronii. [*Grotius §. 1. n. 1.*]

NOTÆ.

I. *Grotius* de acquisitione derivativa dominiorum hic sollicitus est, æque ac supra *capite secundo, tertio & quarto* egerat de originariis acquisitionibus dominiorum: Potest tamen mutatis mutandis etiam hæc materia imperiis applicari.

II. Omnis acquisitio derivativa arguit alienationem factam ab eo, a quo acquiritur, in gratiam ejus, cui acquiritur.

III. Non tamen omnem alienationem, sed saltem positivam, derivativa acquisitio sequitur. Hoc ut melius percipiatur, recolenda venit distinctio alienationis in negativam & positivam: Hæc est cum translatione juris in alium aliosve conjuncta: illa minime. Ita e. gr. quando quis alteri rem suam donat, hæc est alienatio positiva: contra quando rem suam nude derelinquit, sive ea ἀδέσποτος maneat, sive alius eam occupet, hæc negativa alienatio est. Pariter quando Titius juri herilis dominii h. e. imperii in servum justo bello captum quæsiti

siti renunciat illudque emtori cedit, hic sane modus alienationis positivæ plane alius est, quam si prorsus in libertatem eum asseruisset, aut nihil sollicitus fuisset de futura relicti fortuna.

IV. Neque vero cujusq; rei domino statim jus transferendi rem quæsitum est. Hoc *Grotius noster* indicaturus, *Homines*, ait, *rerum domini, ut dominium aut totum aut ex parte transferre possint, juris est naturalis post introductum dominium :* (his interim verbis : *post introductum dominium*, respicit ad suam de omnimoda communione sententiam, nec forte alias eo additamento opus erat) *inest enim hoc in ipsa dominii, pleni scilicet* (quid si dicerem potius: *plene quæsiti*) natura. Hoc namque aliis dijudicandum relinquo, annon pro distinctis habenda sint, plenum habere dominium, &, plene habere dominium: Ita e. gr. maritus habet rem plenam cum uxore, plene tamen non habet, quia bona uxoris alienare non potest nisi uxoris consensu. Conf. ea, quæ *l. 1. c. 3. §. 38. & seqq. p. 390. & seqq.* attulimus.

V. Judiciosissima sunt verba Aristotelis a *Grotio* laudata, dum nempe Philosophus dominium definiturus dicit ὅρος τοῦ οἰκείου εἶναι, ὅταν ἐφ' αὐτῷ ᾖ ἀπαλλοτριῶσαι, *proprietatis* (τοῦ οἰκείου) *definitionem esse, ubi penes nos est jus alienandi.* Quam accura-

te Aristoteles hisce proprietatem seu dominium definiverit, iis demum notum esse potest, qui modum definiendi docendique communia πρὸς ἕν non ignorant. Est enim proprietas seu dominium ex numero ejusmodi communium πρὸς ἕν, quæ prorsus ferme media sunt inter univoca & æquivoca, quæ utut æque, ac omnia alia communia πρὸς ἕν, definiri nequeant, sic tamen quasi definita censentur, si quod primario tale est & dicitur, declaretur maxima perspicuitate, alterius vel reliquorum quasi idea & exemplar ponatur, ad cujus rationem alia contendant, ita tamen ut quæ eam non assequantur, ideo ab eo rerum genere nequaquam rejiciantur. Et id feliciter *Aristoteles* in præsenti materia præstitit.

Alia acquisitionis derivativæ distinctio.

§. 3. Acquisitio dominii derivativa alia est acquisitio *ex toto*, alia *ex parte*.

[*Grotius* §. 1. n. 1.]

NOTA.

Uti fieri potest, ut quis dominium ex parte habeat, quale dominium ex parte forte dici poterit e. gr. jus in re usufructuaria, item in re pignori data: Tale enim jus certe integrum dominium videtur minuere, quam sententiam satis aperte asserit *Grotius*, quando *l. 1. c. 1. §. 5.* dominium distinguit in *plenum & minus pleno*, & hujus exempla

usum-

usumfructum, jus pignoris ponit; ita nihil impedit, quo minus quis cæteris paribus ejusmodi dominium ex parte, quod habet, alienare, inque alterum transferre possit. Et huc trahere lubet *Grotii* nostri verba, quæ extant §. 13. *Potest pignori dari etiam res mihi pignorata.*

Requisita derivativæ acquisitionis, qua facto hominis aliquid nostrum fit.

§. 4. Ad translationem ac derivativam dominii acquisitionem, quando sc. facto hominis aliquid nostrum fit, duo requiruntur: alterum in transferente, alterum in acquirente. In transferente *non sufficit actus internus voluntatis, sed simul requiruntur verba aut alia signa externa, quia actus internus voluntatis* (animi actus solus) *non est congruens naturæ societatis humanæ.* In acquirente, *seposita lege civili, requiritur naturaliter voluntas acceptandi cum suo signo.*

[*Grotius* §. 1. & 2.]

NOTÆ.

I. De signis voluntatis egimus præcedenti *capite quarto*, §. 2. & *seqq. p.* 681. & *seqq.*

II. Quæri solet: num ad dominii translationem etiã traditio jure naturæ aut gentiũ requiratur? *Grotiꝰ noster* id negat, dũ expresse scribit: *Ut vero traditio etiam requiratur, ex lege est civili, quæ quia a multis gentibus re-*

cepta

cepta est, jus gentium improprie dicitur. Sic alicubi usurpatum videmus, ut professio, apud populum, aut magistratum, & relatio in acta requiratur; quæ omnia ex jure civili esse certissimum est. §. 1. n. 2. Rationem *Grotius c. 8. § 25.* hanc urget, quod & ipsi Jurisconsulti agnoscant traditionem in quibusdam casibus ad translationem dominii non requiri, ut in re donata usufructu retento, *l. quisquis 28. C de donationibus*, aut in eum collata, qui possideat, *l. servus 43. D. de acquirendo rerum dominio*, aut commodatam servet, *§. interdum 44. Inst. de rerum divisione*, imo etiam ante adeptam possessionem nonnullis casibus, ut hæreditatis, *l. cum hæredes 23. D. de acquirenda vel amittenda possessione*, legatorum, *l. a Titio 64. D. de furtis*, rei donatæ Ecclesiis & piis locis, aut civitatibus, *l. ut inter 23. C. de SS. Ecclesiis*, aut causa alimentorũ, *l. si doceas 1. C. de donationibus, quæ sub modo conficiuntur*, bonorum, quorum universalis societas contracta est, *l. societas 1. §. in societate 1. l quia 2. D. pro socio.* Prolixius hosce casus deducit *Ludovicus Molina tom. 1. tract. 2. disp. 3. §. 18. p. m. 41. & seqq.* Manet interim naturalissimus modus acquirendi, qui cum traditione conjungitur. Vid. *Leonardus Lessius de Just. & Jure l. 2. c. 3. dub. 3. §. 12. p. m. 23.* Add. celeberrimi Viri: *Zieglerus & Böclerus, notis ad h. l.*

III.

III. De eo quoque multum disceptatur: *An testamentum sit philosophicæ considerationis? Grotius* tuetur affirmativam. Ratio, qua eam probat, hæc est: Si seposita lege civili, possum rem meam alienare, non pure modo, sed & sub conditione, nec tantum irrevocabiliter, sed & revocabiliter, sequitur, quod non minus testamenta, quam proprietates rerum & earum alienationes, sint juris naturalis, atque adeo philosophicæ considerationis. Prius est verum E. & posterius. Consequentia probatur, quia alienatio in mortis eventum est testamentum. Idem egregiis testimoniis *Plutarchi & Quintiliani*, ut & *sacri Codicis* auctoritate *Grotius* noster ibidem confirmat. Quæ in contrarium objici solent, eorum decisio bonam partem fundatur in distinctione inter testamentum spectatum *quoad substantiam* & inter testamentum consideratum *quoad* certum *modum. Bartolus JCtus* distinguit inter *testamentum de per se* & *testamentum* spectatum *quoad solennitates*. Scite *Grotius* noster: *Quanquam testamentum, ut actus alii, formam certam accipere possit a jure civili, ipsa tamen ejus substantia cognata est dominio & juris naturalis.*

Qua-

Quæstiones.

PRæcipuæ quæstiones, quarum occasionē præbet *Grotius sexto capite*, huc redeunt: *An imperia derivativa acquisitione factis imperantium acquiri possint?* Cujus quæstionis decisio facilis est. Nam si originaria acquisitione acquiri possunt, ut *capite tertio libri primi & capite quarto libri secundi* ostensum est, quidni multo magis ac facilius idem acquisitione derivativa fieri posset. *An imperia possint oppignorari?* quod quæsitum itidem solvitur facile: nam qui potest majus, (potest imperium transferre in alterum,) potest etiam minus, (potest istud pignori dare). *An rex, qui pleno proprietatis jure imperium non possidet, certas res possit alienare?* Distinctio adhibenda venit inter res, quæ in fructu sunt patrimonii populi, & inter res patrimonii: Ita e. gr. jus alluvionum, jus vectigalia exigendi, jus confiscandi &c. in patrimonio esse possunt, ut ipsæ res, quas fecit alluvio, pecunia ex vectigalibus procedens, fundi confiscati &c. sint in fructu. Quidni ergo res, quæ in fructu sunt, adhuc alienari juste possent ab eo, a quo ipsæ res alieni patrimonii injuste alienarentur. *An a Rege, qui plenum habet imperium, ut tamen illud in pleno jure proprietatis, id est, in patrimonio non habeat,*

par-

partes imperii pignori opponi ex causa possint? Omnino id fieri poterit, si nempe plenum imperium habeat, adeoque jus etiam habeat ex causa tributa nova indicendi. Nam sicut populus tributa ex causa indicta solvere tenetur, ita & rem ex causa pignori oppositam luere. Luitio enim ista tributi quædam est species. Est autem populi patrimonium Regi pro debitis populi pignoris jure obligatum: Potest autem pignori dari res mihi pignorata. Sed hæ idque genus alias quæstiones resolutæ fuerunt *præcedentis Libri cap. 3. & hujus Libri cap. 4.* Add. sub moderamine nostro publice habita *dissertatio de Jure imperii quæsito.* Unicam quæstionem, qua *Grotius* fere utramque paginam *sexti capitis* implevit, lubet paulo enucleatius tradere, sit itaque

Quæstio.

An majus sit jus partis reipublicæ ad se tuendam, quam corporis in partem, ita ut toti civitati non liceat alienare partem, nisi pars, de qua alienanda agitur, consentiat, ut tamen parti sit jus a corpore recedere etiam contra

tra ejus voluntatem, si evidenter se aliter servare nequeat?

PRO NEGANTE SENTENTIA

§. 1. Pro negante sententia adducuntur sequentia argumenta:

ARG. I.

I. Quicunque jus habet alienandi totum, habet etiam jus alienandi partem.

Atqui qui jure pleno proprietatis, hoc est, in patrimonio suo imperium habent civile, habent jus alienandi totam civitatem E.

Qui jure pleno proprietatis, hoc est in patrimonio suo imperium habent civile, habent jus alienandi partem civitatis, & per consequens non majus est jus partis ad se tuendam, quam corporis in partem.

Major est manifesta, quia qui majus potest, potest etiam minus, quod sub majori comprehenditur.

Minor cum ex *praecedentis Libri cap. 3.* tum *hujus cap. 4.* satis liquet.

ARG. II.

II. Quod membrum est in corpore, hoc pars est in civitate.

Atqui in casu necessitatis membrum, exempli gratia brachium, abscindi potest in salutem corporis E.

Etiam pars civitatis in casu necessitatis a civitate alienari potest, utut ea, quando de ipsius alienatione agitur, non consentiat.

Major

Major patet, quia civitas velut unum corpus mysticum est.

Minor morali æquitate nititur.

III. Si in casu summæ necessitatis parti jus est a corpore recedere, sequitur, quod etiam in casu summæ necessitatis corpori sit jus a parte recedere. ARG. III.

Prius conceditur E. & posterius.

Consequentia probatur, quia iniqvum videtur, ut majori parti sit jus minus, minori parti jus majus.

§. 2. Affirmantem sententiam tuetur *Grotius*, & licet si de Monarcha & Aristocratibus, qui pleno jure proprietatis, hoc est, in patrimonio plenum imperium summum habent, quæstio hæc intelligatur, negans sententia extra dubitationem posita sit, eamque ab ipso *Grotio* assertam credamus, accuratiorum tamen judicio relinquimus, annon *Grotius* noster in plane alio sensu hancce quæstionem intellectam velit, quo stante affirmativa, utpote quæ *Grotii* est, fortassis non tam facile, atque forsan primo intuitu videri potuerat, omnem probabilitatem perdit. Statum *Grotianæ* quæstionis, si recte mentem *Grotii* assequi licuit, sequenti casu declaramus: Sex provinciæ coierunt in unam Democratiam, nunc verò quinque reliquis lucrosum esse potest, si sextam destituant, vel etiam fieri nequit, ut aliter periculũ amittendi imperii declinent, PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

quam si sextam alienent, quæritur, num salvo naturæ jure quinque reliquæ provinciæ sextam alienare possint, licet ea dissentiat? Pariter posito tali casu quæstio movetur: Num salvo naturæ jure, si necessitas sit summa, sexta provincia a quinque reliquis recedere possit, si evidenter se aliter servare nequeat? Casum utilitatis *Grotius* non audet admittere, qui interim casum necessitatis ex parte sextæ provinciæ admitteret, ita ut ei crederet jus esse a reliquis recedere, quamvis reliquis provinciis jus non sit eam in casu summæ necessitatis alienare. Argumentum *Grotii* huc redit:

ARG. Si in casu summæ necessitatis pars (provincia sexta) utitur jure, quod ante societatem initam habuit, corpus non item, sequitur, quod hac in re (in talismodi casu summæ necessitatis) majus sit jus partis ad se tuendam, quam corporis in partem.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia probatur, quia qui utitur jure suo, nemini facit injuriam.

Minor probatur, quia corpus, de quo hic agitur, tale est, ut ante voluntatem partis ipsi corpori nullum jus in partes fuerit, cum tamen parti, antequam ejusmodi corporis pars fuisset, in seipsam omnino jus fuerit utendi fruendi libertate ac laxitate sua.

§. 3.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata *Grotius*, si hanc ipsius mentem recte licuit assequi, in forma respondere sic conatus est, & quidem.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. negando propositionem majorem. Quippe dispar ratio est juris alienandi totam democratiam in dicto casu, & juris alienandi unam aliquam provinciam. Nam hoc voluisse *Grotius* videtur, quod quando tota democratia se, vel rectius summam libertatem juste alienat, omnium sex provinciarum consensus adsit: At de parte (provincia) alienanda jam agebatur, cujus dissensus perpetuus est, ita ut consentire in sui alienationem nolit. Hinc quando in probatione dicebatur: Qui majus potest, potest etiam minus, quod sub majori comprehenditur. Ex hoc, *Grotio* judice, istud saltem sequebatur, quod consensu sex provinciarum tota Democratia, & quoque una saltem ex his provinciis, omnium consensu juste alienari possit.

RESP. AD ARG. I.

Ad II. respondet *Grotius*, similitudinem in majore propositione extendi ultra sphæram suæ activitatis, ut *Scholæ* loqui amant, atque adeo dissimilitudinem fieri. Nam, quæ provinciæ in civitatem coiverant, societatem quandam contraxerunt perpetuam & immortalem, ratione partium quæ integrantes dicuntur: Unde quod in uno similium valet, nempe quod brachium possit

RESP. AD ARG. II.

abſcindi a corpore, etſi renitatur: id non valet in altero, ſi *Grotium* conſulas, quia ſimile hic eſt diſſimile, eamque diſſimilitudinem *Grotius* in eo quærit, quod brachium non habeat voluntatem, nec corpus, cujus brachium eſt, libera voluntate brachii corpus factum ſit, nec brachium ſine corporis vita vivere poſſit, cum e contrario provincia diſſentiens, de qua alienanda agitur, habuerit ante ſuum jus ſuamque voluntatem, & vivere poſſit, licet non amplius ſit ſub ſuo corpore, ipſumque corpus, cujus pars facta eſt, voluntate contractum ſit, ut propterea jus ejus in partes ex primæva voluntate metiendum ſit, quæ minime credi debeat talis fuiſſe, ut jus eſſet corpori partes & abſcindere a ſe, & alii in ditionem dare.

RESP. AD ARG. III. Ad III. reſpondet *Grotius* negando conſequentiam majoris. Quod probationem attinet, negaverit iniqvum eſſe, ut majori parti ſit jus minus, minori parti jus majus, ſi minor pars utatur jure, quod ante ſocietatem initam habuerat & cui nondum renunciaverat, nec vero idem de tota ſocietate aut majori parte dici queat.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Deciſionem hujus quæſtionis, cujus occaſionem *Grotius* §. 3. 4. 5. 6. 7. 8. dederat, rem noſtri judicii eſſe nolumus, ſatis nobis fuerit oſtendiſſe *Grotium*, ut forſan videri potuiſſet, non adeo aperte ſibi contradixiſſe.

CAPUT

CAPUT VII.

De ACQUISITIONE DERIVATIVA, QUÆ FIT LEGE, EJUSQUE MODIS, NEMPE EXPLETIONIBUS JURIS ET SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO, inprimis DE REGNORUM SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

§. 1.

Lege quæ fit acquisitio derivativa, fit aut lege naturæ, aut lege voluntaria. *Lege quæ fit acquisitio duplex.*

[*Grotius c.6, §.1.*]

NOTÆ.

I. Acquisitionis derivativæ, quæ fit lege voluntaria, plures dantur modi: Ita lege voluntaria divina Israelitæ varia rerum dominia acquirebant. Interim omnes aut plurimos acquisitionum derivativarum, quæ variis legibus voluntariis fiunt, modos tradere, ad præsens parum aut nihil attinet.

II. Unde nec de acquisitionibus, quæ lege civili fiunt, in præsenti agere decet, id enim infinitum foret, & præcipuæ de bellis controversiæ ex lege civili non definiuntur, sed si ex legibus voluntariis, iis, quæ gentium sunt.

Lege naturæ quæ fit acquisitio duplex.

§ 2. *Acquisitio derivativa, quæ fit lege naturæ,* iterum duplex est: *Expletio juris & successio ab intestato.*

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

Expletione juris facta acquisitio derivativa quid?

§. 3. *Expletione juris fit acquisitio derivativa, quoties id, quod meum nondum est, sed mihi dari debet, aut loco rei meæ, aut mihi debitæ, cum eam ipsam consequi non possum, aliud tantundem valens accipio ab eo, qui rem meam detinet, vel mihi debet:* Exempli gratia: apud Diodorum Siculum L. 4. narratur Hesioneus pro his, quæ filiæ suæ ab Ixione promissa erant, neque præstabantur, equos ipsius accepisse.

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

NOTÆ.

I. Expletionem juris dum *Grotius* nominat, digitum intendit ad justitiam expletricem: *Nam justitia expletrix quoties ad idem non potest pertingere, fertur ad tantundem, quod est morali æstimatione idem.* De *justitia expletrice*, quæ vulgo justitiæ commutativæ nomine venit, egimus supra *L. 1. c. 1. §. 54. p. 164. & seqq.*

II. Hoc ipso naturæ jure cum *Irenao* & *Tertulliano Grotius* noster defendit Israelitas, qui in compensationem operæ res Ægyptiorum ceperint, quod Ægyptii debito-

res

res fuissent rerum. *Reposcunt*, inquit *Tertullianus secundo adversus Marcionem, Ægyptii de Hebrais vasa aurea & argentea. Contra Hebræi mutuas petitiones instituant allegantes sibi mercedes restitui oportere illius operariæ servitutis*, & ostendit minus multo exactum, quam debebatur. Sed nollem hoc exemplo uti, cujus causam justificam nullam aliam magni itidem nominis Viri contra *Grotium* dari asserunt, quam mandatum Dei speciale.

§. 4. Successione ab intestato fit acquisitio derivativa, quoties *si quis voluntatis suæ nullam edidisset testationem, cum tamen credibile non esset, ejus eum mentis fuisse, ut post mortem suam bona occupanti cederent, ejus ea bona esse intelliguntur, cujus ea esse voluisse defunctum maxime erat probabile.* *Successio ab intestato quid?*

[*Grotius* §. 3. n. 1.]

NOTÆ.

I. Videri poterat primo intuitu, ac si *Grotius* plane aliter definire voluerit successionem ab intestato, dum nempe sic disserit: *Successio ab intestato, de qua agimus, nihil aliud est, quam tacitum testamentum ex voluntatis conjectura*, §. 10. n. 2. Reipsa tamen *Grotius* idem significat hac definitionis formula magis Rhetorica, quam Logica. Nam

proprie loquendo successio ab intestato non est testamentum, cum alias non esset successio ab intestato; implicat enim dominum voluntatis suæ nullam edidisse testationem, & tamen alterum per testamentum successisse in jus & bona ipsius. Unde uti recte ait *Plinius junior*: *Defunctorum voluntatem intellexisse pro jure est*: ita non immerito dicimus: *Defunctorum voluntatem intellexisse pro testamento est.*

II. Non autem in præsenti agimus de successione ab intestato, ut ex *jure civili* cognosci potest ac debet, sed ut philosophicæ considerationis est, & ad eam *Philosophiam, quæ omne justum naturale exponit*, pertinet. Habemus hac in re præeuntem *Grotium* nostrum, dum expresse scribit se agere de successione ab intestato quæ dicitur, *remota omni lege civili*, §. 3. n. 1. *ab initio*.

III. Si vel maxime liceret testamentum in communi dicere voluntatem in casu mortis bona sua alienandi, ita ut distinctioni inter testamentum expressum & tacitum locus relinqueretur, quasi scilicet talismodi voluntas externo ac sufficienti signo declarata sit expressum, tali vero signo destituta, ut tamen præsumtio locum inveniat, tacitum testamentum audiat, adhuc tamen successio ab intestato non esset ipsum testamentum tacitum, sed ejus consequens & effectus.

§. 3.

§. 5. *Originem suam naturalem* successio ab intestato, *remota omni lege civili, habet ex conjectura voluntatis.*

Origo successionis ab intestato.

[*Grotius §. 3. n. 1.*]

NOTÆ.

I. *Nam quia dominii ea vis erat, ut domini voluntate transferri in alium posset, etiam mortis causa*, ut præcedenti *capite sexto* dictum est, *si quis voluntatis suæ nullam edidisset testationem, cum tamen credibile non esset, ejus eum mentis fuisse ut post mortem suam bona occupanti cederent, sequebatur, ut ejus esse bona intelligerentur, cujus ea esse voluisse defunctum maxime erat probabile.* Quid enim juri naturali magis consentaneum in tali casu videri poterat, quam si *credatur in dubio id quisque voluisse, quod æquissimum atque honestissimum est.*

II. Semper vero hic supponi debet eum, cujus voluntatem præsumimus, habuisse jus alienandi, cum alias frustra de jure successionis ab intestato quæstio fieret. Idem innuit *noster*, dum §. 9. scribit: *Concedimus plenum dominium esse penes eum, de cujus voluntate agimus*, namque præcedenti *capite sexto plenum dominium* (hoc est, plene quæsitum dominium, si accuratius loqui velimus) dixerat, *ubi penes nos est jus alienandi.*

Successionis ab intestato distinctio.

§. 6. De naturali successione ab intestato quando agitur, attendendum venit, num lex civilis adsit, quæ peculiariter disponat de successione ab intestato, an vero ea desit. Si illud, *creditur quemque, quoties voluntatis expressiora indicia nulla sunt, id de sua successione statuisse, quod lex aut mos habet populi:* Si hoc, *creditur in dubio quisque voluisse, quod æquissimum atque honestissimum est.*

[*Grotius* §. 11. *n.* 2. & 3.]

NOTÆ.

I. Videri poterat, ac si hæc membra non distinguant successionem ab intestato, quæ naturali jure fit, sed potius hac ratione successio ab intestato distinguatur in eam, quæ fit lege naturæ, & quæ fit lege civili. Sed utut omnino hæc quoque distinctio locum inveniat, id quod etiam *Grotius* §. 1. agnoverat, hic tamen ipse unice ad stateram naturalis æquitatis voluit successionem ab intestato expendere, meramque legem naturæ respicere.

II. Nam ubi lex civilis adest, naturalis æquitas ei voluntatem defuncti attemperare jubet.

III. Ubi vero lex civilis deest, adhuc tamen nunc jussibus naturæ, nunc consiliis naturæ locus est.

§. 7.

§. 7. Successio ab intestato alia est *debita*, alia *officiosa*. *Alia succ. ab intestato distinctio.*

[*Grotius* §. 3.]

NOTA.

Successio ab intestato quæ dicitur *debita* prævalet *officiosæ:* Nam *prima est causa ejus, quod debetur, proxima ejus, quod etsi non debetur, officio congruit. Grotius* dicto §. 3.

§. 8. *Debita* successio ab intestato est, *qua succedunt liberi.* *Debita successio ab intest. quid?*

[*Grotius* §. 4. & 5.]

NOTÆ.

I. Successio ab intestato, qua succedunt liberi, ideo debita vocatur, quia *naturale est hoc debitum, Grotius* §. 4. n. 2. Nam *qui causa est, ut homo existat, is quantum in se est, & quantum necesse est, prospicere ei debet de his, quæ ad vitam humanam, id est, naturalem ac socialem sunt necessaria. Qui dat formam, dat quæ ad formam sunt necessaria, dictum est Aristotelis. Creduntur* ergo *parentes liberis, ut corporis sui partibus, non tantum de necessariis, sed & de his, quæ ad vitam suavius honestiusque transigendam pertinent, quam uberrime voluisse prospectum, ab eo maxime tempore, quo ipsi rebus suis frui non possent.* Hinc *JurisConsulti Veteres liberorum educationem ad jus naturale referunt, id est, ad illud, quod cum instinctus naturæ aliis quoque animantibus commendat, nobis ipsa præscri-* bit

bit ratio. Naturalis stimulus, ut *Justinianus l. rem in præsenti 1. §. taceat 5. C. de rei uxoria actione* loquitur, *parentes ad liberorum educationem hortatur.* Idem *l. cum non 8. §. ipsum autem 5. C. de bonis, quæ liberis &c.* ait: *Filium vel filiam, filios vel filias, & deinceps, alere patri necesse est propter ipsam naturam, quæ a parentibus alendos esse liberos imperavit.* Add. *leges* & egregia *testimonia*, quæ §. 4. habentur.

II. Ex hoc fundamento, *quia* scilicet *successio ab intestato* liberis *debetur*, *Grotius* rectissime deduxit, quod *etiam vulgo quæsitos*, id est, qui certam quidem matrem habent, interim tot patres, ut ferme ignorentur, *alere mater debeat*, §. 4. n. 3.

III. Quæstio moveri poterat: *Num legitima sit juris naturalis?* Invenias hujus quæstionis assertores, qui id asserant indeq; deducant, *legitimam humanis legibus tolli non posse*: Horum tamen asserto *Grotius* non subscribit, nisi *quatenus* in legitima *insunt alimenta necessaria*, §. 4. n. 3.

IV. Ex hoc, quod successio liberorum ab intestato naturaliter debita est, *Grotius* verissime colligit, quod ali debeant non tantum liberi primi gradus, sed & *secundi gradus*, *ubi* nempe eorum *pater materque, eorumve alter, defecerint: imo, si ita res ferat, & ulteriorum graduum liberi alendi sunt*, si scilicet propioris gradus parentes defecerint:

rint: Nam *dum hi exstant, illi ad alimenta danda teneri non intelliguntur* e. gr. dum pater materque supersunt, avus aviaque non obligantur ad curam suscipiendam nepotum ac neptium. *Atque hinc ortum traxit jus illud, ut nepos filii loco succedat*, quemadmodum *Ulpianus l. si qua pœna 7. D. de his, qui sui vel alieni juris sunt*, loquitur: Quod Hebræi dicunt, *filius etiam in sepulchro succedit:* item: *filii filiorum sunt tanquam filii.* Add. leges civiles & testimonia alia a *Grotio §. 4. n. 4.* & *§. 6.* allata.

V. Ex naturalis æquitatis fonte decidi meretur & illa quæstio: *Num debeantur & parentibus a liberis alimenta?* Affirmat *Grotius* noster, idemque notat *non legibus tantum proditum esse, sed & vulgari proverbio ἀντιπελαργεῖν, adeo quidem ut laudetur Solon, quod qui id non facerent, eos notarit infamia.* Solidis interim rationibus declarat *Grotius*, hoc, quod liberi parentibus debent alimenta, non æque esse ordinarium, atque illud, quod hi istos teneantur alere. Ratio prima est, quia *liberi cum nascuntur, nihil secum afferunt, unde vivant.* Altera ratio accedit, *quod* liberi *vivendum diutius habeant, quam parentes.* Ex quibus rationibus facile fluit, quod *sicut honor & obsequium parentibus debetur non liberis, ita educatio liberis magis quam parentibus. Non enim liberi parentibus, sed parentes liberis*

rem

rem congerere & servare debent. Et: *Ratio naturalis quasi lex quædam tacita liberis parentum hæreditatem addicit, velut ad debitam successionem eos vocando.* Illa *Paulus* Apostolus *2. Cor. XII, 14.* hæc *Paulus* JCtus *l. cum ratio 7. D. de bonis damnatorum* edisseruit. Add. alia testimonia a *Grotio §. 5.* allata.

VI. Ventilatione digna est etiam illa quæstio: *An in certo casu liberis hæreditas non amplius debeatur? Grotius* id affirmat, eaque quæ de conjectura voluntatis dixerat, ita locum habere censet, nisi in diversum indicia suppetant. In hoc indiciorum genere primum locum tribuit *abdicationi,* quæ Græcis ; secundum *exhæredationi,* quæ Romanis fuit usitata; tertio loco exceptionem addit: *Si non constet hunc illo esse genitum.* De abdicatione *Obertus Giphanius comment. ad lib. 8. Politic. Aristotelis c. 14. p. m. 704.* sic disserit: *Abdicatio Græcis usitata, Romæ rarior, nihil erat aliud, quam liberorum a familia rejectio, & alienatio, græce ἀποκήρυξις, quia sub præconis voce publice celebraretur, ut est apud Platonem libro nono de legibus, de qua mentio est & apud Quintilianum libro tertio & septimo, apud Senecam libro secundo controversiarum, & Hermogenem aliquoties. Et extat Luciani abdicatus. Abdicationis autem formulam mihi reperisse videor apud Valerium Maximum*

mum libro quinto cap. octavo, ubi Torquatus ad filium hunc in modum : (Abdicationis solennis formula) *Cum Silanum filium meum pecunias a sociis accepisse mihi probatum sit, & Republica eum & domo mea indignum judico, protinusque e conspectu meo abire jubeo.* Tam tristi Patris sententia perculsus Silanus, lucem ulterius intueri non sustinuit, suspendioque se proxima nocte consumpsit: nec tamen potuit obitu filii patris inflecti rigor, unde neque adolescentis exequiis interfuit, & cum maxime funus ejus duceretur, consulere se volentibus vacuas aures accommodavit, teste *Valerio Maximo* loco a *Giphanio* citato. Abdicatio igitur erat inter vivos: præcipuus exhæredationis effectus demum post mortem obtinebat. Pariter vi abdicationis & nomen & familia amittebantur: non item per exhæredationem. Faciunt mentionem abdicationis Impp. *Diocletianus & Maximianus l. abdicatio 6. C. de patria potestate*, verba *legis* hæc sunt : *Abdicatio, quæ Græco more ad alienandos liberos usurpabatur, &* ἀποκήρυξις (quidam legunt ἀποστέρησις: ἀποκήρυξις vero dicitur, quia parentes, teste Platone, solebant liberos ὑπὸ κήρυκος ἐναντίων ἁπάντων ἀπειπεῖν) *dicebatur, Romanis legibus non comprobatur.* Abdicandi causæ, ut annotat *Dionysius Gothofredus*, hæ fuerunt: *si filius noctu foris cubuisset*,

buisset, si commessaretur, si lenones pulsasset, libidini incumberet, si voluntati paternæ repugnasset. Exhæredationum Romanarum causas *Novella* 115. indicat.

VII. *Evenire potest, non ex lege tantum, sed & ex pactione, ut qui ex conjugio nati sunt, alimenta sola habeant, aut certe excludantur a præcipua hæreditate. Grotius §. 8. n.3.* Exempla videantur eodem *loco.* Add. Dn. *Ziegleri,* JCti, *notæ* eruditissimæ *ad h.l.*

Officiosa successio ab intestato quid & quotuplex?

§. 9. Officiosa successio ab intestato locum invenit tum demum, *quando* nempe *desunt liberi.* Estque iterum duplex pro duplici bonorum, de quorum successione agitur, ratione. *Aut* enim *bona sunt paterna avitaque, & sic salva debent esse generi, unde veniunt, sique non reperiatur is, a quo bona proxime venerunt, nec ejus liberi, gratia referenda est parenti superioris gradus ejusque liberis;* aut *bona sunt noviter quæsita, & sic succedit, qui defuncto charissimus fuisse creditur, is autem est, qui gradu cognationis proxime defunctum attingit.*

[*Grotius §. 8. 9. 10.*]

NOTÆ.

I. Quod de *bonorum paternorum avitorumque* successione ab intestato *Grotius* hic dixe-

dixerat, non ita accipi voluit, quasi naturaliter de bonis paternis avitisque testari non liceat, (*sæpe enim*, verba sunt *Grotii*, *indigentia amici alicujus efficit, ut id non laudabile modo sit, sed etiam necessarium*) sed ut appareat, quæ in dubio credenda sit fuisse voluntas intestati. Nam concessit *Grotius*, plenum dominium esse penes eum, de cujus voluntate egerat: At quia post mortem dominium hoc retinere non potest, & omnino pro certo haberi debet, noluisse eum perdere beneficii materiam, videndum omnino erat, quis esset in beneficiis ordo maxime naturalis.

II. In quonam vero ille ordo consistat, eleganter indicat *Grotius* verbis *Aristotelis* inquientis: *Potius est gratiam referri ei, qui benefecit, quam amico conferre beneficium.* Et *Ciceronis*: *Nullum officium referenda gratia magis necessarium est.*

III. Officium hoc duplex est, quia *gratia refertur aut viventibus, aut defunctis. Defunctis refertur gratia in eorum liberis, quia naturaliter pars sunt parentum, & quibus, si viverent, parentes maxime vellent benefieri.*

IV. Et hanc æquitatem secuti sunt *Justinianei Juris conditores*, æquitatis studiosissimi, in quæstione inter fratres plenos, & consanguineos, & uterinos, & aliis quibusdam, *l. quod scitis 3. C. de bonis, quæ liberis &c. l. de emancipatis 13. §. cum enim 2. C.*

 de

de legitimis heredibus, l sancimus 11. C. comm. de successionibus, Novell. 84. de consanguineis & uterinis fratribus. Quod etiam sensit *Aristoteles.*

V. Cur si non reperiatur is, a quo proxime bona venerunt ejusque liberi, parenti superioris gradus ejusque liberis minus quidem, sed tamen post illum proxime debeantur, rationem reddit *Grotius*, *cum eo modo maneatur intra proximos & ejus, de cujus hereditate agitur, & ejus, a quo proxime bona venerunt.* Quæ est sententia *Aristotelis.*

VI. In bonis noviter quæsitis si ei successio deferatur, qui gradu cognationis proxime defunctum attingit, videtur sic optime societas hominum conjunctioque servari. Equidem videri poterat, ac si defuncto charissima fuerit uxor, cum nulla charitas facile superet charitatem conjugalem, & ita videtur magni nominis Viris, quibus satisfacere laborant alii.

VII. Digna sunt testimonia, quæ hanc in rem collegit *Grotius §. 9. & 10.* quæ attente legantur. Inprimis facilem reddet hanc *Grotii* doctrinam frequens ac sedula inspectio *Boecleriana commentationis* in hoc *Grotii caput.*

§. 10.

§. 10. Regnorum successio ab intestato duplex est: alia illorum regnorum, *quæ pleno modo possidentur & in patrimonio sunt*; alia eorum, *quæ modum habendi accipiunt ex populi consensu. Prioris generis regna dividi possunt: Posterioris generis regna, ni aliud lex aut mos ferat, individua manent.* In illis *adoptati non minus veris liberis succedunt ex præsumta voluntate*: In his *non succedunt*, nisi qui nati sunt secundum patriæ leges. In illis *etiam ad eos proximos ultimi possessoris regnum perveniet, qui primum regem sanguine non attingunt, si talis successio in iis locis recepta sit*: In his *successio stat intra eos, qui descendunt à primo rege, eaque finita regnum redit ad populum.* Illa *dividi possunt inter mares & fœminas, imo si dictum sit, ne dividatur regnum, nec cui cedere debeat expressum, tamen ut quisque natu est maximus, mas aut fœmina regnum habebit*: Hæc uti dividi nequeunt, ita multo minus inter mares & fœminas dividi possunt, *mares* autem *præferuntur fœminis.*

DE REGNORUM SUCCESSIONE AB INTESTATO. *Ejus distinctio. Adducuntur variationes distinctionis.*

1.

2.

3.

4.

[*Grotius* §. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.]

NOTÆ.

I. Utut *Grotius* non neget, regna, de quorum successione ab intestato hic agitur, esse hæreditatem quandam, maluit tamen peculiarem tractationem instituere de regnorum successionibus ab intestato, partim quia talismodi hæreditas *separata est ab aliorum bonorum hæreditate, qualis hæreditas peculiaris in feudis quibusdam, emphyteusi, jure patronatus & jure præcipui, quod dicitur, conspicitur:* quam rationem ipse adfert §. 19. partim, qua certe ratione eum præcipue motum fuisse credimus, ut illustrem hujus capitis doctrinam illustri regnorum materia redderet satisque dignam, quæ ante Regum, inprimis Ludovici XIII. populorumque oculos staret.

II. Ut hæc *Grotii* doctrina intra animum recipi salva veritate queat; hoc perpetuo tenendum, nec in toto *capite* unquam ex animo dimittendum est, *Grotium* unice uniceque agere voluisse de successionibus in mere tacita voluntate fundatis. Et hoc causæ est, cur toties, quoties ad ea, quæ in contrarium objici posse videbantur, respondere voluit, expressæ voluntatis mentionem fecerit.

III. Generalis ratio, ob quam adeo magna multaque discrimina inter utriusque generis regnorum successiones ab intestato inter-

intercedunt, in eo videtur, si *Grotii* mentem venamur, consistere, quia prioris generis regna sunt quasi mere privata quædam hæreditas, ideo dicuntur esse in pleno jure proprietatis, id est, in patrimonio imperantis: at posterioris generis regna sunt quasi publica hæreditas populi: quod posterius sano sensu accipiendum est, h. e. ita, ut simul verum relinquatur, hujusmodi regna a populo facta esse hæreditaria, sub certis tamen conditionibus, de quarum præsumtione hic sermo est. Jam si quæratur, cur prioris generis regna dividua sint, posterioris generis individua, ratio adest, quia in dubio præsumitur Rex, in cujus patrimonio ac pleno proprietatis jure regnum est, id voluisse, quod suorum intererat, h. e. ut de regno patrimoniali æque ac de aliis rebus patrimonii disponeretur, sicque divisio regni locum haberet: Posterioris generis regna interim individua manent, quia *in eis præsumitur populus id voluisse, quod publice expedit præ cæteris: maxime* autem *ad tuendum regnum in populi concordiam facit firmiusque futurum est regnum, si penes unum remaneat, nec dividatur.* Porro si in quæstionem veniat, cur in prioris generis regnis adoptati non minus veris liberis succedant, causa eadem locum habebit, quia Rex creditur in dubio voluisse, quod suis utilissimum futurum erat, hinc & natu-

 ralibus

ralibus filiis ibi jus successionis quæri poterat: In posterioris vero generis regnis præsumitur populus detulisse jus succedendi iis, de quibus vera spes concipi poterat, unde præsumtio adest saltem pro iis, qui nati fuerant secundum patriæ leges, ut sic nec naturales jus quæsitum habeant, quia *creduntur ad contemtum populi patere*, & quod præcipuum est, *minus certi habentur, cum tamen in hujusmodi regnis*, quæ nempe populi libero consensu facta sunt certo modo hæreditaria, *maxime expediat populo, haberi maximam certitudinem, quæ haberi possit ad vitandas controversias.* Rursus cur in prioris generis regnis etiam ad eos proximos ultimi possessoris regnum pervenire præsumatur, qui primum Regem sanguine non attingunt, in posterioris vero generis regnis minime, luculenta ratio adest, quia *in his præsumitur populus voluisse, ne quisquam regnum caperet, nisi genitus ut regnaret:* In illis voluntas ejus, in cujus patrimonio erat regnum, ut in aliis bonis hæreditariis, sic ex parte patrimonialis regni, stat pro ratione. Pariter cur in prioris modi regnis fœminæ cum maribus ejusdem gradus æquale jus habeant, in posterioris modi regnis mares fœminis præferantur, ratio est eadem, nam mares tum ad bella, tum ad alias imperii partes magis idonei fœminis censentur, unde quia magis expedit, mares impe-

imperare, idem voluisse populus præsumitur.

§. II. Regnorum successio alia est *hæreditaria*, alia *linealis*. Successio hæreditaria est *in qua observatur jus subitionis in locum, quæ repræsentatio dicitur*. Successio linealis vocatur, *in qua non observatur jus subitionis in locum, quæ repræsentatio dicitur, sed jus transmittendi successionem futuram, ita ut hoc ipsum jus in posteros ex primo Rege venientes necessario transeat.* *Alia successionis regnorum divisio.*

[*Grotius* §. 22.]

NOTÆ.

I. Quando *Grotius* regnorum successionem distinguit in hæreditariam & linealem, hæreditariam in arctiori significatu sumere voluit, cum alias in laxiori significatu accepta hæreditaria successionis notione utraque successio, de qua hic agitur, cum hæreditaria arctius sic dicta, tum linealis, denominationem hæreditariæ successionis subire apta sit.

II. In eo igitur conveniunt successio hæreditaria & successio linealis, quod utraque latius sic dicta hæreditaria successio sit.

III. In hoc differunt, quod in hæreditaria successione locum habet repræsentatio, in lineali vero successione transmissioni locus est.

IV. *Repræsentatio* (vocabatur etiam a *Grotio subitio in locum*, item §. 6. *vicaria successio, quæ per stirpes fit*) *est quædam surrogatio de persona filii in personam patris, totiensque obtinet, quotiens quis non suo, sed patris jure succedit.* Tradit hanc definitionem *Bœclerus* ad §. 6. hujus *capitis*, qui simul sequentia addit apprime *Grotii* doctrinam & scopum illustrantia, quæ id propter huc transferre liceat: *Repræsentatio*, ait, *positi-tii sane juris habetur; dum ulteriores in locum suorum parentum fictione quadam juris promoventur, ut cum iis in stirpes succedant: ab æquitate tamen naturali excitatur suadeturque, ut hic Grotius ostendit. Neque abludunt inde cætera, quæ de Repræsentatione, in descendentibus in infinitum; in ascendentibus nunquam, in collateralibus obtinente in primo gradu filiorum, quando vel fratris filii cum patruis in bonis defuncti patrui succedunt, vel quando cum ascendentibus fratres defuncti ac fratrum filii succedunt, statuuntur rationibus manifestis & evidentibus nixa, quibus nihil æquius meliusve vir prudens repererit. Quanquam non uniusmodi legislationes & consuetudines hic occurrere constat, quarum quæ in toto argumento sit ratio habenda, Grotius ipse monet* §. 11. Hæc laudatus *Bœclerus* p. 253. & *seq.* qui simul commendat *Tholosanum Syntagm. I. V. lib. 45. c. 8. de successione nepotum.*

V. De

V. De transmissione sic acute differit Dn. *Zieglerus*, JCtus celeberrimus : *Ex legibus Romanorum non admittitur nepos jure repræsentationis, qui avo vivo non est conceptus arg. §. 8. Inst. de hær. quæ ab int. def. l. 1. §. 8. D. unde cogn. Id cum iniquum visum fuisset; excogitata fuit alia successionis species, quæ jure transmissionis fieri dicitur, per quod scil. futura successio quasi translata filio transmittitur ad nepotem.* Vid. pluribus in eruditissima *animadversione ad h. l.* Cæterum de transmissionis ratione plura *in seqq.* tradentur.

§. 12. Successio linealis duplex est: Una *si liberi primi possessoris* adsint. Altera *si liberi ejus desint.* In illa *primum* (1.) *vocantur possessoris ultimi liberi primi gradus, tam qui vivunt, quam qui mortui sunt : tum vero* (2.) *inter vivos & mortuos habetur ratio sexus primum, deinde* (3.) *ætatis : mortuorum autem* (4.) *jus si prævalet, transit ad eos, qui ab ipsis descendunt, pari rursum* (5.) *inter pares prærogativa sexus, ac deinceps* (6.) *ætatis, salvaque semper transmissione mortuorum in vivos, vivorum in mortuos.* In hac *venitur ad proximos simili transmissione, & inter pares in eadem linea observato discrimine sexus & ætatis,* *Successio linealis quotuplex?*

tatis, ita ut ob sexum & ætatem nunquam transeatur de linea in lineam.

[*Grotius* §. 22.]

NOTÆ.

I. Fundamentum successionis linealis *Grotius* constituit legem ex spe, dum ita disserit: *In regnis successio linealis dicitur, in qua observari solet jus transmittendi futuram successionem, quasi delatam, lege scilicet ex spe, quæ nihil ex se & naturaliter operatur, jus quoddam verum excitante.* Id quod clarius effert § *28.* his verbis: *In hoc genere successionis spes semel parta jus facit, nec ex post facto cessat.* His igitur verbis: *spes nihil ex se & naturaliter operatur*, ipse innuit, non existimandum esse, quasi spes per se jus faciat, quia alias speratum bonum, eo quod sperabatur, vindicari quoque potuisset: sed qu d arbitraria lege spes in jus animari possit, ceu §. *eod. n. 2.* dicitur, ut ita spes semel parta jus faciat.

II. Sic ergo luculentum discrimen conspicere datur inter hæreditariam successionem & successionem linealem: Scilicet in successione hæreditaria respectus habetur ad ultimum possessorem, in lineali primario ad primum possessorem respicitur. In hæreditaria sæpissime a linea prima ad tertiam transfertur successio, licet secunda nondum penitus sit extincta; in lineali vero nunquam

quam *a linea* prima ad tertiam transitur, si in secunda aliquis sit superstes.

III. Hoc posterius discrimen, quod nempe *præcedenti nota* posteriori loco adduximus, ex priori sponte sua fluit. Nam quia in hæreditaria successione respectus ultimi possessoris habendus est, facile evenire potest, ut fiat translatio successionis a prima ad tertiam lineam, linea secunda adhuc superstite, si nempe tertiæ lineæ propago ultimum possessorem propiori gradu attingat, quam quisque in linea secunda superstes: At in lineali respiciendum erat primario ad primum possessorem, unde fieri non poterat, ut e tertia linea quisquam succederet, nisi secunda plane extincta fuisset.

IV. Ex definitione linealis successionis a *Grotio* allata videbatur contrarium elucescere, utpote qui expresse scribit hoc ordine observari jus transmissionis, *ut primum vocentur liberi ultimi possessoris:* Imo si totum contextum, inprimis vero antecedentia verba adspicias, præter authoris voluntatem hanc vocem *ultimi* fortassis irrepsisse censeres. Sic enim habent verba antecedentia: *In successione lineali observari solet non jus illud subitionis in locum, quæ repræsentatio dicitur, sed jus transmittendi futuram successionem, quasi delatam, lege scilicet ex spe, quæ nihil ex se naturaliter operatur, jus quoddam verum excitante, ita ut hoc ipsum*

ipsum jus in posteros EX PRIMO REGE venientes necessario transeat, sed ordine certo, ut primum vocentur liberi ultimi possessoris &c. Pariter §. 23. scribit: *In lineali successione in infinitum admittuntur, etiam qui ab ultimo possessore remotissimo gradu distant, dum a primo rege descendant.* Exinde colligi hunc in modum poterant sequentia: 1. Si in hæreditaria successione quis potest succedere, qui plane non attingit primum regem cognatione, modo ultimum attingat, in lineali vero jus in posteros ex primo rege venientes necessario transit, sequitur, quod in hæreditaria successione ad ultimum, in lineali ad primum possessorem sit respiciendum. Prius est *Grotii* assertum, E. & posterius. 2. Si in successione lineali aut duntaxat maribus ex maribus jus successionis debetur, aut nunquam succedunt fœminæ & fœminis nati, si propiores aut pares cætera mares aut ex maribus defecerint; econtrario vero in successione hæreditaria res aliter se habet, sequitur, quod in lineali sit respiciendum ad primum, in hæreditaria ad ultimum possessorem. Prius est *Grotii* E. & posterius. 3. Si in lineali successione in infinitum admittuntur, etiam qui ab ultimo possessore remotissime distant, dum a primo rege descendant, sequitur, quod ad primum respiciatur possessorem. Prius est *Grotii* E. & posterius. Verum

rum ad ſingula crederes in Grotianæ ſententiæ defenſionem aliquid excipi poſſe, ita ut ad primum reſpondeatur quoad prius membrum dubitando de priori, quod nempe in hæreditaria ſucceſſione quis poſſit ſuccedere, qui plane non attingat primum Regem cognatione. Quid? quod hac conſequentia, ſi vel maxime veritas prioris membri obtineret, tamen inde nihil aliud evinceretur, quam quod in hæreditaria ſucceſſione ad ultimum poſſeſſorem ſit reſpiciendum, nondum vero, quod propterea in lineali ſucceſſione ad primum reſpiciendum ſit: Quod poſterius membrum refert, quaſi ſcilicet in lineali ſucceſſione jus in poſteros ex primo rege venientes neceſſario tranſeat, hoc quidem veriſſimum eſt, ſed inde non ſequitur, quod ad ultimum poſſeſſorem non debeat reſpici, ſed hoc ſolum putatur evinci, quod non ſolum ad ultimum, ſed etiam ad primum reſpiciendum ſit. Ad 2. dici forte poterat idem, quod dicebatur ad poſterius membrum argumenti prioris. Ad 3. quod attinet, iſtud ſano ſenſu totum concedi poterat. Paucis: Iſtud tandem evictum apparet, quod in lineali ſucceſſione primario ad primum poſſeſſorem reſpiciendum ſit, quo tamen non obſtante, hic ordo adhuc obtinebit in lineali ſucceſſione, *ut primum vocentur liberi ultimi poſſeſſoris primi gradus*.

V. Etiam

V. Etiam alia discrimina hæreditariæ successionis a lineali ex *Grotii* doctrinis liquent: Ita in lineali successione regnum semper est individuum; in hæreditaria potest esse dividuum. In lineali par jus fœminis esse nequit; in hæreditaria par jus esse potest. In hæreditaria primus possessor prævidere potest fore, ut deficientibus liberis non successuri sint nisi gradu cognationis proximo ei juncti; in lineali vero minime, cum ob ordinem lineæ nunquam transiliendum res aliter cadere possit. Linealis successionis fundamentum est spes populorum de optima educatione eorum, qui spem regni habent justissimam, quales sunt, quorum parentes, si viverent, essent successuri; hæreditariæ successionis fundamentum est spes proximæ cognationis, quod non successurus sit, nisi gradu cognationis proxime defuncto junctus.

VI. Ex dictis nunc licet utiliter deducere varias quæstiones; Ita in hæreditaria successione filius potest exhæredari a patre, ne in regnum succedat, quod in pleno jure proprietatis, hoc est in patrimonio pater habebat; in lineali successione exhæredatio a patre fieri nequit. Vid. *Grotius* §. 25. In successione hæreditaria abdicatio regni a patre facta liberis natis nocere potest, in lineali non potest nocere, quia ibi transmissio patri non est voluntaria, sed necessaria,

ria. In hæreditaria poteſt quoque abdicatio nocere liberis naſcituris ex arbitrio patris; in lineali minime, quia ibi populi voluntate naſcituris poteſt nocere, poteſt non nocere. Vid. *Grotius* §. 26. In utraque quidem ſucceſſione filius, qui ante regni adeptionem natus eſt, præfertur ei, qui in regia fortuna natus eſt, tamen in hæreditaria ſucceſſione fieri poteſt, ut in regia fortuna natus filius partem ferat, quod in lineali fieri nequit. Vid. *Grotius* §. 28. & 29. In hæreditaria ſucceſſione non ſemper nepos ex filio priore filio poſteriori præfertur; in lineali vero ſucceſſione ſemper: *Ibi enim mortui pro vivis habentur in hoc, ut in liberos tranſmittant, quare ſine ullo ætatis reſpectu præfertur, quia nec ætas nec ſexus efficiunt, ut deſeratur linea.* In hæreditaria ſucceſſione contingere poteſt, ut nepos ultimi regis ex filio priore, & filius poſterior, qui hujus nepotis patruus dici poterat, concurrant ad partes; in lineali ſucceſſione nunquam contingit. Vid. *Grotius* §. 30. Eadem diſtinctione reſpondetur ad quæſtionem inter fratrem ſuperſtitem ultimi regis, & fratris majoris filium. Vid. *Grotius* §. 31. In hæreditaria ſucceſſione fieri poteſt, ut regis patruus defuncti fratris filio, aut etiam filiæ præferatur; in lineali ſucceſſione ſemper contrarium obtinet, ita ut patruus poſtponatur. Vid. *Grotius* §. 32. Idem diſcrimen

ſatis-

satisfacit responsioni ad quæstionem inter nepotem ex filio & filiam. Vid. *Grotius* § 33. Idem ad quæstionem inter nepotem ex filio & nepotem majorem ex filia. Vid. §. 34. Ut neptis ex filio primogenito filium excludat, in hæreditaria successione recipi nequit, tamen in lineali successione. Vid. *Grotius* §. 35. & §. 18. n. 2. In hæreditaria successione postponenda est filia fratris maximi natu fratri Regis natu minori. Vid. §. 37.

Successio linealis quotuplex?

§. 13. Successio linealis iterum duplex est: *cognatica* & *agnatica*.

[*Grotius* §. 22. & 23.]

NOTA.

Quomodo cognosci possit, num successio linealis obtineat, *Grotius* luculenter exponit §. 22. n. 2. *Successionis*, inquiens, *hujus linealis argumentum, si lex & exempla desint, sumi poterit ex ordine, qui in publicis cœtibus hoc est, publicis sessionibus servatur. Nam si in eo habeatur ratio linearum, id signum erit, spem a lege in jus animatam, ita ut a morientibus in superstites transeat.*

Successio linealis cognatica quid?

§. 14. Successio linealis cognatica est, *in qua fœminæ & fœminis nati non excluduntur, sed postponuntur in eadem linea, ita ut etiam regressus ad eas sit, si propiores aut pares cætera mares aut ex maribus defecerint.*

[*Grotius* §. 22, n. 2.]

NO-

NOTÆ.

I. Intereſt noſſe, quomodo ſucceſſione lineali cognatica præferantur filiæ filiis, aut hi illis. Nam *filia ex filio præfertur filio ex filia, item filia ex fratre filio ex ſorore, rurſus filius majoris fratris fratri minori, atque ita in cæteris.*

II. Succeſſionem regni Caſtellæ *Grotius* exempli loco adfert, eam ſcilicet eſſe linealem cognaticam,& ad ejus exemplum majoratus jura in eo regno conſtituta, *§. 32. n. 1. §. 15.*

§. 15. Succeſſio linealis agnatica eſt *duntaxat marium ex maribus*, ita ut in ea fœminæ & fœminis nati plane excludantur. *Succeſſio linealis agnatica quid?*

[*Grotius §. 23.*]

NOTÆ.

I. Facillimum cognitu eſt diſcrimen inter ſucceſſionem linealem cognaticam & ſucceſſionem linealem agnaticam: In illa & fœminæ & fœminis nati admittuntur, utut in eadem linea poſtponantur: In hac & fœminæ & fœminis nati plane excluduntur.

II. *Grotius* noſter ſucceſſionem linealem agnaticam, in quantum a cognatica differt, maxime eam ob cauſam introductam cenſet, *ne per fœminarum matrimonia ad peregrinum ſanguinem imperium deveniret.*

III. Exempli loco adducit successionem regni Francici, inde natum illud; *LILIA NON NENT.* Eadem fuit successio in Davidis stirpe post Salomonem, *2. Paralip.* *XX, 3.*

IV. Notat *noster, esse & ubi deficiente agnatica substituatur successio cognatica*, §. 23.

V. Hæc de utraque successione, cum hæreditaria, tum lineali, dicere sicque *Grotium* secuti, distinguere maluimus. Manet interim verissimum, quod *ipse* notat his verbis: *Possunt & alii successionum modi introduci, aut populi voluntate, aut etiam ejus, qui regnum in patrimonio habet, ut alienare possit*: Exempli causa, si talis lex esset, ut si vel maxime Rex haberet liberos, fratres tamen ultimi possessoris præponerentur liberis, hi istis postponerentur. Hac de re pluribus videatur *Grotius noster* §. 24. ut & inprimis *annotatis ad hunc* §. Cur interim successionem ab intestato saltem dividere maluerit in hæreditariam & linealem, id propter factum putamus, quia utraque successio usu frequens est. Si quis distinguere velit inter successionem hæreditariam, linealem & neutram, ut tota *Grotii* doctrina ad unam divisionem reducatur, ei non refragabimur.

§. 16

§. 16. Potest etiam dividi successio regni ab intestato in *feudalem* & *non feudalem*, prout nempe regnum aliud *feudale*, aliud non feudale est. *Alia succ. regnorum ab intest. distinctio.*

[*Grotius* §. 20.]

NOTÆ.

I. *Grotius* hac de re ita disserit: *Ubi mos succedendi diversus est in allodiis & feudis, si regnum non sit feudale, aut certe primitus non fuerit, etiamsi postea dominium pro eo præstetur, succeditur ex lege, qua in allodiis succedebatur tempore regni instituti.* §. 20. Idem pergit: *In iis autem regnis, quæ primitus data sunt in feudum ab eo, qui plene dominus erat, sequenda erit lex successionis feudalis, quæ in gente quaque recepta fuit, quo tempore data est prima vestitura.* §. 21.

II. Dubitatio hic suboriri poterat, qua ratione hæc, quæ jamjam ex §. *20.* & *21.* allata fuerant, conveniant cum iis, quæ §. *19.* ipse *Grotius* disseruerat, quando expressis verbis hæc *ibidem* habentur: *Verius est regnum esse hæreditatem quandam, sed separatam ab aliorum bonorum hæreditate, qualis hæreditas peculiaris in feudis conspicitur.* Verum facillime hæc conciliantur. Nam §. *20.* & *21.* expresse *Grotius* distinxit inter regnum feudale & non feudale; præcedenti vero §. *19.* saltem comparare cum feudis regna voluit, non quidem quælibet, sed

ea, quæ populi libero consensu facta sunt hæreditaria, & ex præsumta populi voluntate deferuntur. Sic enim habent verba *Grotii: Quæritur, an regnum,* (scilicet quod modum habendi accipit ex populi consensu & ex eo hæreditarium dicitur) *ubi hunc in modum defertur,* qui a *Grotio* a §. *14.* usque *ad 19.* & ex eo a nobis præcedenti §. *10. p. 803.* expositus est, *pars sit hæreditatis? Et verius est esse hæreditatem quandam, sed separatam ab aliorum bonorum hæreditate, qualis hæreditas peculiaris in feudis quibusdam conspicitur.* Unde ne quidem *Grotius* simpliciter mentionem facit feudorum, sed saltem *quorundam feudorum,* ut ita hoc, & nihil aliud §. *19.* indicaverit, quod successio regnorum non quorumvis, sed quæ ex libera populi voluntate hæreditaria facta sunt & inde modum habendi accipiunt, fere eum in modum se habeat, quo in feudum legibus vel moribus illius populi succeditur. Hinc etiam talismodi regna hæreditaria, quæ nempe ex libero populi consensu talia sunt, emphyteusi, juri patronatus, juri præcipui comparat. Hujusmodi comparationum, quæ ultra *Grotii* scopum extendendæ non erant, terminos ac rationes enucleatius exposuit *Bæclerus p. 326. & seqq.* qui totus videatur.

III. Ad explicationem distinctionis inter regnum feudale & non feudale Grotianiqu

nique textus faciunt, quæ commendatus *Bœclerus* tradit *p. 328. Bona propria, beneficialibus & comparatis, apud scriptores medii ævi opponi; & beneficialia quidem ab aliquot retro seculis Feoda sive Feuda (Veegoet, recentius* Lehen-Gut) *propria autem, in Germanicis legibus Alode (hæreditatis & patrimonii vocibus ἐκ παραλλήλου sonantibus) postea Alodium & Alodialia dici notum, & pluribus viris eruditis demonstratum est, in quibus post Bignonium, Gottifredus Wendelinus in Glossario Salico, omnino videndus est. Hæc locutio ad regna etiam transfertur, ut alia allodialia, alia feudalia dicantur, & ad similitudinem successionis in bona, ratio succedendi in regnum, ubi præsumendo res geritur, explicetur.* His rite observatis facilis intellectus verborum *Grotii.* Scilicet successio feudalis regni erit ea, quæ fit secundum legem successionis feudalis, quæ in gente quaque recepta fuit, quo tempore data est investitura. Nec opus est, ut multis successio non feudalis regni explicetur, cum alias sit extra propositi nostri limites de feudis agere. Digna interim sunt, quæ *Bœclerus p. 329.* subjungit: *In regnis*, inquiens, *a principio feudalibus historia diligenter inspicienda est: an feudalis consuetudo etiam ad successionem pertinuerit; sive an conjectura alio ducat: an lex successionis feudalis, primum spectata, postea quoque obtinuerit. Va-*

 rie

rie enim ista temporibus commutari, &
ćturam diverse trahere possunt. Nem
stinxerat ipse *Grotius* inter regna a
pio feudalia, hoc est, *quæ primitus da*
in feudum, ab eo, qui plenus dominu
& in regna non ab initio statim feudali
est, *quæ primitus non fuerant feudalia,*
vero hominium (sacramentum fideli
pro iis præstitum fuerat. Ubi iterum
rate monet *Bœclerus*, in his, ubi ex po
hominium pro iis præstandum acce
sedulo attendendum esse, num feuda
tus regno per omnia suam formam de
ne? Si illud, non amplius successio,
ante fuerat, præsumi potest: Si hoc,
habebit, quod *Grotius* dicit, nempe
præsumitur jus pristinæ successionis, h
ex lege succeditur, qua in allodiis suc
batur tempore regni instituti.

QUÆSTIONE

Quæstio I.

An expletio juris, ut in præced
bus definiebatur, naturalit
sta sit, hoc est, an pro me
quod meum nondum est

mihi dari debet, aut loco rei meæ, aut mihi debitæ, cum eam ipsam consequi non possum, aliud tantundem valens salvo jure naturæ mihi vindicare possim adversus eum, qui rem meam detinet, vel mihi debet?

§. I.

PRo negante videntur facere sequentia: PRO NEGANTE SENTENTIA

I. Quodcunque naturaliter justum est, hoc legibus civilibus nequit esse vetitum.

Atqui sic attentata expletio juris legibus civilibus est vetita E. ARG. I.

Major patet.

Minor probatur: Ita expresse vis dicitur, *quotiens quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit, l. exstat enim 13. D. quod metus causa gestum erit, l. generali 54. C. de decurionibus, l. si quis curialis 12. C. de episcopis & clericis.*

II. Jus in propria causa sibi dicere est naturaliter injustum. ARG. II.

Allato modo explere jus est jus in propria causa sibi dicere E.

Major fundatur in ipsa naturali æquitate.

Minor per se manifesta est.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

§. 2. Affirmativa sententia demon
tur ex loco causæ finalis sequenti a
mento:

ARG.

Quodcunque moraliter necessariun
ad hoc, ut quis utatur suo jure
prietatis, quod dominium vocan
lud naturaliter est justum.

Atqui hoc, quod quis pro suo id, q
suum nondum est, sed sibi dari de
aut loco rei suæ, aut sibi debitæ,
eam ipsam consequi non potest, a
tantundem valens sibi vindicat
versus eum, qui rem suam detinet,
sibi debet, moraliter necessariun
ad hoc, ut quis utatur suo jure
prietatis, quod dominium vocant

Major nititur hoc axiomate: Neces
finis in moralibus facit jus, seu, quod
dem redit: Qui jus habet ad finem, i
etiam ad medium moraliter necessarium
habet. Ex quo principio *Grotius* multa
ralia in suo corpore *de J. B. & P.* dem
strat, nec mirari subeat, cur inde præci
juris naturalis & gentium dogmata dem
strare voluerit, cum, ut ipse rationem r
dit, hæ demonstrationes optimæ sint, d
sic differit: *Dominium hoc modo transf*
probatur a fine; quæ in moralibus optim
est probatio.

Minor probatur, quia frustra esset rei
tentio, si ea uti pro arbitrio non possen
qu

quod vero rem alienam detinere possim, si meam alterius culpa consequi nequeam, patet, quia hoc modo possum pertingere ad rem meam, nec tamen possum, nisi dominus fiam. Unde meum recupero & ad meum pertingo, dum quoties ad idem non possum pertingere, feror ad tantundem, hoc enim sic fit morali æstimatione idem: *Justitia* namque *expletrix* (commutativa) *quoties ad idem non potest pertingere, fertur ad tantundem, quod est morali æstimatione idem.* Unde qui utitur suo jure, nemini facit injuriam.

§. 3. Ad argumenta contraria respondetur, & quidem — RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. negando majorem. Non jam eam quæstionem nostram faciemus, an leges quædam civiles plane sint injustæ? quod alias *Grotius* asserit §. 1. hujus capitis, & exempli loco eas adfert, *quæ bona naufragorum fisco addicunt Auth. naufragia C. de furtis*, alibi alia recenset, de quibus videatur *Bœclerus in commentatione ad hunc* §. *p. m.* 241. Quo etiam spectat *Ungepaueri*, quondam JCti famigeratissimi in nostra Salana, integra *dissertatio de erroribus Justinianeis.* Sufficiat respondisse ad majorem propositionem negando, si de eo, quod naturaliter justum in sensu negante, hoc est, naturæ jure licitum est, sermo sit: multa quippe naturaliter justa eo, quem modo diximus, — ARG. I.

ſenſu legibus civilibus prohibentur
ſim dictum eſt, & per ſe perceptu
quod ſi vero major intelligatur
quod naturaliter juſtum eſt in ſer
mante, hoc eſt, naturæ jure præcep
minor eſt falſa, hoc eſt, falſum eſt, c
liſmodi expletio juris legibus civi
ges naturales repetentibus, (ut qu
obligatio naturali obligationi ſuper
tur,) prohibeatur. Quid? quod leg
les ſæpe etiam actus libere factos
miſſiones, aut irritos facere poſſint
vocabiles.

RESP AD. ARG. II. Ad II. reſpondetur, majorem pro
nem aut loqui de quovis homine,
mere privato. Si prius, ea non eſt
ſaliter vera: Quidni enim Princeps
periorem non recognoſcit, adver
ſubditos in propria cauſa ſibi jus
poſſet? Si poſterius, hoc eſt, ſi de m
vato major intelligitur, iterum mag
biguitas latet in phraſi, jus in propr
ſibi dicere: nam ſæpe idem eſt ac in
exercere, exempli gratia punire, & ſi
eſt vera de mere privato, ſed mino
ſæpe idem notat, ac jus ſuum, quod
ripit aut eripere ſtudet, vi tueri & vi
& ſi ita capiatur phraſis, ad duplex
reſpiciendum eſt, quo mere priva
jus in propria cauſa dicit, aut eni
judicium, & ſi de eo tempore maj

piatur, vera iterum eſt, ſed minor adhuc manet falſa: aut ceſſat judicium, (vel momentanee vel continuo,) & ſic cadit propoſitio major. Nam jus ſuum ſine affectato imperio & absq; animo puniendi, vi tueri ſibiq; vindicare, eo præciſe tempore, quo judicium ceſſat, non eſt naturaliter injuſtum, ſed tum demum, quando quis ſibi jus dicit, ubi judiciis locus eſt. Recte *Grotius* noſter: *Etiamſi lex civilis non directe prohiberet, ex ipſa tamen judiciorum inſtitutione ſequeretur hoc eſſe illicitum.* De ceſſationibus judicum egimus ſupra *Lib. I. cap. 3. §. 2. p. 375. & ſeqq.*

§. 4. Occaſionem quæſtionis *Grotius* præbet §. 2. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio II.

An ſucceſſio ab inteſtato, de qua prolixe actum eſt in hoc capite, recte dicatur fieri lege naturæ?

§. 1. Pro negante ſententia ſequens militat argumentum: PRO NEGANTE SENTENTIA ARG.

Cujus contrarium ſalvo naturæ jure introduci poteſt & mutari infinitis modis, hoc non fit lege naturæ.

Atqui ſucceſſionis ab inteſtato, in quantum magnam partem hoc capite declarata eſt, contrarium ſalvo naturæ jure

jure introduci potest, & mutari infinitis modis E.

Major probatur, quia lex naturæ est plane immutabilis.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA ARG.

§. 2. Affirmativa sententia probatur sequenti argumento:

Quodcunque sepositis aliis legibus, pactis, moribus, naturali conjecturæ maxime est consentaneum, hoc sano & commodo sensu naturaliter jus, item lege naturæ fieri dicitur.

Atqui successio ab intestato, ut magnam partem in capite declarabatur, sepositis aliis legibus, pactis, moribus, naturali conjecturæ maxime est consentaneum E.

Major est manifesta, quia etiam jus naturaliter, hoc est, lege naturæ justum, in sensu negante sumitur, ut *L. I. c. 1. §. 5. p. 12. & seq.* ostensum est.

Minor patet ex assertis naturalis æquitatis fundamentis, quibus in ipso capite successionem ab intestato variosque istius modos superstruximus.

RESPONDETUR AD ARGUM. CONTRARIUM.

§. 3. Ad argumentum in contrarium allatum respondetur, denuo præmissa & toties allata distinctione inter id quod naturali conjecturæ ac rectæ rationi consentaneum est, & quod jure naturæ necessarium est. Hæc, quæ de successione ab intestato dicta sunt,

ſunt, bonam partem ſunt juri naturali conſentanea, non tamen jure naturæ neceſſaria. Unde ſi de jure naturæ neceſſariis major intelligatur, concedi poteſt totum argumentum, quod non ſit neceſſarium jure naturæ, ut quis ita ſuccedat: ſufficit ad veritatem noſtri aſſerti, quod ubi nullum teſtamentum adeſt, ejusmodi conjecturæ naturaliſſimæ ſint. Unde facillime admittimus, quod ex diverſis cauſis voluntatem humanam moventibus, quæ de ſucceſſione ab inteſtato dicta ſunt, variari poſſint pactis, legibus, moribus: qui ſubitionem in locum in nonnullis gradibus admittunt, in aliis non admittunt; alibi diſtingvunt, unde bona veniant, alibi id inſuper habent. Eſt ubi primogeniti plus poſtgenitis ferunt, ut apud Hebræos: Eſt ubi inter ſe æquantur: Eſt ubi agnatorum habetur ratio; Eſt ubi cognati quilibet cum agnatis tantundem ferunt. Etiam ſexus alicubi momentum habet, ut vidimus, alicubi non habet: Et alibi cognationis ratio habetur intra propiores gradus: Alibi longius extenditur. Quæ hujus inſtituti non ſunt, nec talismodi cauſis ceſſantibus naturaliſſimæ, ut ſic loqui liceat, conjecturæ ſtatim ceſſant. Manet interim major propoſitio falſa, ſi de juri naturæ quocunque modo conſentaneis, ſive ſimul neceſſaria ſint, ſive minime, intelligatur. Relinquitur interim veriſſimum, quod

etiam ſucceſſio ab inteſtato detur jure naturæ neceſſaria in certis caſibus, ceu monuimus in doctrina de ſucceſſione debita, quam officioſæ contradiſtinximus.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occaſio habetur *§. 1. 2. & 11.*

CAPUT VIII.

De ACQUISITIONIBUS, QUÆ A ROMANIS JURECONSULTIS DICUNTUR FIERI JURE GENTIUM, NEC TAMEN EX MENTE GROTII SUNT JURIS GENTIUM VOLUNTARII ET IN OPPOSITIONE AD LEGES CIVILES ITA DICTI.

§. 1.

Illi modi ſunt ſeptem, ACquiſitionis dominiorum modi, qui *a Romanis JCtis, ubi de acquirendo rerum dominio agunt, recenſentur, quosque Juris gentium vocant*, ſunt ſeptem:

1. I. *Occupatio.*
[*Grotius* §. *1. & ſeqq. usque ad* 7.]

2. II. *Per fluvialia incrementa.*
[*Grotius* §. *8. 9. & 10.*]

3. III. *Alluvione.*
[*Grotius* §. *11. & ſeqq. usque ad 18.*]

IV. *per*

IV. *Per genituram animantium.* 4.
[*Grotius* §. 18.]
V. *Specificatio.* 5.
[*Grotius* §. 19. & *seqq.*]
VI. *Bonæ fidei possessio.* 6.
[*Grotius* §. 23. & 24.]
VII. *Traditio.* 7.
[*Grotius* §. 25.]

§. 2. Ex his septem modis *Grotius* primum censet esse juris naturalis, reliquos juris gentium improprie sic dicti, adeo ut per se sint juris civilis Romani.

[*Grotius* §. 1. & 26.]

NOTÆ.

I. Egerat *Grotius* de acquisitione, cum originaria, tum derivativa; mentionem fecerat cum ejus, quæ fit lege naturæ, tum quæ fit jure gentium: Itaque pro sua scribendi libertate recensere voluit eos modos, quos JCti Romani dicunt juris gentium, utut ex *Grotii* mente juris gentium proprie & simul in oppositione ad jus naturale jusque civile sic dicti modi non sint. Hinc expresse §. *ultimo* scribit: *Hæc ideo annotavimus, ne quis, reperta juris gentium voce apud Romani juris auctores, statim id jus intelligat, quod mutari non possit, sed diligenter distinguat naturalia præcepta ab his, quæ pro certo statu sunt naturalia; & jura multis populis*

pulis seorsim communia ab his, quæ societatis humanæ vinculum continent.

II. Scilicet recurrendum est ad ea, quæ *primo* statim *capite L. 1. Grotius* disseruerat de jure gentium voluntario, sicque & naturali, quia voluntarium est, & civili, quia pro fine mutuam gentium inter se societatem habet, distincto, cum civile jus per se non gentes integras inter se copulet, sed cives civibus aut etiam peregrinis quidem, non tamen quatenus gens integra sunt, sed singulæ personæ.

III. Duo igitur *Grotius* ad jus gentium voluntarium, quod pro proprie sic dicto habet, requirit: 1. ut non sit naturale. 2. ut per se ad gentium societatem socialemque tranquillitatem ordinetur. Prius requisitum liquet ex his verbis, quando §. *1. n. 2.* ait: *Primus acquirendi modus, qui juris gentium a Romanis dicitur, est occupatio eorum, quæ nullius sunt: qui modus haud dubie est naturalis &c.* Sic ergo occupationem negat esse juris gentium, quia non est juris voluntarii, sed naturalis. Secundum requisitum innuit, dum sic scribit: *Romani Jurisconsulti, ubi de acquirendo rerum dominio agunt, complures ejus acquirendi recensent modos, quos juris gentium vocant: sed si quis recte advertat, inveniet eos omnes, excepto belli jure, non pertinere ad jus gentium illud, de quo agimus: Sed aut referendos ad jus naturæ, aut*

aut ad ipsam legem civilem, non solius populi Romani, sed multarum circa nationum: credo quia talis legis sive moris origo a Græcis venerat, quorum instituta, ut Halicarnassensis & alii notant, Italiæ ac vicini populi sequebantur. Hoc autem non est jus illud gentium proprie dictum; neque enim pertinet ad mutuam gentium inter se societatem, sed ad cujusque populi tranqvillitatem: unde & ab uno populo aliis inconsultis mutari potuit, imo & hoc evenire, ut aliis locis atque temporibus longe alius mos communis, ac proinde jus gentium improprie dictum introduceretur: quod & revera factum videmus, ex quo Germanicæ nationes Europam ferme omnem invaserunt. Sicut enim olim jura Græca, ita tunc Germanica instituta passim recepta sunt, & nunc etiam vigent §. 1. n. 1. & 2.

IV. Unicum modum solenniter exemit *Grotius*, nempe acquisitionis, *quæ fit belli jure*: Hanc enim acquisitionem habet pro acquisitione juris gentium, quod nec naturale nec civile est: Hujus vero tractationem sequenti *tertio libro* suoque loco reservare voluit, de qua etiam ibi ad ipsius manuductionem agetur.

V. Sed plus satis de hoc capite, quod merito totum JCtis dijudicandum relinquimus, ad quos primario magisque spectat. Accedit, quod ipse *Grotius* magis

recensere, quam docere voluerit, quamvis non pauca in hoc capite occurrant ab ipso tradita, quæ præcedentibus capitibus faciliori forte & commodiori ordine percipi potuissent.

CAPUT IX.

De DOMINIORUM ET IMPERIORUM VARIIS AMISSIONIBUS ET DESITIONIBUS.

§. 1.

Desitio imperiorum ac dominiorum quotuplex?

DEsitio imperiorum ac dominiorum duplex est: Desinit quippe dominium aut imperium 1. *manente subjecto*, seu potius superstite eo seu iis, quibus jus imperii aut dominii quæsitum fuerat: Exempli gratia desiit imperium in Campanis, quando omnia sua in Romanorum ditionem dediderunt. 2. *Sublato subjecto, hoc est, eo, in quo est imperium vel dominium, ante alienationem scilicet vel tacitam vel expressam, qualis est desitio in successionibus ab intestato.*

[*Grotius* §. 1. 2. 3.]

NO-

NOTA.

Egerat hactenus *Grotius* noster de imperiorum ac dominiorum acquisitionibus, ideo peculiari capite ad generaliorem distinctionem imperiorum desitiones revocare hic voluit.

§. 2. Prioris modi desitio iterum est vel *voluntaria* ei, ex parte cujus desinit, vel involuntaria: Ita e. gr. voluntaria desitio est, quando sponte sua quis imperium, quod in servum habebat, plane derelinquit, vel etiam in alterum transfert: Contra involuntaria est, quando servus iste ab hoste jure belli capitur, fitque servus captoris. *Desitionis prioris modi distinctio.*

[*Grotius* §. 1.]

NOTA.

De hujusmodi desitionibus egimus in superioribus præceptis *L. I. cap. 3. p. 379.*

§. 3. Posterioris modi desitio varia est pro varietate subjectorum: maxime notabilis vero ea est, qua *desinente civitate* desinit imperium summum populo quæsitum, vel etiam in populum quæsitum alii aliisve. *Desitio posterioris modi varia.* *Præcipua desitio posterioris modi.*

[*Grotius* §. 3.]

§. 4. *Dupliciter populus desinit esse* *Duplex po-*

puli desitio.

populus 1. desitione materiæ sive corporis. 2. desitione formæ sive speciei.

[*Grotius* §. 3.]

Desitio populi ex parte corporis duplex.

§. 5. *Desitio populi, quæ fit desitione corporis* rursum *duplex* est: *aut enim corpus desinit desinentibus partibus suis, sine quibus corpus subsistere nequit, aut desinente corporis ratione.* Ipsæ partes desinere dicuntur simpliciter, quando vel omnes homines, ex quibus populus constabat, pereunt, vel tot ex iis, sine quibus populus amplius esse nequit: *Ita teste Platone Atlanticæ populi desierunt, quos mare abripuit, desierunt apud Senecam & Ammianum Marcellinum alii, quos terræ motus hausit penitus aut chasma, & qui sponte internecioni se dederunt, ut Sidonii & Saguntini. Ex antiquo Latio LIII. populos sine vestigiis interiisse ait Plinius. Corporis ratio desinit, si cives aut sponte discedant, ut: ob pestilentiam, aut seditionem, aut vi ita distrahantur, ut coire non possint, quod bellis accidit interdum.*

[*Grotius* §. 4. & 5.]

Desitio populi ex parte formæ duplex.

§. 5. Desitio populi, quæ fit desitione speciei aut formæ, iterũ duplex est: aut

aut enim tollitur ſaltem civilis libertas, libertate perſonali retenta: ſic de Capua narrat Livius *placuiſſe Romanis, ut tanquam urbs habitaretur, corpus nullum, civitatis, nec ſenatus, nec plebis concilium nec magiſtratus eſſet, ſed ſine conſilio publico, ſine imperio multitudo, cui præfectus Roma miſſus jus redderet, unde imaginem reipublicæ nullam Capuæ relictam dicit Cicero*: aut una cum civili libertate libertas perſonalis tollitur, ſic *ut ſinguli perſonalem quoque ſervitutem ſubeant, ita Mycenæi ab Argivis, Olynthii a Philippo, Thebani ab Alexandro venditi, Brutii a Romanis publicis ſervitiis mancipati.*

[*Grotius* §. 6.]

NOTÆ.

I. *Si loco migraverit populus, ſive ſponte ob inediam aut alia mala; ſive coactus, ut populus Carthaginenſis bello Punico tertio, ſi ſpecies, quæ dicebatur, maneat, populus eſſe non deſinit, multoque minus ſi muri tantum urbis disjecti ſunt. Itaque cum ad pacem Græciæ jurandam Lacedæmonii negarent admittendos Meſſenios, quod ejus urbis muri eſſent diruti contra eos a communi ſociorum res judicata eſt, Grotius* §. 7. ut ita ſolius loci mu-

tatio non mutet aut desinere faciat populum.

II. *Nec desinit populus esse, si quando cum alio uniatur, quia sic non amittuntur jura, sed communicantur, sicut Sabinorum primo, deinde Albanorum jus in Romanos transfusum est, & una facta respublica, ut Livius loquitur. Idemque censendum de regnis, quæ non fœdere, aut eo duntaxat, quod Regem communem habeant, sed vera unitate junguntur §. 9.*

III. *Contra evenit, ut qui unus populus fuerat, dividatur, aut consensu mutuo, aut vi bellica, sicut corpus Imperii Persici divisum est in Alexandri successores. Quod cum fit, plura pro uno existunt summa imperia, cum suo jure in partes singulas. Si quid autem commune fuerit, id communiter aut est administrandum, aut pro ratis portionibus dividendum. Huc referenda & discessio, quæ ex consensu fit in colonias, §. 10.* si nempe ita discedatur, ut colonia matrici suæ, non obedientiam ac subjectionem, sed reverentiam ac quandam venerationem debeat. Ita, ut *Thucydides* ait, coloniæ cum urbibus matricibus apud Græcos pari jure erant libertatis, sed debebant τιμᾶν τὴν μητρόπολιν & exhibere τὰ γέρα τὰ ὁμιζόμενα, reverentiam scilicet & honoris signa quædam. De coloniis videantur *Carolus Sigonius de antiquo Jure Italiæ*, & *Velserus Rerum August. Vind. L. V.*

Ean-

Eandem materiam quodammodo persecuti sunt *Rosinus*, *Bodinus* & *Tholosanus*. Adjecit *Grotius* quæstionem illam, quam *nobilem apud Historicos & JCtos* vocat, *de his, quæ Romani Imperii fuerunt, quibus nunc sint?* Quam quæstionem parum felici successu & in favorem Papæ decidere ausus est, contra eum vero eandem felicissime & exactissime decisam deprehendere licet apud celeberrimos Viros: *Limnæum in addit. ad jus publ. tom. 5. ad lib. 1. cap. 4. num. 24. p. m. 7. & seqq.* ubi *Grotii* sententiam prolixe examinat; *Conringium in* illustri *tractatu de Germ. Imp. Rom. cap. 7. & 10. Zieglerum* in *animadversionibus* ad *h. l.*

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

An mutato imperio ex Monarchico in Polyarchicum, aut contra, idem maneat populus, eadem civitas, nec ne?

§. 1.

Affirmativa probatur seqventibus: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA

I. Ubi desinit forma, ibi desinit totum compositum. ARG. I.

 Atqui

Atqui mutato imperio ex Monarchico in Polyarchicum aut contra, desinit forma populi vel civitatis E.

Non manet idem populus, aut eadem civitas.

Major patet, quia forma dat esse composito.

Minor probatur, quia forma civitatis dicitur Respublica, quæ est vel Monarchia, vel Polyarchia.

Arg. II. II. Accedit auctoritas *Philosophi*, qui *III. Politic. cap. 2. edit. Conring. p. 144.* eandem sententiam expressis verbis defendit, dum sic disserit: *Siquidem enim est communio quædam civitas (est namque communio civium) cum civitas diversa redditur specie respublica variatur, necessarium esse utique videretur & civitatem esse non eandem. Quemadmodum & chorum, quandoque quidem comicum, quandoque autem tragicum, diversum esse dicimus, iisdem sæpe hominibus existentibus. Eodem autem pacto & omnem aliam communionem & compositionem diversam, si species diversa sit compositionis, ceu harmoniam iisdem sonis existentibus diversam esse diceremus, quando fuerit Doria, vel quando Phrygia. Si jam res se habet hoc modo, perspicuum est maxime dicendum civitatem esse unam, ad remp. respicientes.*

§. 2.

§. 2. Pro negante sententia sequens *Grotii* militat argumentum: PRO NEGATIVA SENTENTIA ARG.

Quo mutato fieri potest, ut adhuc una eademque rei forma maneat, eo mutato, non mutatur res ipsa.

Atqui mutato imperio ex Monarchico in Polyarchicum aut contra, fieri potest, ut adhuc una eademque civitatis adeoque populi forma maneat E.

Mutato imperio ex Monarchico in Polyarchicum aut contra manere potest idem populus eademque civitas.

Major patet, quia manente forma rei manet res ipsa.

Minor probatur, quia licet imperium ante penes unum fuerit, nunc penes plures, aut contra, idem tamen manet imperium, ejusdem juris atque imperii consociatio, manet ordo eorum, qui regunt, quique reguntur imperio civili.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. prænotando, quod ut aliarum rerum, ita etiam Reipublicæ plures simul possint esse formæ aut ordines: ita exempli gratia alia forma hominis est, ut est animal, alia ut est tale animal scilicet rationale ac sociale: Magis istud conspicere datur in iis, quæ in *Scholis* entia per accidens dicuntur, & per se plura, per accidens unum sunt, maxime si ea intuearis, quæ hoc, quod RESP. AD ARG. I.

unum ſunt, habent a certo ordine: Ita exempli gratia una legio eſt & manet, licet duplex ſit ordo, unus, quatenus regitur, alter quatenus militat. Pariter comparatum eſſe credas cum civitate, cujus itidem duplex ordo datur: unus eſt conſociatio juris atque imperii; alter ordo partium inter ſe earum, quæ regunt & quæ reguntur imperio civili. Hoc ita præmiſſo reſpondetur, majorem, quæ hæc erat: *ubi deſinit forma, ibi deſinit totum compoſitum*, non eſſe univerſaliter veram, quia forma dari poteſt, qua deſinente non deſinit compoſitum, ſi nempe, ut diximus, compoſitum inde non habeat, quod ſit quomodocunque compoſitum, ſed ſaltem quod ſit tale compoſitum. Huc ergo redit tota difficultas: An civitas aut populus hoc, quod ſit civitas aut populus, habeat inde, quod regimen datur Monarchicum aut Polyarchicum? Et reſpondetur aliter videri. Nam per hoc eſt civitas, quod eſt cœtus hominum ita ordinatus ac ſociatus, ut ſit, qui regat, quique regatur imperio civili, per hoc populus eſt populus, quod eſt cœtus hominum, qui imperio civili reguntur: At imperium civile ſummum eſſe penes unum vel uno plures, hosve multos aut paucos, ab eo non pendet civitas aut populus, ita ut per hoc primo ſit civitas aut populus, ſed inde eſt talis civitas aut talis populus. Non enim ad

civi-

civitatem ut civitatem requiritur, ut regatur ab unico, nec requiritur, ut regatur a pluribus, ſed ſufficit, ſi imperio civili regatur, ſive ab uno regatur, ſive a pluribus. Unde ad hoc, ut multitudo hominum ſit populus, ſit civitas, ſatis eſt, ſi regatur imperio civili, ſive ſeipſam regat, ſive non regat, modo regatur: an vero ſit talis civitas monarchica vel polyarchica, hoc non ſpectat ad notionem civitatis ut ſic, ſed ut eſt talis. Nam aliud eſt, civitatem non poſſe eſſe ſine ſummo imperio civili, aliud non poſſe eſſe ſine ſummo imperio tali e. g. Polyarchico. Illud nequit fieri, & arguit formam talem, nempe talis civitatis, exempli gratia polyarchiæ. Et ſane Politicus magis ſpectat formam civitatis ut ſic, JCtus talem vel talem formam, formæ, unde civitas hoc habet, quod civitas ſit, conſideratione Politico relicta. Philoſophus enim nimis abſtracte conſiderat Rempublicam, dum nempe non conſiderato ſuppoſito, cui Majeſtas competit, varias ſummi imperii civilis partes, objecta, modos habendi, imo omnia, quibus cum ſummitas, tum plenitudo & quæ id genus alia ſunt, abſolvitur, expendit, non quaſi imperium civile ſine ſuppoſito detur, cum exercitium a ſuppoſito, cui jus imperii quæſitum eſt, pendeat, ſed quia reſpectus imperii civilis ad unum vel plures, quibus competat, extra primum impe-

imperii civilis conceptum est: At jure publico Consulti officium est, concretive summum imperium civile cgnoscere, prout est in hoc vel illis. Et licet non adeo magnum inter politicam Jurisque Publici prudentiam discrimen foret, ex quo eas ut diversas specie artes, hoc est, habitus in formam artium seu disciplinarum redactos daretur colligere, hodierna tamen praxis testatur nimium quantum Politicum & Publicistam, ut vocant, ab invicem discrepare: Ipse *Aristoteles* hanc *specialem doctrinam*, quæ vulgo *Juris Publici* dicitur a generali, hoc est, doctrina hodie *κατ' ἐξοχὴν* dicta *Politica*, separavit, & certe dolendum est, nobis saltem *opus universalis Politicæ*, non tamen nisi mutilum, ceu *octo* ejus *libri de Republica*, qui supersunt, monstrant, relictum esse, alterum vero *opus particularis Politicæ*, quo tantum non omnes sui ævi Respublicas veras descripserat, majore temporum invidia plene nobis usque ad paucula *fragmenta* interceptum fuisse, nobilissimis viris, *Conringio* & *Thomasio*, ita censentibus. Quid? quod *Scholis* continuo affixi minus feliciter certæ reipublicæ statum cognoscere multoque minus arcana ejus dijudicare valeant, sæpe illis plane incognita, qui in mediis versantur aulis. Interim si major propositio præcise intellecta fuisset de forma, unde res hoc, quod sit, habet, non quod talis

lis vel talis sit, sic majore concessa, minor destituta mansisset omni probatione. Hoc unicum adjicere lubet, terminos: *forma*, *compositio*, *partes*, *mutatio*, in præsenti disquisitione multis imposuisse & adhuc imponere, dum physico modo accipiuntur, ut vel nimis cruda horum terminorum acceptio multarum difficultatum mater sit, dum metuuntur, ubi non sunt; finguntur, ubi non opus est.

Ad II. ut respondeatur, opus forte non est, ut dicatur *amicus Plato*, *amicus Aristoteles*, *magis amica veritas*. Credimus quippe *Aristotelis* & *Grotii* in hac disquisitione consensum. Nam si inspiciamus verba *Aristotelis* totumque & citati *secundi* & præcedentis *primi* contextum, movet *Aristoteles* ejusmodi quæstiones Politicas, easdemque sic decidit, ut non adeo inexsuperabilis difficultas videatur, *Grotium* cum *Aristotele* conciliare voluisse. Ita *capite primo Libri tertii* scribit: *Ambigunt quidam, quando civitas aliquid gessit, & quando minime civitas? ceu quando e dominatu paucorum vel tyrannide extiterit status multitudinis. Tunc enim neque contractus quidam dissolvere volunt: tanquam non civitas sed tyrannus pecuniam acceperit: neque alia multa hujuscemodi servare tanquam respublicæ nonnullæ vi potestateque constent, & non publicam utilitatem propositam habeant. Siquidem igitur & status*

tus populares quidam ita administrant, eodem hoc modo similiter civitatis hujus dicendum est esse hujusce reipublicæ actiones & quæ à dominatu paucorum, & quæ a tyrannide. Utut enim, ceu verosimile censet πολιμώτατος Conringius in acutissimis *Politicorum Aristotelis emendationibus p.m.681.* nonnulla hic desint, cum sermo non recte fluat more Aristotelico, imo omnia quæ seqvuntur verba: *tanquam Resp. &c.* adeo sint mendosa, ut commodum sensum elicere nequeas, nec vidit celeberrimus vir, qui possent apte corrigi, unde hunc locum tanquam deploratum prudentissime præteriit; in quo exacto judicio merito acquiescimus: ad oculum tamen patet, *Aristotelis* sententiam hanc fuisse, quod de quæstione hac: *An mutata republica veteribus pactis & fœderibus sit standum?* nihil certi, nihil solidi definiri possit, nisi prius solide explicetur & enucleetur quæstio: *Qua nota seu re civitas eadem vel alia sit æstimanda, populus idem vel alius?* Hinc ea de causa *Aristoteles* statim, postquam dictum in modum disseruerat, ita philosophari incipit: *Videtur autem sua propriaque oratio esse hujus disputationis, quomodo nam decet dicere, civitatem esse eandem vel non eandem, sed diversam. Levissima igitur investigatio dubitationis est, circa locum & homines. Contingit enim disjungi locum & homines, & hos quidem*

dem hunc, alios vero alium locum inhabitare. Hanc igitur mitiorem esse dubitationem, ponendum est: (idem hoc est, quod *Grotius* docuerat, ceu §. *1. p.837.* monuimus, quod loci mutatio non mutet populum, ut ita licet cives seu homines locum plane mutent vel loco dividantur, modo iidem cives aut homines maneant, tamen adhuc eadem civitas sint.) Pergit: *Eodem autem pacto iisdem hominibus locum incolentibus, quando convenit putare unam esse civitatem? nullo enim pacto mœnibus. Liceret namque Peloponneso murum circumjacere. Hujuscemodi autem fortasse est & Babylon, & omnis, quæ circumscriptionem magis habet gentis quam urbis. Qua ajunt capta jam tertium diem non sensisse partem quandam civitatis.* (Fieri posse indicat *Aristoteles*, ut gens tota vel regio unis mœnibus concludatur, ut insula vel peninsula, ut Peloponnesus, cui similem ait esse Babylonem, cujus tantus fuerit ambitus, ut gens potius quam civitas videretur. Nam teste *Herodoto L. I.* & *Strabone L. X.* ambitus Babylonis 60000. passuum complectebatur, Roma vetus 14006. adeo quidem, ut a Cyro extremæ Babylonis partes jam captæ essent, priusquam captam sentirent, qui in media urbe habitarent, teste *Herodoto*, & quidem triduo ante, ut hic *Aristoteles*. Non igitur mœnibus aut loco civitatem eandem vel aliam

aliam judicat.) *Verum de hac dubitatione in aliud tempus magis opportunum utilis erit consideratio. De magnitudine enim societatis & quantitas & utrum una gens vel plures conducant, opus est minime ignota esse homini civili. Sed iisdem eundem locum habitantibus utrum donec extiterit genus idem habitantium, eandem esse dicendum sit civitatem, & si semper hi quidem intereunt, hi autem nascuntur? quemadmodum & fluvios consuevimus eosdem dicere & fontes eosdem, etsi semper hæc quidem aqua scaturiat, hæc effluat. Vel homines dicendum esse eosdem propter hujuscemodi causam, civitatem diversam?* Jam demum seqvuntur verba argumenti secundo loco contra *Grotii* sententiam allata, & inprimis notationem merentur ultima verba, quæ hæc sunt: *Si jam res se habet hoc modo, perspicuum est maxime dicendum civitatem esse unam, ad remp. respicientes: nomine autem vocare diverso vel eodem licet & iisdem habitantibus ipsam, & valde diversis hominibus. An autem justum est dissolvere, vel non dissolvere, quando in aliam remp. mutata fuerit, alia oratio est.* Itaque non dubitamus, quin *Aristoteles* hanc ipsam quæstionem: *Num vetera fœdera & pacta sint servanda mutato imperio monarchico in polyarchicum aut contra?* Si ex professo decidere voluisset, sic decisurus fuisset, ut in certis casibus, etiam imperio

tio monarchico in polyarchicum mutato, adhuc vetera pacta & fœdera ſervanda eſſe pronunciaſſet, ex hoc fundamento, quod ſpecialis quidem forma tunc mutata dici debeat, vi formæ generalis eadem civitate manente.

§. 4. Occaſio hujus quæſtionis extat §. 8. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio II.

An deſinat populus debere pecuniam, Rege ſibi impoſito, quam liber debebat?

Non eſt, cur hujus quæſtionis deciſioni immoremur: ſtante quippe prioris quæſtionis veritate, quod eadem civitas idemque populus maneat, quidni adhuc teneretur exſolvere nomina.

Quæſtio III.

An mutato imperio democratico in ariſtocraticum, populus aut civitas ſubjectum ſummi imperii maneat?

§. 1. Negativa probatur ſequenti argumento: PRO NEGATIVA SENTENTIA

Arg. Si mutato imperio democratico in monarchicum, populus aut civitas subjectum maneret summi imperii civilis, sequitur duplicem dari majestatem, seu duplex summum imperium civile.

Consequens est absurdum E. & antecedens.

Consequentia patet: nam si imperium factum est monarchicum, erit penes unicam personam: & si idem populus aut eadem civitas, penes quam ante imperium fuerat, adhuc est subjectum summi imperii, personale tale imperium dici nequaquam poterit.

Prioris absurditas inde liquet, quod omnes accuratiores Politici distinctionem inter majestatem personalem & realem rejiciant, ut hanc distinctionem denuo refutare esset laborem confectum suscipere.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

§. 2. Pro affirmante sequens facit argumentum:

Arg. Si recte distinguitur inter majestatis subjectum commune & proprium, in qualibet republica, sequitur, quod mutato imperio democratico in monarchicum, adhuc subjectum summi imperii civilis populus aut civitas maneat.

Prius est verum E. & posterius.

Conse-

Conſequentia patet, modo repetantur ea, quæ ſupra *L. I. c. 3. §. 34. & ſeqq. p. 388. ſeqq.* de duplici ſubjecto majeſtatis dicta ſunt.

Prius ex loco in probatione conſequentiæ jam citato itidem liquet.

§. 3. Ad argumentum in contrarium allatum reſpondetur negando conſequentiam majoris. Nam qui majeſtatem divellunt in realem & perſonalem, perſonalem vocant, quæ a civitate, cui toti nec vacat nec lubet majeſtatem exercere, in perſonam certam aut certas collata eſt, hinc dicunt perſonalem & imperantis ſeu regnantis aut imperantium, Monarchæ vel Ariſtocratum, ita ut eæ perſonæ dependentes a majeſtate reali eam exerceant, perſonis autem e republica aut vita abeuntibus ſimul intercidat aut evaneſcat: (Imo ſubdividunt nonnulli majeſtatem perſonalem & in monarchicã & in ariſtocraticam ut & democraticam.) Majeſtatem autem realem definiunt, quod ſit ea, quæ populo inſita ſit, ideoque civitati coæva, & quamdiu corpus ejus durat permanens, neque una cum vita imperantis aut imperantium exſpirans. Hinc majeſtatem civitatis, item imperii majeſtatem appellant, imo majeſtatem hanc, quam ſcilicet realem nuncupant, volunt eſſe fundamentum majeſtatis perſonalis, cui perſonalis dignitate ac nobilitate cedat,

RESPONDETUR AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

prout alias jura realia fere nobiliora personalibus habeantur: vi hujus majestatis realis personalem majestatem regibus & aristocratibus, (imo & populo aut præcipuis quibusdā ex populo, qui totū populum repræsentent, cum de quibuslibet negotiis omniū, ex quibus populus constat, suffragia explorare & immensum laborem & liberalius, quam in quosvis promiscue cadit, otium, exigeret, ut ita in non paucis, minoris præsertim momenti negotiis, aliquibus potestas multa definiendi & decidendi competat, quæ potestas sit personalis, quaque qui armati sunt, repræsentativus populus sint, hoc est populum universum repræsentent) conferri, reges evehi & deponi, hanc majestatem realem censent sub ipsis regnis & alternationibus gubernationum durare, nec magis a populo abesse, quam vitam ab homine posse. Inde amplius deducunt, quod crimen læsæ Majestatis & adversus populum & adversus Regem committi possit, adversus hunc crimen læsæ Majestatis personalis, adversus illum crimen læsæ Majestatis realis. Sed unde probabitur allata consequentia majoris, quod nempe mutato imperio democratico in monarchicum populus aut civitas subjectum Majestatis manere nequeat, nisi admissa distinctione inter majestatem personalem & realem? Nam quod in probatione dicebatur, civitatem

sic

ſic fore ſubjectum aut realis majeſtatis, aut perſonalis majeſtatis: Ad hoc reſpondeatur civitatem manſuram eſſe ſubjectum majeſtatis perſonalis, non tamen proprium, ſed commune. Repetantur ea, quæ ſupra *p. 389. not. 2. ad §. 35.* monuimus.

§. 4. Occaſionem quæſtionis exhibet *Grotius §. 8.* quando *n. 1.* hæc habet: *Neque refert, quomodo gubernetur, regio ne, an plurium, an multitudinis imperio. Idem enim eſt populus Romanus ſub Regibus, Conſulibus, Imperatoribus. Imo etiamſi pleniſſimo jure regnetur, populus idem erit, qui antea erat, cum ſui eſſet juris, dum Rex ei præſit, ut caput iſtius populi, non ut caput alterius populi. Nam imperium quod in Rege eſt ut in capite, in populo manet ut in toto, cujus pars eſt caput: atque adeo rege ſi electus eſt, aut regis familia extincta, jus imperandi ad populum redit.* Et ſeq. *n. 3.* hæc adjicit ejusdem fere tenoris: *Non deſinit debere pecuniam populus, rege ſibi impoſito, quam liber debebat: eſt enim idem populus, & dominium retinet eorum, quæ populi fuerant, imo & imperium in ſe retinet, quanquam jam non exercendum a corpore ſed a capite.* Ex his verbis num duplex illa majeſtas, una realis, quæ penes populum, altera perſonalis, quæ penes Regem reſideat, ſufficienter colligi poſſit, quaſi ſcilicet ſubjectum majeſtatis realis ſit populus, perſonalis Majeſtatis rex, ſicque *Grotius* OCCASIO QUÆSTIONIS.

tius ipse assertor tam erroneæ & pernitiosissimæ distinctionis extiterit, aliis dijudicandum lubenter relinquimus, quamvis vix credibile sit, eum hic statuminare voluisse, cujus contrarium data opera & sedato animo ex professo præcedentis *Lib. I. c. 3.* refutaverat. Interim sit, quicquid sit, si hoc voluit *Grotius*, quod mutato imperio Democratico in Monarchicum populus aut civitas subjectum Majestatis maneat ita, ut si quæratur confuse, ubi summum imperium civile inveniri possit? respondeatur, istud esse penes populum aut civitatem quærendum; si vero inquiratur distinctius, quisnam ibi summum imperium civile habeat? respondeatur, antea quidem, cum civitas adhuc esset Democratica, eam totam sicque populum totum habuisse summum imperium civile, nunc vero postquam imperium Democraticum in Monarchicum mutabatur, neminem ex populo nisi Regem, habere summam potestatem, qua explicatione stante non magis opus fuerit distinctione inter duplicem majestatem realem, & personalem, atque duplici visu opus est ad hoc, ut subjectum commune visus dicatur corpus, proprium oculus. Numne enim hæc distinctio locum habere nunquam poterit, nisi distinxeris inter visum corporalem & ocularem, ut ille corpori, hic oculo competat, ut oculus hunc a corpore habeat,

beat, ut cessante visione oculi interea corpus videat, & eruto oculo visus maneat in aliis corporis partibus. At si aliud voluisset *Grotius*, omnino deserendus erat, nec tamen statim deserenda hujus quæstionis sententia. Agnoscimus sane cum ipso *Grotio* impiam & pernitiosissimam hanc sententiam, qua imperantes non aliter superiores censentur, quam quatenus patiuntur se in ordinem redigi; qua imperantes subditis singulis superiores, universis inferiores finguntur; superiores, si bene, inferiores, si male imperent; qua Respubl. bicipites & monstrosæ redduntur, quæque, ceu *L. I. cap. 3. p. 440.* monuimus, Regibus ac Aristocratibus jugulum, omnibusque Rebuspublicis universi terrarum orbis horribilem μεταμόρφωσιν minitatur.

Quæstio IV.

An civitates possint esse immortales?

§. 1. Pro negante sententia facit sequens argumentum: PRO NEGANTE SENTENTIA

Si in qualibet civitate fieri potest, ut omnes, ex quibus populus ante constabat, esse desinant, ut ex iis ne unicus quidem supersit, sequitur, quod civi- ARG.

civitates non possint esse immortales.

Prius est verum E. & Posterius.

Consequentia patet.

Minor nulla eget probatione.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA ARG. §. 2. Affirmativa sententia probatur sequenti argumento:

Quicquid est ex eo corporum genere, quod ex distantibus constat, unique nomini subjectum est, illud potest esse immortale.

Atqui civitas est ex eo corporum genere, quod ex distantibus constat, unique nomini subjectum est E.

Major propositio est manifesta: ita *Aristoteles* flumen populo comparans, ut ex *præcedentis quæstionis* §.3. liquet, dixit flumina eadem vocari, quanquam alia semper subeat aqua, alia decedat: *Manet idem fluminis nomen, sed aqua transmissa est*, ait *Seneca*. Neque vero manet nomen inane, sed & ἕξις σώματος συνεκτική: Sic corpus naturale idem esse non desinit, particulis paulatim commutatis, una manente specie, ut *Alfenus l. proponebatur 76. D. de judiciis* ex Philosophis disserit, qui itidem exempli loco adducit navem, quæ adeo sæpe refecta est, ut nulla tabula eadem permaneat, quæ non nova sit, nihilominus eadem navis esse existimatur. Refert *Plutarchus Theseo*, ut & *libello de sera numinis vindicta*, navem,

in

in qua cum delecta juventute navigâverat salvusque redierat Theseus, triginta aptam remis, conservasse Athenienses ad usque tempora Demetrii Phalerensis, subtrahendo ligna vetustate cariosa, subjiciendo alia, ita ut cohærerent, indeque exemplum hanc navem factam fuisse Philosophis disputantibus de his, quæ augentur, aliisque eandem manere, aliis non eandem manere contendentibus. Ab affirmantium parte steterunt JCti. Conf. *l. quid tamen 10. D. quibus modis usufructus amittitur, l. rerum mixtura 30. D. de usurpationibus & usucapionibus, l. in rem actib. 23. §. item quæcunque 5. D. de rei vindicatione.* Nempe cujus rei species eadem consistit, eandem quoque rem existimabant *l.* ante citata *D. de judiciis.*

Minor tamdiu vera est, quamdiu illa, quæ populum facit & mutuis nexibus vincit communio, jus unitatis suæ servat: Illius autem consociationis plenæ atque perfectæ prima productio est summum imperium, vinculum par quod respublica cohæret, spiritus vitalis, quem tot millia trahunt, vi cujus idem hoc tempore putatur populus, qui abhinc centum annis fuit, cum ex illis nemo nunc vivat.

§. 3. Ad argumentum contrarium respondetur negando propositionem majorem. Nam esto populum ita variari, ut nullus eorum hominum, ex quibus olim populus con- RESPONDETUR AD ARGUM. CONTRARIUM.

constabat, amplius supersit, certum tamen adhuc est, quod sit idem numero populus, quia partes civitatis variantur saltem materialiter, non formaliter, hoc est, saltem ut sunt alii & alii homines, non ut constituunt unam numero civitatem. Sufficit ergo realis continuatio unius ejusdemque ordinis, unde hoc habet civitas, quod una eademque numero maneat.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasionem præbet *Grotius* §. 3.

CAPUT X.

De
BONÆ ET MALÆ FIDEI POSSESSIONIBUS AC POSSESSORIBUS, inprimis vero DE OBLIGATIONE, QUÆ IN BONÆ MALÆQUE FIDEI POSSESSOREM CADIT, QUOUSQUE SCILICET ILLE ADVERSUS VERUM DOMINUM OBLIGETUR.

§. I.

Possessionis distinctio. POssessio rei duplex est: Una, quando is, qui rem possidet, est verus rei, quam possidet, dominus: Altera, quando is, qui rem possidet, verus rei, quam possidet, dominus non est. Hæc ite-

iterum est vel *bonæ fidei*, vel *malæ fidei*. Illa est, quando quis sine dolo rem alienam possidet: Hæc dicitur, quando quis dolo (malo) rem alienam possidet: e. gr. Titius vaccam suam diu possederat, deinceps factum est, ut Sempronius Titio vaccam furto abstulisset, ejusdemque possessionem in Sejum transtulisset, qui nec scire debuit nec potuit hanc vaccam esse furto ablatam, interea vero dolo Sempronii circumventus pecuniam, pro qua alias vacca emi potuisset, solverat, totus persuasus, hanc pecuniæ solutionem præstitam esse justam emptionem, hic triplex possessio conspicitur: Una, qua Titius verus dominus ante vaccam possederat: Altera & tertia, qua Sempronius & Sejus eandem vaccam possidebant, Sempronius mala, Sejus bona fide. *Alia subdistinctio.*

[*Grotius* §. 1.]

NOTÆ.

I. De illa possessione, qua qui rem possidet est verus dominus rei, quam possidet, egimus supra hujus *libri capite secundo* §. 17. p. 626. seq. quam etiam *dominium in actu secundo* vocari diximus.

II. *Gro-*

II. *Grotius* saltem de hac possessione, quæ rei alienæ possessio est, in præsenti agere voluit.

Obligationis possessoris adversus verum dominum origo.

§. 2. *Obligatio* in possessorem bonæ vel malæ fidei cadens, qua scilicet *adversus verum dominum* obligatur, *originem trahit ex jure dominii* ei, qui verus dominus est, quæsito, estque duplex: vel *e re exstante*, vel *e re non exstante*.

Distinctio.

[*Grotius* §. 1. & 2.]

Obligatio possessoris e re aliena exstante quid?

§. 3. Obligatio e re exstante est, *qua tenetur is, qui rem alienam possidet, efficere quantum in se est, ut in veri domini possessionem iterum veniat*, exempli gratia, quando quis mala vel bona fide alienam vaccam possidet, eandemque tenetur vero domino restituere.

[*Grotius* §. 1. n. 2.]

NOTÆ.

I. Res exstans dicitur hoc loco res aliena, quæ adhuc existit penes possessorem, qui non simul verus dominus est, deque cujus obligatione adversus verum dominum agitur: Ita exempli gratia res exstans est vacca aliena, quæ apud bonæ vel malæ fidei possessorem existit.

II. Res exstans dupliciter sumi potest: 1. in strictiori significatu, ut fructui rei contradistinguitur: ita exempli gratia res exstans

ſtans eſt vacca aliena, quam quis mala vel bona fide poſſidet, contra fructus rei exſtantis eſt exempli gratia lac, quod ab eadem vacca venerat. 2. in laxiori ſignificatu, & ſic ſub ſe comprehendit res exſtans fructum rei exſtantis: ita lac, butyrum, caſei poſſunt dici res exſtantes, in quantum ſunt res alienæ penes bonæ aut malæ fidei poſſeſſorem vaccæ adhuc exiſtentes, ſive adhuc vacca penes ipſum exiſtat, ſive minime penes eum exiſtat amplius.

§. 4. Obligatio e re non exſtante eſt, *qua quis, penes quem res aliena fuerat, nec amplius nunc exiſtit, tenetur reſtituere in tantum, in quantum ex re iſta aliena nõ exſtante factus eſt locupletior, ſeu ex ea lucratus eſt:* exempli gratia quando penes bonæ fidei poſſeſſorem vacca extiterat, ipſe vero poſt vaccæ interitum nunc tenetur lucrum ex vacca perceptum, etſi non amplius exiſtat, exempli gratia licet lac, butyrum, caſeos abſumſerit, ut quotidie abſumſiſſet, reſtituere. *Obligatio poſſeſſoris e re aliena non exſtante quid?*

[*Grotius* §. 2.]

NOTÆ.

I. Res non exſtans dicitur hoc loco res aliena, quæ non exiſtit amplius penes poſſeſſorem, qui non ſimul verus dominus eſt, deque

deque cujùs obligatione adversus verum dominum agitur: ut vacca cæsa & bona pace absumta.

II. Uti præcedente §. *not. 2.* res exstans in duplici significatu sumebatur, ita idem judicium esto de re non exstante, quæ nunc sumitur, ut excludit non exstantem rei fructum: ita e. gr. res non exstans est vacca absumta; nunc ut includit illum: exempli gratia hoc posteriori modo res non exstans non modo vacca absumta, sed etiam absumti fructus vaccæ lac, butyrum, caseus appellantur.

III. Duplici modo fieri solet, ut res aliena non exstet: 1. si non existat apud possessorem, de cujus obligatione adversus verum dominum agitur, sive perierit, sive minime: Potest enim fieri, ut apud tertium existat, hoc est alium iterum possessorem: exempli gratia si quis vaccam alienam, quam possederat, alii cuipiam præter verum dominum dedisset, vel etiam quis ei abstulisset. 2. Si nempe plane perierit, ut: aliena vacca mortua apud possessorem.

Regula fundamentalis de obligatione ex alieno dominio est duplex.

§. 5. Quousque rei alienæ possessor adversus verum dominum obligetur, felicius faciliusque dijudicari poterit, si pro fundamento sequentes duæ notentur regulæ: *Una, quæ fundat obligationem*

tionem e re exſtante; altera, in qua obligatio ex re non exſtante fundatur.

[*Grotius §. 1. n. 2. & §. 2. n. 1.*]

§. 6. Regula prima ſic ſe habet: *Tenetur is, qui rem meam habet in ſua poteſtate, efficere quantum in ſe eſt, ut in meam poteſtatem veniat.* Ita exempli gratia, qui alienam vaccam poſſidet, ſive ſit malæ fidei, ſive ſit bonæ fidei poſſeſſor, tenetur tamen vero domino eandem reſtituere, tenetur quoque ad reſtituendos fructus exſtantis vaccæ, exempli gratia ad reſtituendum lac, quod adhuc penes ipſum eſt, nec poteſt bonæ fidei poſſeſſor ſalva naturali æquitate erogatum pretium repetere a vero domino, nec ſalvo naturæ jure poteſt eam reſtituere ei, a quo bona fide emerat, ut pretium ſervet, nec ſine conſenſu domini rei alienæ dominium in poſſeſſorem tranſit, ſi vel maxime res ſint tales, quæ pondere, numero & menſura æſtimari ſoleant. *Regula prima.*

[*Grotius §. 1. 3. 4. 7. 8. 13.*]

NOTÆ.

I. Hæc prima regula fundamentum habet in ipſa æquitate naturali: nam quia per ſe & ſuapte natura debitum eſt, cuique jus ſuum

suum relinquere, omnino per se ac suapte natura debitum erit, rem quæ tua non est, si scire debeas rem non esse tuam, nequaquam pro tua habere.

II. Notanter dicebatur: quantum in se est. *Neque enim obligatur ad impossibile, neque ad reddendam rem suis impensis, sed indicare tenetur, ut alter recipere suum possit. Nam si dominii ea tantum fuisset vis, ut poscenti domino reddenda res esset; nimis debile futurum foret dominium, & nimis sumtuosa custodia.*

III. Ad hanc regulam moralem ipse Deus respicit *Deuteron. XXII.* & dignissima sunt, quæ inspiciantur, insignia cum *Chrysostomi, Hieronymi, Augustini,* tum *Gratiani, Tryphonini, Martiani, Ulpiani, Pauli* JCtorum, aliorumque testimonia, quibus data regula eximie illustratur, quæ *Grotius* noster elegantissime recensuit §. *1. n. 4.* & *5.* ut & *annotatis ad n. 2.*

IV. Et uti merito probamus illud Belisarii pronunciatum apud *Procopium* exstans: *Mihi ita libet credere, pari loco esse res alienas sponte retinentem & non reddentem cum raptore:* Ita ad hanc regulam moralem respiciunt sæpe Themidos sacerdotes, sicut *Grotius* eruditissime demonstravit ex genuino hujus fundamentalis regulæ intellectu multa in *jure civili* clarissimam lucem accipere, id quod exemplis *l. bona fides 31. D. de-*

D. depositi vel contra, l. rerum amotarum 1. D. de actione rerum amotarum, l. falsus creditor 43. §. quid ergo 9. D. de furtis. Nam utut de obligatione, quæ ex dominio oritur, secundum *jus civile*, vel etiam jus gentium voluntarium operosa tractatio instituatur, *semper* tamen *secum habet* quodvis *dominium, quæ sibi sunt naturalia, inter quæ* maxime naturale *est* debitum restitutionis, hoc est *obligatio cujusvis possessoris ad rem domino restituendam.* Inde colligere facile erit, quam insignem usum potius præstet quam promittat *Philosophia moralis in Jurisprudentia civili.* Adeo sane *hæc obligatio*, in quantum moralis considerationis est, *tanquam ex contractu universali* (addantur ea, quæ supra *L. I. c. 1. §. 3. p. 166. & seqq.* disseruimus) *omnes homines tenet, ut jus quoddam rei domino pariat, sicque fiat, ut singulares contractus, quippe tempore posteriores, exceptionem inde accipiant.* Quo respicientes *JCti* felicius faciliusque, *Grotio* judice, doctrinas *Juris civilis* æstimant ac tuentur.

V. Etiam illi, qui a legum civilium obligatione liberi sunt, ad hanc regulam moralem actiones suas tenentur componere. Istud probe attendens Nerva, teste *Xiphilino*, ea bona, quæ dominis per injuriam Domitianus ademerat, jussit restitui.

VI. Cur cum bonæ, tum malæ fidei possessor rem teneatur restituere domino, ut & fructus exstantes rei, (*salvis* tamen *expensis*, quod bene notandum) deducitur inde, quia nisi id faceret, fieret malæ fidei possessor: Tamdiu enim quisque bonæ fidei possessor recte dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: cum vero scierit, nec ab alieno recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibebitur, justeque injustus possessor vocabitur.

VII. Cur res aliena bona fide emta restituenda sit, nec possit a vero domino rei erogatum pretium repeti? itidem demonstratu facile est, quia rem suam quis emere nequit, multo minus tenetur. Alia interim quæstio est, an dominus obligetur ad restituendum pretium, absque quo rei suæ possessionem recipere sine impendio aliquo probabiliter non potuisset, ut puta si res apud piratas fuisset? Item an in tali casu possessor poterit rem salvo naturæ jure detinere tamdiu, donec hæ impensæ erogatæ a vero domino sibi restituerentur? Nam & harum quæstionum affirmativæ demonstrari feliciter queunt: Aliud namque est ipsa facti possessio, hoc est ipsa actualis possessio rei, præsertim recuperatu difficilis, aliud est ipsum dominium rei; illa est actus secundus, hoc notat actum primum, & utriusque sane distinctæ sunt æstimationes, utrumque

seor-

seorsim est aliquid æstimabile. Si ergo deduci potest, quantum dominus impensurus libenter fuerat, & doceri potest, in quo dominus post rem amissam factus est locupletior, quidni in tali casu ultimo loco jam allatarum duarum quæstionum affirmativa ex moralibus principiis defendi posset.

VIII. Rursus quod is, qui bona fide rem emit, non possit eam restituere venditori, ut pretium servet, demonstratur inde, quia ex quo res in ejus fuit potestate, jam cœpit obligatio restituendi.

IX. Cur sine consensu domini rerum alienarum dominium in possessorem nequaquam transeat, si vel maxime res sint tales, quæ pondere, numero & mensura æstimari soleant? ex hac morali demonstratione liquet, quia si invito res nequit obtrudi, multo minus invito domino poterit eripi. Nam nulla res per hoc recipit functionem, quod pondere, numero, mensura æstimari, sicque per id, quod genere idem est, restitui queat, sed tum demum si hanc *JCtorum* phrasin ad morales doctrinas applicare liceat, functionem res ejus generis recipiunt, id est, ut philosophice loquamur, tunc non habet dominus rei, quod juste conqueratur de damno, si consensus domini præcesserit, aut ex lege aut more præcessisse intelligatur, ut in mutuo; aut etiam si res, utpote consumta, exhiberi nequeat.

Regula fundamentalis altera.

§. 7. Regula secunda, quæ nempe indicat debitum obligationis ex re non exstante, hæc est: *Si tu ex re mea factus es locupletior, me rem non habente, in tantum teneris, in quantum es factus locupletior:* Ita exempli gratia bonæ fidei possessor tenetur ad restitutionem & rei, & fructuum consumtorum, si modo alias quoque tantundem consumturus fuerat: non item tenetur ad fructus, quos percipere neglexit. Pariter si talis possessor rem sibi donatam alii donaverit, tenetur is, si sine hac re tantundem donaturus fuisset; idem non tenetur, si sine hac re nihil donaturus fuisset; in tantum tenetur, in quantum aliquid sine hac re donaturus fuisset: Iterum bonæ fidei possessor, si rem bona fide emtam vendiderit, tenetur, quatenus pluris vendidit; non tenetur, si tanti vendiderit: Rursus possessor talis si rem bona fide donatam vendiderit, tenetur ad restituendum pretiū, si nondum prodegerit; tenetur quoque, si vel maxime prodegerit, modo alias tantum pretium prodacturus fuisset; non tenetur, si prode-

prodegerit pretium, alias non prodacturus. Sic quamdiu verus dominus rei ignoratur, possessor naturaliter non tenetur eam rem aliis dare.

[*Grotius* §. 2. n. 1. §. 5. 6. 7. 8. 11.]

NOTÆ.

I. Est hujus regulæ tanta æquitas, ut multa hinc definiant *JCti* extra legum civilium præscripta, semper ad hanc ipsam æquitatem, ut evidentissimam, provocantes. Id quod multis exemplis ex medio *Juris Civilis corpore* depromtis *Grotius* deduxit, quæ magno studio collecta §. 2. videantur.

II. Fundamentum regulæ inde petitur, quia introducta sunt dominia ad servandam æqualitatem, quam jus naturæ servare præcipit, in eo scilicet, ut quisque suum habeat: At quicunque ex re mea factus est locupletior me rem non habente, is, quatenus ex meo lucratus est, plus habet, cum ego minus habeam, auget meo incommodo suum commodum, mea inopia suas copias, meo damno suas opes.

III. Ita quando dicebatur, bonæ fidei possessorem teneri ad restitutionem & rei & fructuum consumtorum, si modo alias quoque tantundem consumturus fuisset; ad solidam demonstrationem sufficit, quia in hoc locupletior censetur, sicque nisi obligatus esset ad restitutionem, tolleretur æ-

qualitas jure naturali præcepta, consistens in eo, ut quisque suum habeat.

IV. Ex eodem fonte deduci potest, quod bonæ fidei possessor non teneatur ad fructus, quos percipere neglexit, quia non factus est locupletior, nec enim rem habuit, nec quicquam, quod loco rei successit.

V. Ex eodem capite discitur, cur possessor rem bona fide sibi donatam non teneatur restituere, si alii donaverit, quia nihil ex re donata lucratus est: quod si tantundem donaturus fuisset, teneri dicebatur, quia ex aliena re aliquid lucratus est: nam si rem moraliter æstimemus, lucrum erit rei suæ pepercisse. Huc reduci potest assertio, quod teneatur, qui *ἀντίδωρον* accepit.

VI. Idem ob eandem rationem judicabatur de bonæ fidei possessore, qui rem emtam vendiderat, sed pluris, quia sic locupletior factus fuerat, in quantum pluris vendiderat: Item qui prodegerat pretium, alias prodacturus, quia sic lucratus fuerat ex aliena re, dum rei suæ pepercerat.

VII. Cur is, qui rem habet, cujus dominus ignoratur, teneatur alii dare, si in terminis mere moralibus versemur, & merum jus naturæ respiciamus, non liquet, cum ex dominio nemo jus habeat præter dominum, unde quia alii, ex. gr. pauperes non habent dominium, cur per se turpe esset, pauperibus hanc rem dare nolle. Certe *non esse*,

&

& non apparere tantundem valent, quoad eum, cui non apparent, hoc eſt, dominium & bonæ fidei poſſeſſio, quamdiu hæc manet bonæ fidei poſſeſſio, hoc eſt, quamdiu ſalva conſcientia bonæ fidei poſſeſſor ignorat, an & cui dominium quæſitum ſit, in præſenti negotio habent eundem effectum, ut non magis per ſe turpe ſit rem bona fide poſſeſſam pauperi dare nolle, quam rem ſuam pauperi dare nolle.

VIII. Sæpius magno ſtudio partium diſceptatum eſt, num naturaliter, hoc eſt, præciſe habito reſpectu ad merum jus naturæ, quod ob cauſam turpem aut honeſtam, ad quam quis obligabatur, acceptum eſt, poſtquam omnis alia turpitudo ceſſat, reſtituendum ſit? Plerique negant, forte id quod naturalis juris eſt, cum eo, quod juris voluntarii eſt, confundentes. *Grotius* affirmat, quia ratione rei nemo tenetur, niſi res ſit aliena, in propoſito vero caſu dominium tranſierat ex prioris domini voluntate. Unde non quæritur de eo, an ad reſtitutionem obligetur perſona, quæ acceptaverat, ſi vitium fuerit in ipſo accipiendi modo, ut ſi extorſiſſet, nec de eo jam quæſtio eſt, an lege introduci poſſit, ut ob turpem cauſam acceptum reſtituatur, quibus in caſibus, poſt introductas ſcilicet leges, omnino id, quod per ſe indifferens erat, materia juris naturalis ſit, perque extrinſecam denominatio-

nem recte juri naturali contrarium dicitur: sed de eo *Grotius* videbatur unice egisse, quid ante leges constitutas fieri secundum jus naturæ debuisset? Ita si ad præcedenti *not. 7.* allatum casum respiciamus, posset quoque constitui, ut quis, qui marsupium pecunia repletum invenit, cujus dominus plane ignoratur, idem det magistratui, det Ecclesiæ fisco, det ei, in cujus ædibus aut agro invenerat, det pauperibus, inde nondum sequitur, quod qui post constitutas leges, alienam rem, cujus dominum ignorat, detinet, ante constitutas leges detinere non potuisset, aut quod detinere talem rem sit per se turpe.

IX. Uti exstantes rei fructus referebantur inter res exstantes, ita non exstantes fructus rei ad res non exstantes pertinent. Interim semper bene notanda est distinctio inter *fructus rei* & *fructus industriæ*: nam industriæ fructus etiamsi sine re non procederent, rei tamen debentur. Aliter cum fructibus rei comparatum est, nam qui dominus rei est, idem naturaliter dominus est fructuum rei.

X. Omnia vero, quæ hoc *capite* proposita sunt, spectari debent, seposita *lege civili*, utpote quæ intendere ac augere, minuere etiam talismodi obligationes in his aliisve casibus & ob causas graves vel leves potest.

QUÆ-

Quæstio.

An propositæ duæ regulæ fundamentales & bonæ & malæ fidei possessorem æque obligent, nec ne?

§. 1.

PRo negante sententia sequentia argumenta videntur pugnare: PRO NEGATIVA SENTENTIA

I. Si propositæ duæ regulæ fundamentales possessorem bonæ fidei, & malæ fidei possessorem æque obligant, sequitur, quod bonæ fidei possessor & malæ fidei possessor sint plane in eodem prædicamento morali. ARG. I.

Consequens est absurdum E. & antecedens.

Consequentia patet: Nam quarum personarum actiones habent eosdem effectus, illæ actiones sunt ejusdem plane juris.

Absurditas consequentis nulla indiget probatione, quippe malæ fidei possessor est vir malus ac scelestus, bonæ fidei possessor est vir bonus & integer.

II. Si propositæ regulæ æque obligant bonæ fidei possessorem atque possessorem malæ fidei, sequitur, quod nihil ad dominii acquisitionem bona fides conducat. ARG. II.

Consequens est absurdum E. & antecedens.

Consequentia probatur, quia malæ fidei possessio acquisitioni dominii perpetuo obstat, adeo ut, ubi subest mala fides, non procedat præscriptio, etsi per multa annorum millia continuetur.

Absurditas consequentis patet inde, quia ex bonæ fidei possessore, si possessio memoriam excedat, non interrupta nec interpellata sit, demum verus dominus efficitur.

Arg. III. III. Qui jure suo utitur, is nemini facit damnum, nemini facit injuriam.

Atqui qui bona fide rem possidet, suo jure utitur E. & per consequens non aeque obligatur atque is, qui nullo jure usus est, qualis est malæ fidei possessor qua talis.

Pro sententia affirmativa Arg.

§. 2. Affirmativa sententia probatur sequenti argumento:

Quæcunq; regulæ morales unice sanciunt obligationem ex re aliena, & quod quisque suum habere suumque alteri relinquere debeat, illæ bonæ fidei possessorem æque ac malæ fidei possessorem obligant.

Atqui propositæ duæ regulæ morales unice sanciunt obligationem ex re aliena & quod quisque suum habere, suumque alteri relinquere debeat E.

Major

Major propositio est manifesta, quia jam solummodo agitur de alienæ rei possessore, qui sive bonæ, sive malæ fidei sit, semper tamen is est, qui id habet, quod suum non est, ut ita bonæ fidei possessor ac malæ fidei possessor in eo prorsus conveniant, nec plus damni patiatur verus dominus a malæ fidei possessore, quam a bonæ fidei possessore.

Prius sola inspectio harum regularum, & quæ melioris expositionis majorisque utilitatis gratia dicta sunt, aperte indicat.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata responderi sine adeo magna difficultate potest, modo in antecessum notetur, quod duplex sit malæ fidei possessoris obligatio: una ex re, altera ex delicto. Illa pertinet ad justitiam reparativam, hæc ad justitiam punitivam: illa tendit ad reparationem damni, hæc ad pœnam. Vi illius satisfacere tenetur malæ fidei possessor pro illatione damni, ei, cui damnum intulit, hac judici pro injuria, qua damnum intulit &c. Qua distinctione præmissa responderi facile potest ad singula argumenta, & quidem RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. respondetur, magnam ambiguitatem esse in hac locutione: bonæ & malæ fidei possessorem esse in eodem prædicamento, Nam primo potest habere hunc sensum, quasi ambo æque mali aut æque boni sint, item quasi idem plane mereantur in- RESP. AD ARG. I.

genere morũ, æque culpabiles aut culpa vacui, æque pœna digni aut innocentes exiſtãt, & hoc ſenſu major oppido evadit falſa, cum jam plane nullus ſermo ſit de obligatione ad culpam vel etiam ad pœnam. Secundo hic ſenſus eſſe poteſt, quaſi æque obligati ſint ex re utriusque generis poſſeſſores, & ſic major eſt veriſſima: nullam interim abſurditatem conſequentis liquet agnoſcere. Nam quando in probatione dicebatur, quod malæ fidei poſſeſſor vir malus, bonæ fidei poſſeſſor vir bonus ſit, hoc negat quidem ex parte bonæ fidei poſſeſſoris obligationem ex delicto, in utroque tamen relinquit obligationem ex re.

Resp. ad Arg. II. Ad II. reſpondetur negando conſequentiam majoris. Quod in probatione dicebatur, ubi ſubeſt mala fides non procedere præſcriptionem, etſi per multa annorum millia continuetur poſſeſſio, veriſſime quidem dicebatur, ſed nihil facit ad probationem conſequentiæ. Diſpar enim ratio eſt dominii ut acquirendi, & dominii ut alteri relinquendi, cum jam tota tractatio de eo ſit, quousque ex alieno dominio poſſeſſor uterque, cum bonæ, tum malæ fidei, obligetur. Et ſane ut uterque tenetur vero domino relinquere quod ſuum eſt, ita uterque etiam æque ex alieno dominio obligatur: at quando de acquiſitione dominii agitur, quid hoc ad præſens?

Ad

Ad III. respondetur, concedi sano sensu posse totum argumentum, quod tale erat: Qui suo jure utitur, is nemini facit injuriam. Atqui qui bona fide rem possidet &c. E. modo sic intelligatur conclusio: E. qui bona fide rem possidet, quamdiu bona fide rem possidet, nemini facit injuriam: at vero qui vero domino, postquam cognoverat, quisnam esset verus dominus, non indicat, ut alter suum recipere possit, vel etiam, quod turpius est, poscenti domino rem suam reddere detrectat, eo ipso non amplius bona fide possidet, sed mala fide. Et hoc sensu accipiendum venit illud *Augustini: Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.* Quando vero tandem huic argumento adjiciebatur, quod per consequens non æque obligetur bonæ fidei possessor, atque is, qui nullo jure usus est, qualis sit, qui mala fide rem possideat, hoc si ita accipiatur, quod possessor malæ fidei plus obligetur, quam possessor bonæ fidei, cum non modo obligetur ex re, quam in possessionem vocaverat, sed etiam ex delicto, quia eo ipso deliquerat, quando mala fide rem alienam in possessionem suam venire fecerat, omnino etiam totum consequens hoc sensu conceditur: quippe nequit negari, magnam omnino inæqualitatem inter bonæ & malæ fidei possessorem esse, cum ex hoc juste longa litera fiat, ex illo minime, hoc est, hic obli-

RESP. AD ARG. III.

obligatur ad pœnam, ille minime, hic post factam restitutionem adhuc obligatur, neutiquam vero ille amplius obligatus est. Pariter consequens admitti quoque potest, si hac ratione intelligatur, quasi ex primo momento, quo quis malæ fidei possessor factus fuerat, obligetur ad restitutionem, cum tamen obligatio bonæ fidei possessoris primo semper sit quasi in pendenti efficacia, & tamdiu quidem, quamdiu verus dominus ignoratur. Sed hæc omnia assertionem nostram non tollunt, quæ unice de obligatione ex re intelligenda venit, nihilque aliud indicat, quam quod verus dominus non majus damnum a malæ fidei possessore quam possessore bonæ fidei patiatur, sicque uterque teneatur ad reparationem damni, hoc est, reddendum id, quod suum est.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasio quæstionis habetur §. 1. n. 3.

CAPUT XI.

DE PROMISSIONIBUS, EARUNDEM GRADIBUS AC MORALITATE, DE SINGULIS PROMISSIONUM CAUSIS, maxime autem DE OBLIGATIONE NATURALI, QUÆ EX PROMISSIS ORITUR.

§. I.

§. I.

PRomissionis tres dantur gradus diligenter distinguendi: Primus gradus est assertio explicans de futuro animum, qui nunc est: exempli gratia si Titius Sempronio animi sui propositum significet, quod velit octiduo elapso donare ei librum suum. *Secundus gradus est, cum voluntas seipsam pro futuro tempore determinat cum signo sufficiente ad indicandam perseverandi necessitatem. Potest dici pollicitatio.* Exempli gratia, quando Titius non modo significat Sempronio, quid in animo suo habeat, quod nempe velit octiduo elapso librum suum eidem donare, sed etiam simul sat idoneo signo eidem indicat, quod nunquam velit animum suum mutare, quodque hoc ipso renunciatio facta credi debeat, qua juri mutandi animum suum renunciaverit, adeo ut salva conscientia morali, salvaque honestatis moralis regula, nunquam futurum sit, ut animum suum mutet, Semproniique expectationem frustretur. *Tertius gradus est, ubi ad determinationem talem accedit signum volendi jus proprium alteri conferre.*

Promissionis tres gradus.

Gradus primus quis?

Gradus secundus quis?

Tertius gradus quis?

ferre. Exempli gratia, si præter hæc, quæ exemplum secundi gradus fecimus, etiam simul Titius Sempronio significet, quod omnino velit, ut, si forte promissum servaturus non sit, Sempronius justo titulo id, quod promissum, ab eo, sive velit, sive nolit, salvo omni naturæ jure possit exigere, adeo ut Titius nihil habiturus sit, quod de injuria a Sempronio sibi illata conqueri queat, si vel maxime ab eo, quod promiserat, exigat.

[*Grotius cap. 11. §. 1. 2. 3. 4.*]

NOTÆ.

I. Vidit probe *Grotius* noster, quod promissio etiam sit ex numero communium, πρὸς ἕν, atque adeo frustranea anxitudine definitio promissionis in communi quæratur. Illud omnino certum est, quod promissio, qualis qualis tandem illa sit, sit actus aliquis voluntatis, quo quis in gratiam alterius vult futuram sui juris, quod habet, alienationem, quatenus scilicet (ille actus) alteri, cui promissio fieri dicitur, satis idoneo signo indicatur, alterque vicissim sat idoneo signo indicat suæ voluntatis actum, quo scilicet vult, sui gratia futuram juris alienationem.

II. A

II. A nonnullis breviter sic describitur: Promissio est significatio voluntatis nostræ de futuro jure, quod jam nostrum est, alterius gratia.

III. Quid per primum promissionis gradum *Grotius* intellexerit, quibusdam res intricata apparet, quæ tamen primo intuitu difficilior creditur, quam fortassis est: Scilicet considerat *Grotius* promissionem seclusis omnibus legibus positivis, pactis, moribus: Quidni igitur quis sat idoneo signo posset explicare de futuro animum, qui nunc est, hoc est, significare propositum animi sui, quod scilicet velit alterius gratia, ut quod jus suum erat, futurum sit alterius. Equidem videri poterat, ac si sic dicta promissio non sit promissio, si Titius Berthæ promitteret futuras nuptias hac adjecta conditione, nisi ante nuptias animum mutaturus sit? Hujusmodi autem conditionalibus propositionibus promissiones primi gradus respondent: Verum utut fateamur lubentissime, si quotidianos mores positivasque leges spectemus, rem ita se habere, ut qui promittit cum reservato sibi jure mutandi animum, non censeatur promisisse, nobis tamen jam de eo quæstio est, quod extra leges positivas receptosque mores promissionis nomine nuncupari potest, unde non apparet, cur talismodi promissio nullatenus promissionis nomen mereatur.

In gratiam eorum, qui Logicis doctrinis assueti sunt, liceat rem quadam similitudine declarare: Uti demonstratio ὅτι, ceu vocatur, est suo modo demonstratio, quatenus ejus beneficio concluditur, quod hoc vel illud sit; Item scientia ὅτι suo modo scientia audit, quatenus cognitionem rei, quod sit, arguit; neque tamen omnia & singula ad perfectam omnibusque numeris absolutam scientiam requisita adsunt: Ita primus gradus promissionis in tantum est promissio, in quantum ille gradus ad significationem voluntatis nostræ de rebus futuris, quæ sunt nostræ potestatis, alterius gratia factam sufficit: non tamen omnibus numeris gradibusque absoluta & simpliciter perfecta promissio est, imo vix & ne vix quidem promissionis titulo digna, si cum aliis promissionibus, quæ simul secundi vel tertii gradus sunt, comparetur, non aliter atque demonstratio & scientia διότι, si comparentur cum perfecta demonstratione & scientia, fere demonstrationis & scientiæ nomen amittunt. Imo vero cujusvis accuratiori judicio exponimus, quantum, seposita lege civili, hic ipse actus a promissione primi gradus distet, quando quis ultimam suam voluntatem testatur sibique reservat jus, usque ad extremum vitæ halitum & quamdiu rationis usus adest, voluntatem mutandi, maxime si attendamus, quod si testator eam

non

non mutet, ſic quod in poteſtate erat teſtatoris a morte teſtatoris in inſtituti hæredis poteſtatem veniat, in quam nequicquam veniſſet, ſi ante obitum ſuum teſtator voluntatem ſuam mutaſſet.

IV. Magis ergo promittit, qui non modo de rebus futuris, quæ ſuæ ſunt poteſtatis, explicat animum, quem tunc habet, quando promittit, ſed ſimul etiam juri mutandi ſuam voluntatem renunciat, quod ita intelligendum eſt, ac ſi talis promiſſor forum conſcientiæ ſuæ appellet, teſteturque fore, ut ſalvis moralium officiorum regulis nunquam ſibi liceat mutare hanc voluntatem, quam indicaverat: adeoque magis promiſſio ſecundi gradus, quam primi gradus, denominationem promiſſionis ſubit.

V. Maxime tandem promiſſio eſt tertii gradus promiſſio, hoc eſt, primario & in perfecto gradu promittit, qui modo recenſitis gradibus ultimum ſuperaddit, hoc eſt, in eum, cui & voluntatem ſuam ſat idonee de jure ſuo, quod vellet ipſius jus futurum eſſe, & renunciationem juris mutandi voluntatem ſignificaverat, ſimul jus transfert, vi cujus promiſſum exigere is, cui promiſſum eſt, ab ipſo (promiſſore) volente nolente, ſalvo jure naturæ queat.

§. 2. Cauſa efficiens promiſſionis eſt promiſſor, hoc eſt, ipſa cauſa actrix *Cauſa efficiens promiſſionis.*

Consequens est absurdum E. & antecedens.

Consequentia probatur, quia malæ fidei possessio acquisitioni dominii perpetuo obstat, adeo ut, ubi subest mala fides, non procedat præscriptio, etsi per multa annorum millia continuetur.

Absurditas consequentis patet inde, quia ex bonæ fidei possessore, si possessio memoriam excedat, non interrupta nec interpellata sit, demum verus dominus efficitur.

ARG. III. III. Qui jure suo utitur, is nemini facit damnum, nemini facit injuriam.

Atqui qui bona fide rem possidet, suo jure utitur E. & per consequens non æque obligatur atque is, qui nullo jure usus est, qualis est malæ fidei possessor qua talis.

PRO SENTENTIA AFFIRMATIVA ARG.

§. 2. Affirmativa sententia probatur sequenti argumento:

Quæcunq; regulæ morales unice sanciunt obligationem ex re aliena, & quod quisque suum habere suumque alteri relinquere debeat, illæ bonæ fidei possessorem æque ac malæ fidei possessorem obligant.

Atqui propositæ duæ regulæ morales unice sanciunt obligationem ex re aliena & quod quisque suum habere, suumque alteri relinquere debeat E.

Major

Major propositio est manifesta, quia jam solummodo agitur de alienæ rei possessore, qui sive bonæ, sive malæ fidei sit, semper tamen is est, qui id habet, quod suum non est, ut ita bonæ fidei possessor ac malæ fidei possessor in eo prorsus conveniant, nec plus damni patiatur verus dominus a malæ fidei possessore, quam a bonæ fidei possessore.

Prius sola inspectio harum regularum, & quæ melioris expositionis majorisque utilitatis gratia dicta sunt, aperte indicat.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata responderi sine adeo magna difficultate potest, modo in antecessum notetur, quod duplex sit malæ fidei possessoris obligatio: una ex re, altera ex delicto. Illa pertinet ad justitiam reparativam, hæc ad justitiam punitivam: illa tendit ad reparationem damni, hæc ad pœnam. Vi illius satisfacere tenetur malæ fidei possessor pro illatione damni, ei, cui damnum intulit, hac judici pro injuria, qua damnum intulit &c. Qua distinctione præmissa responderi facile potest ad singula argumenta, & quidem RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. respondetur, magnam ambiguitatem esse in hac locutione: bonæ & malæ fidei possessorem esse in eodem prædicamento, Nam primo potest habere hunc sensum, quasi ambo æque mali aut æque boni sint, item quasi idem plane mereantur in gene- RESP. AD ARG. I.

genere morũ, æque culpabiles aut culpa vacui, æque pœna digni aut innocentes exiſtãt, & hoc ſenſu major oppido evadit falſa, cum jam plane nullus ſermo ſit de obligatione ad culpam vel etiam ad pœnam. Secundo hic ſenſus eſſe poteſt, quaſi æque obligati ſint ex re utriusque generis poſſeſſores, & ſic major eſt veriſſima: nullam interim abſurditatem conſequentis liquet agnoſcere. Nam quando in probatione dicebatur, quod malæ fidei poſſeſſor vir malus, bonæ fidei poſſeſſor vir bonus ſit, hoc negat quidem ex parte bonæ fidei poſſeſſoris obligationem ex delicto, in utroque tamen relinquit obligationem ex re.

RESP. AD ARG. II. Ad II. reſpondetur negando conſequentiam majoris. Quod in probatione dicebatur, ubi ſubeſt mala fides non procedere præſcriptionem, etſi per multa annorum millia continuetur poſſeſſio, veriſſime quidem dicebatur, ſed nihil facit ad probationem conſequentiæ. Diſpar enim ratio eſt dominii ut acquirendi, & dominii ut alteri relinquendi, cum jam tota tractatio de eo ſit, quousque ex alieno dominio poſſeſſor uterque, cum bonæ, tum malæ fidei, obligetur. Et ſane ut uterque tenetur vero domino relinquere quod ſuum eſt, ita uterque etiam æque ex alieno dominio obligatur: at quando de acquiſitione dominii agitur, quid hoc ad præſens?

Ad

Ad III. respondetur, concedi sano sensu posse totum argumentum, quod tale erat: Qui suo jure utitur, is nemini facit injuriam. Atqui qui bona fide rem possidet &c. E. modo sic intelligatur conclusio: E. qui bona fide rem possidet, quamdiu bona fide rem possidet, nemini facit injuriam: at vero qui vero domino, postquam cognoverat, quisnam esset verus dominus, non indicat, ut alter suum recipere possit, vel etiam, quod turpius est, poscenti domino rem suam reddere detrectat, eo ipso non amplius bona fide possidet, sed mala fide. Et hoc sensu accipiendum venit illud *Augustini: Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.* Quando vero tandem huic argumento adjiciebatur, quod per consequens non æque obligetur bonæ fidei possessor, atque is, qui nullo jure usus est, qualis sit, qui mala fide rem possideat, hoc si ita accipiatur, quod possessor malæ fidei plus obligetur, quam possessor bonæ fidei, cum non modo obligetur ex re, quam in possessionem vocaverat, sed etiam ex delicto, quia eo ipso deliquerat, quando mala fide rem alienam in possessionem suam venire fecerat, omnino etiam totum consequens hoc sensu conceditur: quippe nequit negari, magnam omnino inæqualitatem inter bonæ & malæ fidei possessorem esse, cum ex hoc juste longa litera fiat, ex illo minime, hoc est, hic obli- RESP. AD ARG. III.

obligatur ad pœnam, ille minime, hic post factam restitutionem adhuc obligatur, neutiquam vero ille amplius obligatus est. Pariter consequens admitti quoque potest, si hac ratione intelligatur, quasi ex primo momento, quo quis malæ fidei possessor factus fuerat, obligetur ad restitutionem, cum tamen obligatio bonæ fidei possessoris primo semper sit quasi in pendenti efficacia, & tamdiu quidem, quamdiu verus dominus ignoratur. Sed hæc omnia assertionem nostram non tollunt, quæ unice de obligatione ex re intelligenda venit, nihilque aliud indicat, quam quod verus dominus non majus damnum a malæ fidei possessore quam possessore bonæ fidei patiatur, sicque uterque teneatur ad reparationem damni, hoc est, reddendum id, quod suum est.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occasio quæstionis habetur §. *1. n. 3.*

CAPUT XI.

De

PROMISSIONIBUS,

EARUNDEM GRADIBUS AC MORALITATE, DE SINGULIS PROMISSIONUM CAUSIS, maxime autem DE OBLIGATIONE NATURALI, QUÆ EX PROMISSIS ORITUR.

§. 1.

§. 1.

Promissionis tres dantur gradus diligenter distinguendi: Primus gradus est assertio explicans de futuro animum, qui nunc est: exempli gratia si Titius Sempronio animi sui propositum significet, quod velit octiduo elapso donare ei librum suum. *Secundus gradus est, cum voluntas seipsam pro futuro tempore determinat cum signo sufficiente ad indicandam perseverandi necessitatem. Potest dici pollicitatio.* Exempli gratia, quando Titius non modo significat Sempronio, quid in animo suo habeat, quod nempe velit octiduo elapso librum suum eidem donare, sed etiam simul sat idoneo signo eidem indicat, quod nunquam velit animum suum mutare, quodque hoc ipso renunciatio facta credi debeat, qua juri mutandi animum suum renunciaverit, adeo ut salva conscientia morali, salvaque honestatis moralis regula nunquam futurum sit, ut animum suum mutet, Semproniique expectationem frustretur. *Tertius gradus est, ubi ad determinationem talem accedit signum volendi jus proprium alteri conferre.*

Promissionis tres gradus.

Gradus primus quis?

Gradus secundus quis?

Tertius gradus quis?

ferre. Exempli gratia, si præter hæc, quæ exemplum secundi gradus fecimus, etiam simul Titius Sempronio significet, quod omnino velit, ut, si forte promissum servaturus non sit, Sempronius justo titulo id, quod promissum, ab eo, sive velit, sive nolit, salvo omni naturæ jure possit exigere, adeo ut Titius nihil habiturus sit, quod de injuria a Sempronio sibi illata conqueri queat, si vel maxime ab eo, quod promiserat, exigat.

[*Grotius cap. 11. §. 1. 2. 3. 4.*]

NOTÆ.

I. Vidit probe *Grotius* noster, quod promissio etiam sit ex numero communium, πρὸς ἕν, atque adeo frustranea anxitudine definitio promissionis in communi quæratur. Illud omnino certum est, quod promissio, qualis qualis tandem illa sit, sit actus aliquis voluntatis, quo quis in gratiam alterius vult futuram sui juris, quod habet, alienationem, quatenus scilicet (ille actus) alteri, cui promissio fieri dicitur, satis idoneo signo indicatur, alterque vicissim sat idoneo signo indicat suæ voluntatis actum, quo scilicet vult, sui gratia futuram juris alienationem.

II. A

II. A nonnullis breviter sic describitur: Promissio est significatio voluntatis nostræ de futuro jure, quod jam nostrum est, alterius gratia.

III. Quid per primum promissionis gradum *Grotius* intellexerit, quibusdam res intricata apparet, quæ tamen primo intuitu difficilior creditur, quam fortassis est: Scilicet considerat *Grotius* promissionem seclusis omnibus legibus positivis, pactis, moribus: Quidni igitur quis sat idoneo signo posset explicare de futuro animum, qui nunc est, hoc est, significare propositum animi sui, quod scilicet velit alterius gratia, ut quod jus suum erat, futurum sit alterius. Equidem videri poterat, ac si sic dicta promissio non sit promissio, si Titius Berthæ promitteret futuras nuptias hac adjecta conditione, nisi ante nuptias animum mutaturus sit? Hujusmodi autem conditionalibus propositionibus promissiones primi gradus respondent: Verum utut fateamur lubentissime, si quotidianos mores positivasque leges spectemus, rem ita se habere, ut qui promittit cum reservato sibi jure mutandi animum, non censeatur promisisse, nobis tamen jam de eo quæstio est, quod extra leges positivas receptosque mores promissionis nomine nuncupari potest, unde non apparet, cur talismodi promissio nullatenus promissionis nomen mereatur.

In gratiam eorum, qui Logicis doctrinis assueti sunt, liceat rem quadam similitudine declarare: Uti demonstratio ὅτι, ceu vocatur, est suo modo demonstratio, quatenus ejus beneficio concluditur, quod hoc vel illud sit; Item scientia ὅτι suo modo scientia audit, quatenus cognitionem rei, quod sit, arguit; neque tamen omnia & singula ad perfectam omnibusque numeris absolutam scientiam requisita adsunt: Ita primus gradus promissionis in tantum est promissio, in quantum ille gradus ad significationem voluntatis nostræ de rebus futuris, quæ sunt nostræ potestatis, alterius gratia factam sufficit: non tamen omnibus numeris gradibusque absoluta & simpliciter perfecta promissio est, imo vix & ne vix quidem promissionis titulo digna, si cum aliis promissionibus, quæ simul secundi vel tertii gradus sunt, comparetur, non aliter atque demonstratio & scientia διότι, si comparentur cum perfecta demonstratione & scientia, fere demonstrationis & scientiæ nomen amittunt. Imo vero cujusvis accuratiori judicio exponimus, quantum, seposita lege civili, hic ipse actus a promissione primi gradus distet, quando quis ultimam suam voluntatem testatur sibique reservat jus, usque ad extremum vitæ halitum & quamdiu rationis usus adest, voluntatem mutandi, maxime si attendamus, quod si testator eam

non

non mutet, sic quod in potestate erat testatoris a morte testatoris in instituti hæredis potestatem veniat, in quam nequicquam veniſſet, si ante obitum suum testator voluntatem suam mutaſſet.

IV. Magis ergo promittit, qui non modo de rebus futuris, quæ suæ sunt potestatis, explicat animum, quem tunc habet, quando promittit, sed simul etiam juri mutandi suam voluntatem renunciat, quod ita intelligendum est, ac si talis promiſſor forum conscientiæ suæ appellet, testeturque fore, ut salvis moralium officiorum regulis nunquam sibi liceat mutare hanc voluntatem, quam indicaverat: adeoque magis promiſſio secundi gradus, quam primi gradus, denominationem promiſſionis subit.

V. Maxime tandem promiſſio est tertii gradus promiſſio, hoc est, primario & in perfecto gradu promittit, qui modo recensitis gradibus ultimum superaddit, hoc est, in eum, cui & voluntatem suam sat idonee de jure suo, quod vellet ipsius jus futurum esse, & renunciationem juris mutandi voluntatem significaverat, simul jus transfert, vi cujus promiſſum exigere is, cui promiſſum est, ab ipso (promiſſore) volente nolente, salvo jure naturæ queat.

§. 2. Causa efficiens promiſſionis est promiſſor, hoc est, ipsa causa actrix *Causa efficiens promiſſionis.*

est persona, quæ promittit: nemo autem promittit, nisi *sciens* & *liber* id agat.

[*Grotius* §. 5. 6. 7.]

NOTÆ.

I. Ut alias cum in aliis scientiis, tum in *moralibus* & *politicis* quam optime habent sese omnia, quando causas moralium officiorum civiliumque eventuum intelligimus, imo, ceu eminentissimæ eruditionis Vir *Conringius libro* suo *de prudentia civili c.10.* judicat, præter quæstiones de causis, nullam sane in moralibus & politicis adferre est, quæ moralis & politici sit usus, & quæcunque tandem inciderit quæstio, nullo temporis discrimine, quærit omnes aut aliquam causam: Ita in tam gravi ac ardua promissionum materia *Grotius* merito præcipua causarum momenta sedulo expendere voluit, inde (intellige promissionum doctrinam) pendent prima ac ex æquitate naturali eruta fundamenta doctrinarum de contractibus, fœderibus, pactis, sponsionibus, juramentis.

II. Ex *Metaphysicis* constat, ad omnem causam efficientem requiri rationem causandi, ut vocant, hoc est, aptitudinem, qua aliquid aptum sit ad hoc, ut fiat vel sit causa efficiens: ea vero aptitudo in promissore est libertas; nemo namque potest promittere,

tere, nisi præditus sit libertate, cum physica, tum morali. Physica, unde implicat contradictionem, dari promissionem mere violentam: In quantum enim promissio est, notat actum voluntatis, quatenus per essentiam libera est ac cogi nequit: in quantum autem violenta diceretur, sic negaret libertatem actus, adeoque non esset promissio. Morali, sive moralitatem spectes internam, sive externam, cum sane sui juris esse debeant, qui promittunt: Ita pupillus nequit promittere, h. e. significare voluntatem de rebus futuris, quæ sint suæ potestatis, cum nondum sui juris sit. Interim certum est, quod quemadmodum libertas, cum physica, tum moralis, suos gradus habet, item qua ratione quis circa hæc nullius, circa alia cujusdam, nondum tamen plenæ potestatis est, sic quoque nunc facile inde judicare liceat, an & qua ratione earundem personarum nunc nulla, nunc aliqua, tamen adhuc imperfecta, nunc perfecta sit promissio. Ex his fontibus de promissionibus minorum, fœminarum &c. judicium peti potest.

III. Quemadmodum præter rationem causandi ex parte causæ efficientis requisitam sæpe aliis opus est conditionibus, quæ ad hoc necessariæ sunt, ut causa efficiens suam potentiam possit exerere, quæque vulgo causæ sine quibus non in *Scholis* vocari

çari solent: ita ex parte causæ efficientis promissionis maxime necessaria conditio est scientia: nam quia promissio est actus voluntatis liberæ qua talis, voluntas vero, ut per experientiam liquet, nunquam fertur in incognitum, neque fieri potest, ut in rem aliquam feratur nisi præcedente cognitione per intellectum facta, unde perpetuæ necessitatis est, ut cognitio rationalis præcedat. Et hoc vult *Grotius* noster, dum scribit §. 5. *Primum requiritur usus rationis, ideo & furiosi, & amentis, & infantis nulla est promissio. Aliud censendum de minoribus, hi enim etsi non satis firmum judicium habere credantur, ut & fœminæ, id tamen nec perpetuum est, nec per se sufficit ad actus vim elidendam.* Quibus verbis quid aliud significat, quam quod usus libertatis usum rationis necessario & semper prærequirat?

IV. Hac occasione *Grotius* quæstionem moralem movet haud parum utilem: *Quando* nempe *puer ratione uti incipiat?* ipse sic respondet: *Non potest certo definiri, sed ex quotidianis actibus, aut etiam ex eo, quod communiter in quaque regione accidit, desumendum est.* Verum videbatur huic quæstioni commodius satisfieri adhibita inter statum naturalem & legalem distinctione. Nam quod *Grotius* hic asserit, omnino recte se habet, si ad statum naturalem attendamus, cum non minor animorum,

rum, quam fructuum sit varietas. Et ut fruticem aut herbam crevisse sentis, non crescere, ita & judiciorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, ex intervallo sentitur. Et ad huncce statum credimus *Grotium* h. l. unice respexisse. Cæterum in statu legali quotidiana inspectio actuum apta non erit ad dijudicanda pueritiæ (minorennitatis ac majorennitatis) discrimina, unde lites sequi necesse est. Inde in bene constitutis civitatibus certas leges de minorennitate ac majorennitate positas videas, nec mireris, cur ex eo quod communiter in quaque regione accidit, occasionem definiendi in aliis atque aliis civitatibus aliud aliudve impubertatis pubertatisve tempus legumlatores arripuerint, semper tamen sibi reservato jure dignoscendi perfectum cujusvis subditi imperfectumque judicium, non in civilibus solum, ceu jus dandi veniam ætatis indicat, sed eo magis, ubi de criminibus agitur. Qua de re fusius egi ipsaque jura naturalia a civilibus in præsenti materia distinguere conatus sum in *tractatus de moralitate satisfactionis cap. 1. de satisfactionis natura §. 12. & seqq.* inprimis vero *14*.

V. In vulgus nota distinctio est actionis involuntariæ in talem per violentiam & in talem per ignorantiam, ad quam distinctionem *Grotius* respicere & inde deducere voluit,

luit, quod nec per violentiam, nec per ignorantiam promissio involuntaria esse possit. De illo, quod per violentiam promissio fieri nequeat, res liquida est & præcedenti *nota 2.* declarata, nisi huc simul trahere velis disquisitionem de promissionibus ex metu sat gravi factis, quam infra *peculiari quæstione* expediemus: modo interim notetur, quod eadem sit ratio promissionis ex metu factæ, quæ aliarum actionum, quas *Scholæ morales* mixtas vocant, nempe si a potiori denominatio fiat, omnino voluntariæ dicendæ sunt, cum mixtæ actiones semper magis voluntariæ quam involuntariæ sint. At quod ignorantiam attinet, omnino cum distinctione accipiendum est, quod præcedenti nota perpetuo prærequisitam ac plane necessariam conditionem scientiam diximus, cum non omnis statim ignorantia aut error promissionem impediat. *Grotius* noster rem felicissime sequentem in modum declarat: *De pacto errantis perplexa satis tractatio est, at viam nobis reperiendæ naturali veritati pendit, quod de legum vi atque efficacia omnium ferme consensu receptum est, ut si lex fundetur in præsumtione aliqua facti, quod factum reverà ita se non habeat, tunc ea lex non obliget, quia veritate facti deficiente deficit totum legis fundamentum. Quando autem lex in tali præsumtione sit fundata, ex legis* mate-

materia, verbis & circumstantiis colligendum. Similiter ergo dicemus, si promissio fundata sit in præsumtione quadam facti, quod non ita se habeat, naturaliter nullam ejus esse vim, quia omnino possessor consensit in promissum nisi sub quadam conditione, quæ reipsa non extitit. Quo referenda est illa quæstio apud Ciceronem de Oratore I. de eo, qui filium suum mortuum falso credens alium instituerat hæredem. Quæstionem *Cicero* sic proponit: *Venerat de morte militis cujusdam falsus ab exercitu domum nuncius, quo audito & credito, pater testamentum mutavit, & quem sibi visum fuit, hæredem fecit, ac post mortuus est. Miles domum revenit, ac lege egit in hæreditatem paternam testamento exhæres filius. Nempe in ea causa quæsitum est de jure civili, possetne paternorum bonorum exhæres esse filius, quem pater testamento neque hæredem, neque exhæredem scripsisset nominatim?* Hic vult *Grotius* testamentum patris fundatum fuisse in præsumtione facti, nempe interitus filii, quod non ita se habuerat, unde existimat naturaliter nullam ejus testamenti vim esse potuisse, quia omnino pater non consenserat in hoc, ut alius hæres fieret, nisi sub quadam conditione, quæ reipsa non extiterat, scilicet voluerat pater, ut alius fieret hæres, si filius ad plures abiisset. Pergit *Grotius*: *Si vero adfuerit quidam error, sed in quo fundata non fuerit promissio,*

missio, ratus erit actus, utpote non deficiente vero consensu.

VI. Quia amplius excipi poterat, utramque *Grotii* positionem præcedenti *notæ* approbatam pati exceptionem, & priorem quidem, quia non raro fit, ut quis promissionem suam fundet in præsumtione quadam facti, quod non ita se habeat, ut tamen, modo voluisset sufficientem diligentiam adhibere, facile potuisset istius facti falsitatem explorare, unde merito quæritur, annon in tali casu promissor habeat, quod sibi imputet, cur adeo negligens in re exploranda fuerit? Enimvero huic dubio eruditissime satisfecisse videtur *Grotius*, dum in hujus quæstionis decisione respicere jubet, an alter ex vana ista promissione damnum passus fuerit, nec ne? si hoc, nihil habet quod conqueratur, utut promissionis vanitatem omnino agnoscat: si illud, æquitas naturalis exigit, ut damnum ex promissoris negligentia eamque secuta promissionis vanitate obortum ei, cui vana promissione damnum datum fuerat, vacuæ promissionis autor compenset. Interim stat *Grotii* sententia, quod naturaliter vis nulla fuerit promissionis in præsumtione facti, quod non ita se habebat, fundatæ: nam reparatio damni non vi promissionis fit, hoc est, non eam ob causam, quasi promissum servandum sit, sed ex hoc titulo, quia damnum

culpa

culpa vani promiſſoris datum reparari debet. Poſteriorem *Grotii* poſitionem labefactare videbatur, quod ſæpe is, cui promittitur, dolo errori cauſam dederit, ut licet promiſſor non fundaſſet ſuam promiſſionem in præſumtione facti, certum tamen ſit, promiſſorem nullam promiſſionem facturum fuiſſe, niſi dolo circumventus fuiſſet ab eo, cui promittebatur: In eo igitur conſiſtit difficultas, annon talis caſus ſufficiat ad infringendum univerſale aſſertum *Grotii*, quaſi naturaliter vis ſit promiſſionis ab errante factæ, quoties errans promiſſor in errore nequaquam fundaverat promiſſionem: ſed expedita eſt *Grotii* reſponſio, dum oſtendit hoc, quod promiſſionis fructum (quem alias percepiſſet is, cui promittebatur, abſque errore tali ſi fuiſſet, hoc eſt, ſi is, cui promittebatur, errori, in quo non fundabatur promiſſio, ſuo dolo nullatenus cauſam dediſſet) nullum ſentiat is, cui promittitur, nequaquam inde venire, quod naturaliter nulla ſit vis promiſſionis ab errante quidem factæ, nec tamen in errore iſto fundatæ, ſed quod quicquid ex eo errore damni factum eſt, reſarciendum ſit ex alio obligationis capite. Adjici poterat illa quæſtio: quid naturaliter obtineat, ſi promiſſio ab errante facta ex parte fundetur in præſumtione quadam facti, quod non ita ſe habet, non item ex alia parte? Ejus quo-

que

que nervum feliciter incidit *Grotius*, ſcilicet naturaliter aliqua ejus promiſſionis vis erit pro ea ſcilicet parte, quæ fundabatur errore, reliquæ partis naturaliter nullus erit valor.

Cauſa materialis promiſſionis.

§. 3. Cauſa materialis promiſſionis, hoc eſt, *materia promiſſi* ſeu objectum illud, circa quod promiſſio verſatur, eſt *id, quod promittitur:* Hoc autem *oportet eſſe, aut eſſe poſſe in jure promittentis.*

[*Grotius* §. 8. n. 1.]

NOTÆ.

I. Ut ex parte cauſæ efficientis requirebatur ſic dicta ratio cauſandi, ita ea præcipuum quoque requiſitum eſt ex parte materiæ: Nam uti non promittit, qui non poteſt promittere: ita nec promittitur aut promitti creditur, quod nequit promitti. Quemadmodum vero ex *præcedenti* §. audivimus, quod non quisque poſſit promittere, ita nunc recte ponderari debet, quod non quodvis queat promitti. Exempli gratia ut amentis aut furioſi nulla eſt promiſſio activa, ita adulterii, aut homicidii nulla eſt promiſſio paſſiva.

II. Res ergo ut promitti poſſit, debet eſſe in promiſſoris poteſtate, & hoc indicat *Grotius* his verbis: *Materiam promiſſi quod attinet, eam oportet eſſe, aut eſſe poſſe in jure promittentis, ut promiſſum ſit efficax.* Idem

Mora-

Moralistæ sic efferunt: Res, quæ promittitur, debet esse possibilis.

III. Hinc primo promitti nequeunt res simpliciter ac absolute *impossibiles*: exempli gratia: nunquam promitti potest ab ullo, ne Deo quidem, quod velit ex musca facere diabolum, cum diabolus sit spiritus, spiritus autem ex musca factus esset spiritus materialis, adeoque spiritus non spiritus. 2. Promitti nequeunt res promissori *impossibiles*: exempli gratia aurei montes ab Iro promitti nequeunt.

IV. Moralistæ distingvunt inter *impossibilitatem physicam* & *impossibilitatem moralem*. *Physice impossibile* promissori dicunt, quod non est in ipsius viribus: exempli gratia, a nemine promitti potest volatus, ebibitio maris. *Moraliter impossibile* vocatur, quod ei jure minime licet: Ita exempli gratia, quando dicitur *Genes. XLIII. 32. Non possunt Ægyptii comedere cum Ebræis panem, quia hoc abominatio est ipsis*; non possunt Ægyptii, nihil aliud est, quam non licet ipsis, hinc vulgatus interpres hunc locum sic exprimit: *Illicitum est Ægyptiis comedere cum Ebræis, & profanum putant ejusmodi convivium*, & B. Lutherus itidem, לא יוכלון scitissime reddidit: sie dürffen nicht. Unde ponamus casum, si Ægyptius Ebræo promisisset, se fore ipsius convivam, quæritur, numne tale convivium promissum fuisset ab ipso?

ipſo? reſpondetur: minime, quia tale convivium erat moraliter impoſſibile.

V. Hinc non modo accuratiores *Philoſophi* ſed & *Theologi* ac *JCti* communiter fere omnes ſaniori judicio præditi, hoc, quod per ſe & ſuapte natura turpe eſt, in genere morum abſolute impoſſibile vocant: Ita exempli gratia non poteſt promitti adulterium, furtum, latrocinium, quia hi actus per ſe & ex ſua natura turpes ſunt, unde in genere morũ ſunt abſolute impoſſibiles. Huc ſpectat illud *2. Tim. II, 13. Si non credimus, ipſe fidelis manet,* ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται, *negare ſe ipſum non poteſt.* Cur dicitur: Chriſtus negare ſeipſum non poteſt? Res certe loquitur ipſa, hoc de morali impoſſibilitate accipi oportere, nam niſi per ſe turpis eſſet talis negatio, de qua Apoſtolus ibi loquitur, cur non poſſet fieri? Ita *Ebr. VI. 18.* hæc leguntur verba: ἀδύνατον ψεύσασθαι θεὸν, *impoſſibile eſt mentiri Deum,* niſi de morali impoſſibilitate hoc intelligatur: Nam qui, qvum aliud non haberet, *non poteſt mentiri,* idem ibi eſſe dixit, atque *non vult mentiri,* miſeram cauſæ ſuæ paupertatem ſat prodidit, omnibus veritatis æquitatisque ingenuis æſtimatoribus id facillime animadvertentibus. Conferantur ea, quæ ſupra *L. I. c. 1. p. 209. & ſeqq.* adduximus. Add. plane egregia & acuta *B. Slevogtii diſſertatio de eſſe poſſibili,* quæ in volumine octavaeſt.

VI.

VI. Quando de promiſſione rei moraliter impoſſibilis agitur, nequaquam confundi aut plane pro iisdem haberi debent: ipſa promiſſio rei moraliter impoſſibilis, & promiſſio ob rem moraliter impoſſibilem: ita exempli gratia promiſſio rei moraliter impoſſibilis eſt, quando quis promittit alicui ſe corrupturum alterius filiam, ſe facturum homicidium: contra promiſſio ob rem moraliter impoſſibilem eſt, exempli gratia, quando quis decem aureos futuro homicidæ pro homicidio, ſi nempe iſtud commiſerit, promittit. Hanc diſtinctionem ipſe *Grotius* tradit: Poſtquam enim §. 8. n. 1. ſic diſſeruerat: *Materiam promiſſi quod attinet, eam oportet eſſe, aut eſſe poſſe in jure promittentis, ut promiſſum ſit efficax, quare primum non valent promiſſa facti per ſe illiciti: quia ad illa nemo jus habet, nec poteſt habere. At promiſſio, ut ſupra diximus, vim accipit ex jure promittentis, nec ultra extenditur. Ageſilaus de promiſſo interpellatus reſpondit:* γὰρ ὄντα, εἰδ' ἐστὶ δίκαιον· εἰ δὲ μὴ, ἔλεξα μὲν, ὡμολόγησα δ' ὄ. *Bene, ſi juſtum eſt: ſin minus, dixi tantum, non & promiſi.* Mox §. 9. hunc in modum diſſerit: *Quæri hic ſolet, an promiſſio facta ob cauſam naturaliter vitioſam ipſa natura valeat, ut ſi quid promittatur homicidii perpetrandi cauſa? Hic ipſam promiſſionem vitioſam eſſe ſatis apparet; in hoc enim adhibetur, ut alter impellatur ad malum

lum facinus. Sed non quidquid vitiose fit, effectu juris caret, quod in prodiga donatione apparet. Hoc interest, quod donatione facta jam cessat vitiositas: nam sine vitio res relinquitur apud donatarium. At in promissis ob causam vitiosam manet vitium, quamdiu non perpetratum est crimen, tamdiu enim impletio ipsa promissi ut mali illex, labem in se habet: quæ cessare incipit peracto crimine. Unde sequitur usque ad id tempus promissionis talis efficaciam esse in pendenti, ut modo dicebamus in promissa re, quæ juris nostri non est. Crimine vero perpetrato, jam obligationis vim exseri, quæ ab initio non intrinsecus defuit, sed ab accedente vitio fuit impedita. Et hujus rei exemplum afferri potest in Juda, Jacobi filio, qui Thamari, quam meretricem putabat, promissam mercedem, tanquam debitam, persolvit. Quod si injustitia promissarii causam promissioni dederit, aut inæqualitas sit in contractu, hæc quomodo sint resarcienda, alia est quæstio, de qua mox videbimus. Sic ergo *Grotius* promissionem rei moraliter impossibilis & promissionem ob rem moraliter impossibilem, quam nempe promissionem factam ob causam naturaliter vitiosam vocat, per hoc ab invicem discernit, quod illa nunquam valeat, sicque moraliter loquendo promissio rei moraliter impossibilis non sit promissio, cum e contrario ipse promissionem factam ob rem moraliter impossibilem

omni-

omnino valere credat, ita tamen, ut efficacia talis promiſſionis ex. gr homicidii perpetrandi cauſa factæ promiſſionis decem aureorum, tamdiu ſit in pendenti, quamdiu non perpetratum eſt homicidium, homicidio vero perpetrato jam obligationis vim exſerat. Præcipuæ rationes *Grotii* ſunt ſequentes: 1. quia promiſſio ob rem moraliter turpem e. gr. decem aureorum ob homicidium perpetrandum poſt commiſſam rem moraliter turpem non amplius eſt mali illex & illecebra, adeoq; nullam labẽ moralẽ in ſe habet. 2. Qui moraliter poteſt majus, is poteſt etiam minus. Jam vero poteſt quis ſalvo naturæ jure dici obligatus, ne pro ſua re amplius habeat, quod ob cauſam turpem alius acceperat, & creditur dominium transiiſſe ex prioris domini voluntate. Quidni ergo idem naturaliter teneretur ſervare promiſſum, ſi quid nondum dediſſet, dare tamen promiſiſſet, cum promiſſio ſit via ad alienationem, & perfecta promiſſio ſit vere inchoata dominii alienatio. 3. Si prodiga donatio habet juris naturalis effectum, ſequitur, quod etiam promiſſio facta ob rem moraliter impoſſibilem, poſtea vero ſecutam, exempli gratia ob patrandum homicidium quod nunc perpetratum eſt, non careat juris naturalis effectu, cum utrobique par ratio eſſe videatur. Nam ut donatione facta jam ceſſat vitioſitas ac ſine

vitio res relinquitur apud donatarium: Pariter in promissis ob causam vitiosam, causa vitiosa jam prætergressa, hoc est crimine patrato, res se habet, quia turpitudo peracto crimine cessare incipit. 4. Hujus rei exemplum affert Judam, Jacobi filium, *Genes. XXXIIX.* Et certe habuit *Grotius* plures Moralistas præeuntes, ut fere communem Moralistarum sententiam diceres. Interim hodie receptior est apud alios sententia Grotianæ contraria, inque primis sequentes urgentur rationes: 1. Cujus causa turpis est, illud ipsum est turpe. Atqui causa obligationis ex promisso ob turpem causam jamjam secutam est turpis E. ipsa obligatio ex promisso ob turpem causam jamjam factam est turpis, & per consequens non est obligatio, quia ad turpe nulla obligatio. Majorem probant, quia bonum nascitur ex integra causa. Minorem, quia promissio est causa obligationis, quæ ex promisso oritur: jam vero promissionis ob turpem causam factæ causa omnino est turpis, ideo enim dicitur promissio ob turpem causam facta: Causa igitur causæ e. gr. homicidium patrandum est causa factæ promissionis, erit etiã causa causati nempe causa obligationis. 2. Si non minus turpe est homicidium perpetrasse, quam perpetrare velle, sequitur, quod non minus turpe sit ob homicidium patratum promisso ob istud patrandum stare, quam ob patrandum homici-

micidium iſtud promittere. Prius eſt verum E. & poſterius. 3. Quicunque actus eſt penſatio ſceleris & ad plura ſuſcipienda invitatio, ille eſt turpis adeoque non valet ipſa natura. Atqui impletio promiſſionis ob turpem cauſam factæ eſt penſatio ſceleris & ad plura ſuſcipienda invitatio E. 4. Si furto facto res furtiva citra vitium nequit retineri, ſequitur, quod homicidio patrato res ob patrandum homicidium promiſſa, nequeat a promiſſario acccipi. Prius eſt verum E: & poſterius. Et videtur, ac ſi neutrius partis rationes ſint tam faciles ſolutu aut perceptu, atque forſan ſtudium alterutrius partis amantibus videri poterant. Nam omnino ſunt, quæ excipiuntur ad Grotiana argumenta: Ad 1. quod impletio promiſſi ob rem moraliter turpem poſt commiſſum facinus adhuc ſit mali illex, quia ſit ſceleris penſatio, aut confirmatio, & ad aliud ſcelus ſuſcipiendum invitatio. Ad 2. quod non poſſit majus, qui non poteſt minus, quodque quia turpem ob cauſam promiſſum nequit impleri, nec ob turpem cauſam quidquam dari queat, quod naturaliter non ſit reſtituendum. Alii excipiunt, quod a dominio, quod translatum eſt, non valeat conſequentia ad dominium, quod transferendum eſt, cum ibi quæſtio ſit de libera voluntate, hic de neceſſitate. Ad 3. excipitur, quod prodiga donatio, aut ne-

queat comparari cum promissione ob rem turpem, si nempe nullius mali illex fuerit, aut si cum ea comparari queat, rem a prodigo donatam cum vitio relinqui apud donatarium. Excipitur ad 4. quod creditum fuerit eo tempore, licere innuptæ & solutæ fœminæ corporis sui usum concedere alteri sine consensu in vitæ communionem idque vel gratis, vel pro mercede, adeoque validam obligationem ex istiusmodi conventione, tanquam circa rem saltem civiliter licitam, potuisse contrahi, quæ *Seldeni* exceptio est, & sane non liquet, quid præsidii firmi *Grotius* in Judæ exemplo potuerit quærere. Non tamen nullo plane examine dignæ sunt, pro Grotiana sententia quæ excipi poterant ad adversæ sententiæ argumenta, & quidem ad 1. quod aliud sit spectare promissionem ut movet ad patrandum homicidium, & spectare eam, ut movere desiit: Item quod aliud sit solvere promissum, ut ab obligatione promissi libereris, & , solvere promissum, ut patratum scelus penses & confirmes, cum etiam quis posset post patratum scelus promissum solvere, simulque immane quantum detestari patrati sceleris turpitudinem ac verbis factisque testari, quam vellet esse infectum quam optaret se nihil promisisse, imo libero promissarii arbitrio relinquat & conscientiæ, num promissorem velit, teneatur libera-

berare. Ad 2. quod aliud ſit homicidium perpetraſſe, aliud poſt patratum homicidium id, quod ob patrandum iſtud promittebatur, ſolvere, cum homicidium perpetratum relinquat homicidam in ſtatu peccatoris, donec juſtitiæ pœnali ſatisfiat, & licet qui ob homicidium perpetrandum pecuniam promiſerat, eo ipſo quoque tempore turpis maneat, quando ſolvit poſt homicidium patratum id, quod promiſit, de eo tamen quæſtio ſit, num turpis maneat promiſſor per hoc, quod poſt patratum homicidium cum deteſtatione ſceleris, ob quod patrandum promiſerat, id quod promiſerat, ſolvat, an vero ſaltem per hoc, quod promiſſione ſua vel cauſa moralis homicidii, vel cauſa quomodocunque concomitans extitiſſet. Ad 3. idem quod ad primum. Salvo jure naturæ ante homicidium patratum nemo poteſt velle, ut ſit homicida: poſt homicidium patratum quis ut ſalvum relinquat jus naturæ non poteſt non velle, ut ſit homicida, donec juſtitiæ ſatisfiat. Ad 4. diſparem eſſe rationem, qui furto facto rem furtivam retinet, adhuc approbat furtum, nec cum deteſtatione furti rem furtivam retinere poteſt: At qui homicidio patrato rem ob patrandum homicidium promiſſam ſolvit, cum veriſſima deteſtatione patrati homicidii id præſtare valet. Imo ex eo, quod homicidio patrato

res ob patrandum homicidium promissa, nequeat a promissario accipi, *Grotius* nondum naturaliter colligi posse statuit, quod tale promissum a promissore non possit expleri. Cum quis possit juste accipere, licet alter, e. gr. prodigus det injuste, & sic quoque quis possit juste dare, quamvis alter accipiat injuste sicque liberare promissorem debeat. Sed hæc, ut Grotiana sententia examinari posset, dicta sunto.

VIII. Etiam distingui potest inter possibile præsens & possibile futurum: ita e. gr. in præsens possibile promissori dicitur, quod est in potestate promissoris, quando jam vult promittere. In futurum possibile promissori dicitur, quod quando promittit non est in potestate promissoris, sed esse aliquando poterit. Jam quæstio est: num promissio ejus, quod non erat in potestate promissoris, sed esse aliquando poterat, sit vera promissio? seu, quod eodem redit, num quod non erat in potestate promissoris vere promitti potuerit? Respondetur a *Grotio*, quod vere promitti potuerit sub conditione, si in potestatem veniret, sicque vera promissio tum demum sit, si in potestatem venturum sit. Unde non adeo incommode poterat distingui in promissionem stantem & pendentem, ut promissio stans sit promissio ejus, quod est in potestate promissoris; promissio vero pendens dicatur istius,

ſtitius, quod non eſt in poteſtate promiſſoris, ſed eſſe aliquando poteſt. Et hoc vult *Grotius*, dum ita diſſerit: *Quod ſi res nunc non ſit in poteſtate promittentis, ſed eſſe aliquando poſſit, erit in pendenti efficacia; quia tum promiſſio facta cenſeri debet, ſub conditione ſi res in poteſtatem venerit.* Ex eo facile eſt reſpondere ad quæſtionem, num ex promiſſione pendenti quis poſſit obligari? nempe reſponſi loco dici poteſt, quod in quantum pendet, naturaliter nulla ejus vis ſit obligandi, æque ac vulgo dicitur, quod conditionalis nihil ponat, ſed fieri poteſt, ut quis ſucceſſu temporis implere poſſit conditionem, unde efficacia promiſſionis pendebat, & ſic qui voluit nondum poſſibile promittere, omnino voluiſſe præſumitur, quantum in ſe eſt voluiſſe ſe obſtringere ad hoc, ut ſi fieri poſſet, conditionem impleret. Exprimit hoc *Grotius* ſequentibus: *Quod ſi conditio, qua res in poteſtatem promiſſoris venire poſſit, ipſa quoque ſit poteſtativa, tenebitur promiſſor facere, quidquid moraliter æquum eſt, ut ea impleatur*, §. *8. n. 2.* Habet interim obligatio, quæ ex poteſtativa conditione oritur, non raro ſuam moralem latitudinem. Liceat unico caſu rem illuſtrare. Promiſit Proculus dotem ita: *Cum potuero doti tibi erunt centum.* Quæritur, an ſtatim quando poteſt ex tali promiſſione obligetur? Videtur, quod tum demum oblige-

tur, si convenienter & commode, si salva dignitate sua possit. Add. *l. nepos Proculo 125. D. de verborum significatione.*

Causa formalis promissionis.

§. 4. Causa formalis promissionis, hoc est ipse *modus promittendi requirit actum externum, id est, signum sufficiens voluntatis.*

[*Grotius §. 11.*]

NOTÆ.

I. Huc facit doctrina de magis minusque idoneis ac sufficientibus signis voluntatis, de quibus hoc *L. II. cap. 4. §. 2. & seqq. p. 681.* egimus, quæ mutatis mutandis huc facile reduci poterunt.

II. Ita ad præsentes interdum *nutu*, frequentius *voce:* ad absentes *literis* utimur tanquam signis voluntatis sufficientibus.

III. Et quia facimus quoque, quod per alios facimus, omnino etiam *per hominum alterum obligamur, si constet de voluntate nostra, qua illum elegerimus, ut instrumentum nostrum.* Dupliciter autem eligere possumus alterum, ut instrumentum nostrum: *1. ad hoc speciatim. 2. sub generali notione.* Insignem usum habet hæc distinctio etiam in maximi momenti negotiis: Ita sæpe agitur de eo, an & quousque imperans obligetur ex promissione, quam legatus imperantis pro ipso fecerat ex vi instrumenti procuratorii excedendo arcana mandata?

Et

Et ſane fieri poteſt, ut quiſpiam, qui electus eſt, obliget eum, qui elegerat, agendo contra voluntatem ipſius ſoli electo ſignificatam, ſi nempe ſub generali notione electus ſit. Nam *diſtincti ſunt actus volendi. Unus, quo nos obligamus ratum habituros, quicquid ille in tali negotiorum genere fecerit; alter, quo illum nobis obligamus, ut non agat niſi ex præſcripto ſibi non aliis cognito. Grotius* §. 12.

§. 5. Cauſa finalis promiſſionis, hoc eſt, cujus gratia fit promiſſio, eſt commodum promiſſoris. *Cauſa finalis promiſſionis.*

NOTÆ.

I. Eſt namque promiſſio promiſſoris gratia.

II. In *Scholis* alias inter finem cujus & cui, mutilatis ita terminis, diſtinguitur, unde finis cui reſpectu promiſſionis erit promiſſarius, ceu ex *§. 9.* Grotiani *cap.* quodammodo conſtat.

§. 6. Cauſa ſubjectiva ſeu ſubjectum promiſſionis eſt *promiſſarius*, hoc eſt is, cui promiſſio fit: *ut* autem *alicui fiat promiſſio, acceptatio hic non minus quam in dominii translatione requitur.* *Cauſa ſubjectiva promiſſionis.*

[*Grotius* §. 14.]

NOTÆ.

I. Acceptatio requiritur, quia invito naturaliter non obtruditur commodum.

II. Et moraliter quidem acceptatio semper simul est cum promissione, physice vero si spectetur promissio, prior est plerumque acceptatione, non semper: Ita si e. gr. Titius a Sempronio petiisset, ut sibi promitteret donationem libri, & vero iste ei librum promitteret, *præcedens rogatio dumre intelligeretur, ac vim habere acceptationis.*

III. Ventilatione digna quæstio est, *an non quandoque promissio sine acceptatione valeat?* Si affirmemus istud, non erit necessarium requisitum promissionis acceptatio. Si negemus, ipse *Grotius* contrarium sentire videtur, qui & infantibus & amentibus asserit imperia ac dominia quæsita, quarum nulla est acceptatio, cum nesciant uti voluntate. Accedit, quod *lex Romana* pollicitationes civitati factas revocari vetet, utut nondum acceptatio adsit. Enimvero *Grotius* ipse *§. 14.* tuetur affirmativam, & utramque difficultatem removere satagit, distinguendo inter id, quod *juris naturalis*, & quod *juris voluntarii* est. Nam quod *lex Romana* pollicitationes civitati factas vetat revocari, id arguit *effectum juris non naturalem, sed legitimum, manet* interim *jure naturæ acceptatio ad promissionem*, ut obligat, *neces-*

necessaria: nec *lex Romana hoc dicit*, verba sunt *Grotii*, *ante acceptationem pollicitationis plenam esse vim. Huic non dissimile* credit ipse, *quod pro infantibus & amentibus jus gentium introduxit, ita pro his, ut possidendi res, quæ possessione quæruntur, ita & acceptandi animus jus suppleat.*

IV. Acceptationis doctrina multum facit ad decisionem quæstionum, quarum praxis & frequens & cognitu necessaria est Moralis Philosophiæ genuinis Cultoribus. Liceat fugitivo oculo quasdam percurrere. Ita quæritur: *An promissio naturaliter nullam vim habeat, donec promissor in notitiam acceptationis venerit?* Ad affirmativam videbatur facere, quod dictum est, acceptationem simpliciter requiri ad promissionem, ita ut sine acceptatione promissio non sit promissio: Jam vero non esse & non apparere tantundem valere dicuntur quoad eum, cui non apparet. At feliciter solvit hanc quæstionem *Grotius*, dum §. 15. erudite notat, duplici modo fieri promissionem posse: Primo ita: *Volo ut valeat promissio mea, si acceptetur.* Secundo: *Volo ut valeat promissio mea, si acceptatam intellexero.* Jam si priori modo promissionem fecisti, omnino valebit, licet tu, qui es promissor, nondum scias, num acceptata sit, necne? Nam sufficit te voluisse, ut valeret, modo acceptata esset: at posterioris modi promissio

missio nondum effectum juris naturalis consecuta est, quamdiu tibi, ut promissori nequaquam innotuit acceptationem factam esse, sive acceptata sit, sive minime. Etenim tum promissionem fecisti sub conditione, si acceptaretur, quæ conditio nondum est impleta, si vel maxime promissarius acceptaverit promissionem, & tum demum ejus complementum adest, quando ejus acceptatio tibi innotescit. Huic quæstioni cognata est: *Quid vero sit naturalis juris, si promissor non significaverit animum suum, numne voluerit, ut valeret promissio, si acceptaretur, an tum demum, si acceptatam intelligeret?* Respondetur, si ex nuda præsumtione agitur, quid scilicet in dubio de promissione tali præsumi debeat, iterum alia distinctione opus est, & videndum, num fuerit promissio mere liberalis, an ultro citroque obligatoria? Si hoc, maxime naturalis præsumtio est promissorem voluisse, ut valeret promissio, si acceptatam intellexisset: si illud, potius creditur promissor voluisse, ut promissio valeret, si acceptaretur, sive sciret acceptationem factam esse, sive nesciret.

V. Rursus quæstio institui potest: *An quis possit salvo nature jure promissionem suam revocare? Grotius* ponit certos casus, in quibus omnino sine injustitia, imo & sine inconstantia, promissio revocari possit a pro-

promiſſore. Primus caſus extat §. 16. *Si revera eo animo facta ſit promiſſio, ut ab acceptatione demum valere inciperet.* Verum videtur, ac ſi aliud ſit, promiſſionem revocare, aliud autem, declarare, quod nondum vera promiſſio fuerit aut pro ea haberi debeat. Ratio eſt, quia neceſſaria conditio ex parte promiſſarii eſt acceptatio, quæ in tali caſu adhuc deerat, & ita Metaphyſicorum canon: *negata cauſa ſine qua non negatur cauſatum*, locum inveniet. Ex hoc fundamento deciditur quæſtio de eo, quid fiat, *ſi ante acceptationem moriatur is, cui promiſſum erat.* Ratio a *Grotio* allata hæc eſt, *quia videtur acceptatio in arbitrium ipſius collata, non hæredum.* Sed hic objici poſſet: Qvi cedit in locum, cedit in jus. Hæredes cedunt in locum ejus, cui promiſſum eſt. Ergo cedunt in jus, & per conſequens licet is, cui promittebatur, ante acceptationem mortuus ſit, revocari nequaquam promiſſum poterit, modo hæredes acceptaverint. Ad hoc argumentum reſpondetur, majorem ſimpliciter poſitam non eſſe univerſaliter veram. Et quantum quidem ad præſens attinet, limitari poteſt hoc modo: Qui cedit in locum defuncti ita, ut ſibi idem velle liceat, quod defuncto, is cedit in jus. Sed ſic in propoſito argumento negatur minor: Non enim in allato caſu hæredes in locum defuncti ſuccedunt, quia non hæredibus

dibus promissum fuerat, sed ei, cujus hæredes futuri erant. Imo si major universaliter vera esset, etiam hæredes propter delictum ab eo, cujus hæredes sunt, quique ante supplicium mortuus fuerat, commissum juste puniri possent, quod tamen nequit fieri, ut *cap. 20.* docebitur. Excipi poterat, hæredes promissarii in jus ei quæsitum ex promissione successuros fuisse, si post acceptationem is, cui promissum erat, mortuus fuisset. Quidni igitur etiam ante acceptationem, si nempe voluissent, in istud jus potuissent succedere. Respondetur negando consequentiam: nam *aliud est velle dare* alicui *jus ad hæredes transiturum, aliud velle dare hæredibus, multum enim refert in quem beneficium referatur.* Facta nempe fuerat promissio principali personæ, non hæredibus, quibus si promissor simul voluisset promittere, potuisset ipsi hæredibusque ejus promittere, & sic vis promissionis omnino ab hæredum acceptatione post obitum ejus, cujus hæredes sunt, pependisset. Et hoc est, quod Neratius respondit *l. Neratius 191. D. de Regulis Juris.* Consultus, an quod beneficium dare se quasi viventi, Cæsar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur? *respondit, non videri sibi Principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse, quem tamen nudam esse beneficii sui vellet ipsius æstimatio-*

mationem esse. Secundus casus est, quem *Grotius* §. 17. format, an nempe revocari possit promissio *mortuo eo, qui lectus erat minister,* quo promissor uteretur in puncto suæ promissionis? Hic distinguit *Grotius* 1. inter ministrum, qui lectus est internuncius voluntatis promissoris, hoc est, qui oretenus voluntatem significare debuit, & inter ministrum, qui lectus est tabellarius, hoc est, qui electus est, ut ad eum, cui promissio fiebat, literas deferret, ex quibus promissio alteri innotesceret. In priori casu, si quis internuncius fuisset, *Grotius* noster affirmativam defendit, quod omnino revocari possit promissio mortuo eo ante internunciationem, qui voluntatis internuncius lectus fuerat. Ratio est, quia in illius internuncii verbis posita fuerat obligatio, unde eo mortuo, voluntas mea absenti promissario significari nequit, adeoque nec potest ab eo acceptari, cum acceptatio sit actus voluntatis, ignoti vero nulla voluntas. Res ita percipi potest: Sicut deficiente instrumento, nequit a causa principali peragi id, quod absque instrumento fieri nequit: Ita instrumentum erat internuncius, quo mortuo ac ita deficiente, promissio significari nequit, quam non nisi per hoc instrumentum promissor significare voluerat. At in posteriori casu, si nempe tabellarius moriatur, qui literas promissorias ad promissarium

rium ferre debuerat, sic revocari nequit promissio, modo literæ in manus promissarii promissionem acceptantis venerint post tabellarii obitum: In promtu causa est, quia in tabellarii verbis nulla posita fuerat obligatio, sed in literis, hoc est tabellarius lectus non erat instrumentum obligationis, sed perlator instrumenti obligatorii, itaque literæ promissionis indices per quemvis perferri poterant. Ad priorem casum spectat, num etiam vivo adhuc internuncio, quis revocare possit promissum suum? & naturaliter hoc omnino fieri potest, si nempe promissor per celeriorem internuncium antevertat eum, qui prius lectus fuerat, significetque voluntatem sui principalis esse, ut si forte jam in itinere versans nuncius veniat & voluntatem principalis sui ut promissoris significet, non habeatur pro voluntate significata, sed ante significationem jam retractata. Et hic valebit sano sensu, quod Philosophi dicunt: *Instrumentum non movet nisi motum.* Distinguit 2. *Grotius inter ministrum, qui electus est, ut promissionem significet, & inter eum, qui electus est, ut ipse promittat*, hoc est, inter eum, cujus unicum officium erat significare sibi significatam a promissore erga promissarium voluntatem, & eum, qui generaliter præpositus erat, ut quasi voluntas ipsius deberet promissoris voluntas esse, ipseque promissoris

ſoris vicem gereret. *In priori puncto revocatio vim ſuam habebit, etiamſi miniſtro non innotuerit, altero vero irrita erit revocatio, quia jus promittendi ab ipſius voluntate pendebat, quæ voluntas necdum cognita revocatione omni culpa vacabat.*

VI. Alia quæſtio eſt: *An promiſſor ſuam promiſſionem revocare poſſit, poſtquam ab altero facta eſt acceptatio nomine promiſſarii?* Diſtingui namque ſolet inter acceptationem propriam, quando quis ipſe acceptat, & inter acceptationem vicariam, ut vocant, quando ille, cui promittebatur, abeſt & alter vicem ipſius ſuſcipit ac gerit, ſicque promiſſarii nomine acceptat promiſſionem. *Grotius* §. 18. adhibita diſtinctione reſpondet, *diſtinguendum eſt*, inquiens, *inter promiſſionem mihi factam de re danda alteri, & inter promiſſionem in ipſius nomen collatam cui res danda eſt.* Jam ſic reſpondet, *ſi mihi facta eſt promiſſio naturaliter videtur mihi acceptanti, jus dari efficiendi, ut ad alterum jus perveniat, ſi & is acceptet, ita ut medio tempore a promiſſore promiſſio revocari non poſſit, ſed ego, cui facta eſt promiſſio, eam poſſim remittere. Nam is ſenſus juri naturæ non repugnat, & verbis talis promiſſionis maxime congruit. Neque nihil mea intereſt, ſi per me alter beneficium acquirat.* Et hæc de primo caſu, quando de promiſſione mihi facta de re danda alteri intelligebatur. Circa

alterum casum, nempe quid naturaliter fieri possit in puncto promissionis in nomen ejus collatæ, cui danda res est, ut decisio recte peragatur, nova opus est distinctione: Videndum enim prius est, an ille vicarius acceptator sit promissarii mandatarius, nec ne? Si prius, rursus sedulo attendendum, *num qui acceptat aut speciale mandatum habeat acceptandi, aut saltem ita generale, ut talis acceptatio ei inclusa censeri debeat:* Si plane speciale mandatum adest, nullum dubium est, quin promissio post factam vicariam acceptationem revocari nequeat: nec liquet, quid obstet, quo minus, ubi saltem generale mandatum, cui talis acceptatio inclusa censeri debeat, adsit, omnino irrevocabilem reddat promissionem, ut *plane ex tali acceptatione permissio perficiatur,* quia *consensus potest & per ministrum interponi ac significari,* ut ex parte promissoris, ceu *præcedente nota* ostendebatur, sic & ex parte promissarii, cum utrobique par sit ratio, quantum ad præsens attinet. *Velle enim censeor, quod in alterius voluntate posui, si & ille velit.* Si posterius, hoc est, si vicarius acceptator nequaquam fuit mandatarius promissarii, & tamen *acceptat volente promissore,* hoc est, dicit, se nunc supplere velle promissarii absentis vices, ut promissarius sit absens tanquam præsens, cum præsumat fore, ut, modo præsens esset, acceptaret

ptaret, *tunc is erit effectus, ut promissori revocare promissionem non liceat, antequam is, quem spectat promissio*, hoc est, promissarius, *eam ratam habuerit aut irritam: Sic tamen, ut medio illo tempore is qui acceptavit*, hoc est, vicarius acceptator, *remittere promissum non possit*. Ratio est, quia *hic*, id est, in præsenti casu, *non adhibitus est ad jus aliquod accipiendum, sed ad adstringendam promissoris fidem in sustentando beneficio, ita ut promissor ipse si revocet, faciat contra fidem, non contra jus proprium alicujus.*

VII. Rursus alia quæstio, cujus praxis non infrequens est, obvenit: *An promissor naturaliter possit suæ promissioni onus quoddam adjicere?* Exempli gratia promiserat Titius Sempronio fundum suum, post aliquot vero dies magis determinat voluntatem suam, dicens: Te spectat promissio fundi, sed sub conditione, ut cum ante liber esset ab omni servitute, vicino fundi imposterum serviat, quæritur jam, num salvo naturæ jure contra promissarii voluntatem promissioni suæ Titius hoc onus ex postfacto adjicere potuerit? *Grotius* respondet §. 19. præmissa distinctione: Videndū nempe, an antequam hoc onus adjiceretur, acceptatio promissionis facta sit, nec ne; Si prius, contra promissarii voluntatem onus nequaquam poterat adjici: Si posterius, *quamdiu* scilicet *completa nondum est*

promissio per acceptationem, nec fide interposita facta irrevocabilis, fieri poterit. Huc spectat illa quæstio: *An si quis promisisset cum onere in tertii commodum adjecto, promissionem possit revocare a promissario dudum acceptatam, ut tamen tertius non consenserit in onus adjectum promissioni?* Affirmat *Grotius* & ex præcedentibus sane res colligitur facile.

VIII. Vicissim alia est quæstio a *Grotio* §. *20.* expensa: *Num convalescere possit promissio, & quomodo, cui* (promissioni) *error* fundatus in præsumtione facti, quod factum revera ita se non habeat, *causam dedit, si re cognita promissor stare velit promisso?* Quod talismodi promissio convalescere possit, patet, quia si velit promissor stare promisso, res perinde se habet, ac si nunquam error adfuisset. Cæterum qua ratione convalescere possit, altioris indaginis est. Nam *ad eam firmandam quidam solum actum internum requirunt, quem conjunctum cum priore actu externo sufficere putant ad pariendam obligationem,* ut ita quasi prior actus externus rediisse aut perdurasse credatur. *Alii, quibus id displicet, ideo quia actus externus non potest signum esse actus interni sequentis, requirunt novam verbis factam promissionem & acceptationem. Verior est media sententia, actum quidem externum requiri, sed non utique verbis factum, cum*

reten-

retentio rei promissæ ex parte ejus, cui promissa est, & relictio ejus ex parte promittentis, aut simile aliquid, sufficere possint ad significandum consensum. Ita e. gr. venerat de morte divitis cujusdam testatoris falsus ad institutum hæredem nuncius, quo audito & credito promittit hæres nuncio viginti aureos, quos ei dare velit, quando Sempronius debitor a debito, quo promissori obstringebatur, se liberaverit: Faciamus in promissarii manus deinceps venisse solutos aureos, quos debitor promissoris ei dederat sicque eum instrumentum præstandæ solutionis elegerat, si jam promissor sciat, promissarium titulo pristinæ promissionis detinere pecuniam, nec tamen eam repetat, cum possit repetere, sic creditur promissio ex errore facta convaluisse. *Idem quæri poterit de promissionibus, quibus lex civilis impedimentum injicit ex metu aut causa alia, si ista causa postea cessaverit.*

IX. Quæritur amplius: *an omnis promissio debeat habere expressam causam? Grotius* verissime respondet, *naturaliter non* esse necessarium. Nam & hic obtinet illud: stat pro ratione voluntas, *nec magis naturaliter sunt irritæ, quam rerum donationes.*

X. Quæstio non inutilis est: *an qui factum alienum promisit ad id, quod interest, teneatur?* Exempli gratia, promisit quis alteri se effecturum, ut tertii domum emeret pa-

rata pecunia, ipſeque promiſſarius paravit pecuniam, evenit vero, ut promiſſor explere nequeat, quod promiſerat, huc jam ſtatus quæſtionis redit, num ad id, quod intereſt, promiſſor promiſſario obligetur? Reſpondetur: *Modo facere non omiſerit* promiſſor, *quod ex ſua parte ad id factum obtinendum facere poterat, naturaliter non obligatur:* Ratio eſt, *quia per eum non ſtetit, quin præſtaretur*, & ſic velut perſolvit fidem. Hoc tamen ita accipiendum eſt, *niſi verba* promiſſoris *aut negotii* promiſſi *natura* obligationem inducant ſtrictiorem.

XI. Et tantum de promiſſionibus dixiſſe ſufficiat, hoc tamen iterum iterumque monendum, *ne jura civilia cum naturali jure confundantur*. Multa enim ex *lege* ſunt *civili*, quæ vulgo *juris naturalis* eſſe putantur. Ita ſi civiles leges reſpiciamus, non habetur ullatenus pro promiſſione ea, quæ a *Grotio* dicebatur primi gradus, quando nempe quis promittit alteri, tamen ſibi jus mutandi animum pleniſſime reſervat. Ita *Romanis legibus* erat introductum, ne promiſſum non ſolenniter factum valeret, unde deliberati animi ſignum certam conſtituerunt ſtipulationem. Hinc *Paulus ſententiarum L. II. Tit. XIV. Si pactum nudum de præſtandis uſuris interpoſitum eſt, nullius eſt momenti. Ex nudo enim pacto inter cives Romanos actio non naſcitur.* Similes erant in

in aliis populis leges. *Quæ lex ad id præstandum nos, quod alicui promiſimus, obligat?* ait *Seneca* de promiſſo non ſponſo loquens *L. V. de Benef. cap. 10.* & *Epiſt. 19.* ſic diſtinguit; *Jam non promittunt de te, ſed ſpondent.* Sponſio & ſtipulatus *verborum ſolennitas* dicitur *Paulo L. V. Sentent.* & *Cajo Tit. de Obligationibus, quæ ex conſenſu fiunt.* Sic *leges civiles* juſta ratione motæ quasdam promiſſiones pupillorum ac minorum irritas pronunciant, non apud Romanos tantum, ſed & apud Græcos: adverſus quasdam reſtitutionis beneficium introducunt, ſed hi effectus ſunt proprii legis civilis, ac proinde cum jure naturæ ac gentium nihil habent commune; niſi quod quibus locis obtinent, ibi eas ſervari etiam naturale eſt, ut etiamſi peregrinus cum cive paciſcatur, teneatur illis legibus, quia qui in loco aliquo contrahit, tanquam ſubditus temporarius legibus loci ſubjicitur. Rurſus circa pactum errantis multæ diſtinctiones ex *jure Romano*, tum *civili veteri*, tum *prætorio* venerunt, ut: Fueritne actus ſtricti juris an bonæ fidei &c.? Idem de promiſſo, quod ex metu fit, dici poteſt. Nam quod quidam actus reſcindantur ob metum ab alio incuſſum, quam qui cum actum eſt, ex *lege* eſt *civili*, quæ ſæpe etiam actus libere factos ob judicii infirmitatem aut irritos facit aut revocabiles. Uti vero circa cauſam effi-

cientem promissionis lex civilis plurima disponit, ceu modo dictum est, ita quoque circa alias causas, ut circa materiam, nam in hoc quoque genere, ut & circa modum promittendi lex civilis utilitatis causa multa irrita solet facere, quæ naturaliter obligarent. Hoc circa subjectum promissionis etiam animadvertere est: exempli causa, jus Romanum pollicitationem revocari vetat ante acceptationem, ita ut semper possit acceptari: Item in controversiis de acceptatione pro altero facta, in promissionibus mihi factis de re danda alteri introduxit, ut probe dispiciatur, an mea privatim intersit. Item in promissionibus, quas promissarii mandatarius acceptaverat, distinguere jubet, sitne persona sui juris nec ne: Item, promissiones, quæ causam expressam non habent, irritas pronunciari videas. Ex his & innumeris aliis recte rem inspicienti facile elucet naturalis æquitatis discrimen a juris civilis additamentis, & quomodo multa juris naturalis effectu careant, ubi lex civilis impedimentum affert, quem haberent, si talia promissa jure solo naturæ regerentur, ut certe mirari non subeat, cur nunquam desint, qui in ejusmodi doctrinis moralibus secus sentiant, juris naturalis effectus proprios cum propriis legum civilium, & quod sepositis legibus civilibus naturaliter justum est, cum eo, quod

post

post constitutas has illasve leges positivas plane aliter, & quidẽ salva naturali æquitate se habet, confundentes, nec distinguentes imperfectam obligationẽ, quæque alteri jus non dat, nec in foro actionem parit, a plena obligatione, quæque & naturalis jusque dans alteri & civilis est. Et hic erat *Grotianæ Philosophiæ* de promissionibus scopus, ut moralia a civilibus discernerentur.

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

Num promissum servare, sit ex sua natura ac intrinsece honestum adeoque per se ac suapte natura debitum? seu, quod eodem redit, num obligatio naturalis ex promissis oriatur?

§. 1.

PRo negativa afferri possunt sequentia argumenta: PRO NEGATIVA SENTENTIA

I. In quocunque actu est vitium morale, ille naturaliter non obligat. ARG. I.

Atqui in promissionibus generaliter acceptis est vitium morale E.

Promiſſiones generaliter acceptæ naturaliter non obligant.

Minor probatur, quia non minor eſt culpa ejus, qui temere nulla de cauſa pollicenti credit, quam ejus, qui vanitatem adhibuit promiſſionis.

ARG. II. II. Quicunque actus agenti ex ſua natura eſt damnoſus ac periculoſus, ille naturaliter non obligat.

Atqui promiſſio generaliter ſumta eſt ex ſua natura promiſſori damnoſa ac periculoſa E.

Promiſſio naturaliter non obligat.

Minor probatur, quia fortunis omnium magnum imminet periculum, ſi promiſſo, quod ſæpe ex oſtentatione magis quam ex voluntate proficiſcitur, aut ex voluntate quidem ſed levi ac parum conſiderata, tenerentur homines.

PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA ARG. I.

§. 2. Affirmativa probatur ſequentibus argumentis:

I. Si promiſſum generaliter ac ſimpliciter ſpectatum non obligat, ſequitur, inter reges & populos diverſos, quamdiu nihil ex iis præſtitum eſt, vim eſſe nullam, præſertim iis in locis, ubi nulla certa forma fœderum & ſponſionum reperta eſt.

Conſequens eſt abſurdum E. & antecedens.

Con-

Consequentia patet, quia si ea pacta, quæ non habent συνάλλαγμα, nullam inducerent obligationem, nulla dari posset ratio, cur reges aut populi tenerentur servare id, quod promiserunt, quamdiu nihil ex pactis præstitum esset.

II. Si ex nudo pacto citra omne συνάλλαγμα & citra omnem legem positivam obligatur populus, sequitur, quod etiam ex nuda promissione obligetur unusquisque ideo promittens & hoc omni modo agens, ut se obliget. ARG. II.

Prius est verum E. & Posterius.

Consequentia probatur, quia utrobique par est ratio: Cur enim quod potest promissum populi in populo, non etiam posset promissio privati in privato. Namque ut se habet promissum populi ad populum, ita se habet promissum privati ad privatum, præcipue ubi lex civilis impedimentum non affert.

Minor probatur, quia civitates democratiæ habent suas leges, quæ si *Aristotelis*, *Isocratis*, *Demosthenis*, *Dionysii Halicarnassensis*, auctoritatibus stare velimus, sunt quasi pacta communia populi.

III. Suum jus alteri relinquere est per se honestum ac suapte natura debitum, & quisque ad id naturaliter obligatur. ARG. III.

Atqui

Atqui servare promissum est alteri nempe promissario suum jus relinquere E.

Servare promissum est per se honestum, ac suapte natura debitum adeoque quisque (promissor) ad servandum promissum naturaliter obligatur.

Major propositio a nemine, qui sani judicii est, quique terminis utitur in Philosophia Morali, ut usus, qui optimus dicendi magister est, admittit, in dubium unquam vocabitur.

Minor probatur, quia voluntate sufficienter significata transferri rei dominium potest, adeo ut is rei dominus, qui libera voluntate sua dominium transtulerat, deinceps vero dominium in alterum translatum ei relinquere nolit, eo ipso injuriam alteri, in quem translatum dominium fuerat, faciat eique jus suum eripiat. Loquimur de eo, qui habuerat jus transferendi dominium suum, cum supra *cap. 6.* ostensum sit, inesse hoc in ipsa dominii, pleni scilicet & plene quæsiti, natura, ut homines istud, aut totum aut ex parte a se abdicare & in alium transferre possint, & hoc sane juris naturalis esse diximus. Jam qui potest majus, potest etiam minus, quod nempe sub illo, quod majus dicebatur, comprehenditur. Quicunque igitur voluntate sufficienter significata transferre rei dominium potest, ita ut alteri jus suum eriperet, cui invito dominium,

minium, quod in ipſum tranſtulerat, iterum ſubtrahere vellet, quidni idem voluntate ſufficienter ſignificata poſſit transferre, & jus in perſonam, aut ad transferendum dominium, (quod certe jus ipſo dominio minus eſt) aut ad aliquod agendum, quippe cum in actiones noſtras par jus habeamus atque in res noſtras? Declarabimus rem exemplo: Exempli gratia tuum eſt jus fundi, quando ſufficienter tibi ſignificavi voluntatem meam, qua volui, ut mea donatione fundus tuus eſſet: in tuo arbitrio ſitum eſt, num velis retinere fundum tibi a me donatum, in tuo, inquam, poſtquam fundum titulo doni acceptaſti, quia donationem acceptaveras, non in meo arbitrio: Injuriam ſane tibi facerem donatario, ſi contra tuam voluntatem mihi dominium fundi poſt factam & acceptatam donationem vindicarem. Detur ergo ratio, (nulla vero excogitari, nulla certe fingi poterit, cur non tui arbitrii actio ſit donatio fundi, ſi promiſi tibi fundi mei donationem. Uti voluntas mea ut donatoris transfert in te ut donatarium jus fundi per donationem, ſic voluntas mea ut promiſſoris, qui ſcilicet tibi donationem fundi promitto, in te ut promiſſarium transfert jus donandi fundum, ut tui arbitrii ſit, an velis dominus fundi fieri per donationem, non mei arbitrii; tui arbitrii, an velis ut dominium fun-

di

di in te transferatur, non mei arbitrii. Tu potes ut donatarius juste conqueri de injuria illata, nisi arbitrio tuo fundũ dono datũ relinquam: pariter ut promissarius justo titulo injuriam tibi illatam detestaris, si nolis me promissorem liberare, nec tamen ego effectui dem, quod perfecte promisi. Quemadmodum donator habet jus se obligandi ex donatione adversus donatarium, ut per se ac ex sua natura honestum maneat, relinquere donatario rem donatam, & ex sua natura turpe, eam invito & immerenti eripere velle: ita promissor habet jus se obligandi ex donationis promissione, ut per se ac ex sua natura honestum maneat promissum, & ex sua natura turpe cadere promisso.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

RESP. AD ARG. I.

Ad I. negando propositionem minorem, quod in omnibus promissionibus, quamdiu non habent συνάλλαγμα & si in generali sua notione spectentur, sit vitium morale. Quod probationem attinet, quando dicebatur non minorem esse culpam ejus, qui temere nulla de causa pollicenti credit, quam ejus, qui vanitatem adhibuit promissionis: Ad hoc respondetur frustra quæri, cujus major aut minor sit culpa, num promissoris an promissarii, ubi sæpe nullius ulla culpa est, uti quidem culpa vitiositatem moralem aut malitiam arguit. Et quod

præ

præcipuum eſt, aliud eſt promiſſionem non habere cauſam expreſſam, aliud eſt promiſſionem eſſe levem ac vanam, cum levitas & vanitas promiſſionis, ut quidem ea vox in hac materia morali intelligitur, moralem turpitudinem includat, jam vero uti quis pro libera ſua voluntate alteri rem ſuam, quam in pleno jure proprietatis habebat, donare poteſt, licet donatio non habeat expreſſam cauſam ſolaque voluntas ſtet pro ratione: ita nihil cauſæ datur, quo minus quis ſine morali turpitudine alicui poſſit aliquid e. gr. donationem rei ſuæ promittere, ut tamen nullam cauſam exprimat, cur promittat, ſive cauſam habeat, quæ ipſum interim moveat, ſive merum arbitrium omnis cauſæ moventis defectum expleat, manet interim liber ab omni temeritatis, vanitatis ac levitatis crimine. Obiter hoc addimus, quod ne quidem major propoſitio univerſaliter vera ſit: Non enim perpetuum eſt, quemvis actum, in quo eſt moralis turpitudo, carere vi obligandi, hoc eſt naturaliter obligare non poſſe. Inſtantiæ loco eſto prodiga donatio, in quantum dicit exceſſum liberalitatis qualemcunque poſita alias honeſtate reſpectu objecti & finis, in qua ſane moralis turpitudo eſt, nec tamen caret effectu juris naturalis, cum omnino prodigus ille donator teneatur rem ex prodigalitate donatam alteri relinque-

linquere, nec donatarius obligetur ad doni restitutionem.

Resp ad. Arg. II. Ad II. respondetur negando propositionem majorem. Nam pari ratione actus liberalitatis omnesque ex liberrimo arbitrio factæ donationes essent naturaliter irritæ, quod absurdum. Circa minorem etiam notari poterat, quod vix damnosus aut periculosus actus, & ne vix quidem dici posset, quo quis sciens & volens ac ex prudenti consilio vel jus suum a se abdicat, vel jus alienandi aut servandi jus suum in alium transfert. Quando in probatione minoris dicebatur, quod fortunis omnium magnum immineat periculum, si promisso, quod sæpe ex ostentatione magis, quam ex voluntate proficiscitur, aut ex voluntate quidem, sed levi ac parum considerata, tenerentur homines: ad hoc idem responderi potest, quod ad antecedens argumentum respondebatur: nempe falsum est, quod promissa, quæ causam non habent nisi liberrimum arbitrium promissoris, qui vult, promittit, stat pro ratione voluntas, id propter ex ostentatione magis, quam ex voluntate, aut ex voluntate quidem sed levi ac parum considerata facta dici debeant: quasi vero omnis liberalitas sit ostentatio, & quasi voluntas liberalis sit levis ac parum considerata voluntas.

§. 4.

§. 4. Occasio quæstionis ex toto capite, maxime vero ex §. 1. 2. 3. & 4. petenda fuit. Et inprimis notandum probe, quod in tota hac quæstione nobis nullus sermo fuerit de primo gradu promissionis, ubi quis sic promiserat, ut simul sibi reservasset jus mutandi voluntatem suam. Nam quod quis promittere potuerit cum reservato sibi jure mutandi voluntatem, patet inde, quia ut animus humanus non tantum naturalem potentiam significandi voluntatem, sed & jus habet: Ita habet etiam non tantum naturalem potentiam mutandi voluntatem, quam significaverat, sed & jus, quamdiu huic juri non renunciaverit. Ad primi ergo gradus promissionem, ut vitio careat, non requiritur, ut servetur, sed sufficit veritas cogitationis pro tempore præsenti, ut quis tum temporis, cum promitteret, habuerit hanc voluntatem, quam significaverat; non autem opus erat, ut in ea cogitatione perseveraretur. Nec est, quod dicatur, hoc stante, promissionem qua talem, non obligare, cum a quatenus ad de omni consequentia non valeat, & si promissio qua talis obligaret, omnis promissio obligaret, quod tamen de promissione primi gradus jam negabatur: Nam quando dicitur ab accuratioribus doctoribus moralibus, quod promissum qua tale obliget, particula *qua* non sumitur reduplicative, sed speci-

OCCASIO QUÆSTIONIS.

ficative, ita ut intelligatur promiſſum abſo-
lute & primario ſic dictum, quale eſt pro-
miſſum tertii gradus idque ſolum, de quo
intelligenda erat propoſita quæſtio juxta
illud analyticorum axioma: *Commune πρὸς ἓν absolute poſitum ſtat in ſignificatu famoſiori*, niſi ſubſtrata, ut loqvuntur, materia a-
liud quid exigat. Et licet de promiſſione
ſecundi gradus etiam intelligi potuiſſet,
quæſtio, ſicut eam ſuo modo de ſecundi
gradus promiſſionibus intellectam volu-
mus, tamen ut in præſenti quæſtione, an
promiſſum naturaliter obliget? ſubjectum
erat commune πρὸς ἓν, ita idem de prædi-
cato dicendum eſt: nam primario & pro-
priiſſime illud naturaliter obligare dicitur
alterum adverſus alterum, quod alteri jus
proprium dat, ita ut ab obligato id, ad
quod obligatur, ſive obligato placeat, ſive
diſpliceat, poſſit exigere: talis autem obli-
gatio ex promiſſo ſecundi gradus qua tali
non oritur, quia promiſſio ſecundi gradus
obligat quidem promiſſorem (aut abſolute
aut ſub conditione) ſed jus proprium pro-
miſſario non dat, hoc eſt, obligatio eſt in
promiſſore, ſed nullum jus in promiſſario.
Non enim neceſſum eſt, ut qui voluntatem
ſuam pro futuro tempore determinavit,
cum ſigno ſufficiente ad indicandam per-
ſeverandi neceſſitatem, ſimul etiam jus pro-
prium alteri dederit, quo is ipſe, qui jus
mutan

mutandi voluntatem suam renunciaverat, ab altero ad impellendam fidem cogi salvo naturæ jure possit: & hoc multis aliis in casibus evenit, e. gr. in debito misericordiæ; nam qui eleemosynam non dat egenti, data plena occasione hanc misericordiam exercendi, is quidem agit contra id, ad quod obligabatur, non tamen egenus salvo naturæ jure poterat marsupium immisericordis piceatis manibus involare, ac eum, qui ad misericordiam obligabatur, invitum adigere, ut daret. Idem de debito gratiæ reponendæ judicium esto. Cæterum secundario & adhuc proprie, non tamen propriissime, illud naturaliter dicitur alterum alteri obligare, quod quidem ita se habet, ut alteri jus proprium non det, nec tamen ab obligato salvo jure naturæ aliter fieri queat, quam ut erat in obligatione: & sic si sumatur obligatio, de promissis secundi gradus verum est, quod naturaliter obligent. Itaque relinquitur, de promissione tertii gradus quæstionem accipiendam fuisse. Et hoc sensu acceptam *Grotius* confirmavit egregio sapientum consensu. Nam qua ratione dicitur a JCtis, *nihil tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi, §. per traditionem 40. Inst. de rerum divisione & acquirendo ipsarum dominio:* Eodem modo dicitur: *Quid tam congruum*

est fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare? l. hujus edicti 1. D. de pactis. Sic edictum de pecunia constituta, ubi nulla in constituente debendi causa præcesserat præter consensum, favere dicitur naturali æquitati, dum *Ulpianus* sic disserit: *Hoc edicto prætor favet naturali æquitati, qui constituta ex consensu facta custodit: quoniam grave est fidem fallere, l. hoc edicto 1. D. de pecunia constituta.* Idem §. *1. Grotius* celebriorum Philosophorum auctoritate comprobat. Maxima vero auctoritas ex asserto supremi numinis (de se in sacro codice testantis, quod non possit non servare, quod promiserat, *Ebr. VI. 17. 18.*) Grotianæ sententiæ de obligatione, quæ ex natura promissi oritur, accedit. Add. alia sacrarum Pandectarum testimonia a *Grotio §. 4.* commendata. Unicum denuo notandum est, sæpius notatum, ut quis, qui de veritate hujus quæstionis & quam solida ratio sit a *Grotio* allata tertio loco, recte & ut Philosophum Moralem decet, judicare vult, id seposita lege civili faciat: Nam lex civilis ad præscindendas litium occasiones auxilium suum in multis casibus non præstat, ubi interim seposita lege civili, naturali obligationi locus erat. Imo efficere potest lex civilis, ut materia promissionis mutetur, sicque id non amplius promitti potuerit, quod absque lege civili si fuisset, promissum

ſum obligaſſet. Ita poſitivis legibus moribusque introductum eſt, ut qui dicit: promitto tibi, promiſſionem tertii gradus feciſſe merito cenſeatur, cum ſi in mere moralibus terminis maneatur, alteri promiſſio fieri potuiſſet ſine tertio gradu adeoque ſine plena obligatione. Rideres forſan eum, qui diceretur tuus promiſſor factus, ut tamen ſibi reſervaſſet jus mutandi animum ſuum, quandocunque voluerit, & ita ſane eſt, ex recepto uſu loquendi non meretur talis actus nomen promiſſionis, quem ſepoſita lege civili *Grotius* primi gradus promiſſionem dixerat. Nec mirabimur, ſi multis diſpliceat uſus Analyticæ doctrinæ de communibus περὶ ἔν, quem in præſenti promiſſionum materia apprime commendavimus, eoque facilius deſinimus mirari, quo certius nobis conſtat multos reperiri, qui genuina ex Analyticis & Metaphyſicis petenda adminicula faſtidiunt ac rodunt, & quis accuratius docuerit, judicandi jus ſibi ſolis arrogant, utut, quid accurata doctrina ſit, quod non niſi ex Analyticis diſcitur, ignorent, ſuoque arbitrio tanquam prætoris edicto definiant.

Quæſtio II.

An promiſſio metu facta naturaliter obliget?

§. I.

PRO SENTENTIA NEGATIVA ARG.

§. 1. Pro negante ſententia videtur ſequens facere argumentum:

Quicquid non eſt ſignificatio liberæ voluntatis de re futura alterius gratia, illud non eſt vera promiſſio, adeoque ut promiſſio naturaliter obligare nequit.

Atqui promiſſio metu facta non eſt ſignificatio liberæ voluntatis de re futura alterius gratia E.

Major patet, quia in præſenti de eo quæſtio eſt, an promiſſio metu facta ſit vera promiſſio & ex ejus natura obligatio oriri queat. Minor probatur, quia promiſſio metu facta ſimpliciter invita eſt dicenda: Nam is qui metu promittit aliquid, iſtud promittit, quod abſolute & ſimpliciter loquendo nunquam ſponte ſua ſuſcipere vellet. Accedit, quod ipſe *Ariſtoteles III. Eth. c. 1.* pactiones talismodi ſimpliciter invitas eſſe dicendas plus ſimplici vice affirmat: Jam vero ad veram promiſſionem libera voluntas requirebatur promiſſoris.

PRO SENTENTIA AFFIRMATIVA ARG.

§. 2. Affirmativa ſequenti probatur argumento:

In quacunque promiſſione eſt conſenſus, non conditionalis, ſed abſolutus, ſimulque omnia alia veræ promiſſionis requiſita adſunt, illa promiſſorem vere obligat.

Atqui in promiſſione metu facta eſt conſenſus,

sensus, non conditionalis, sed absolutus, simulque omnia alia veræ promissionis requisita adsunt E.

Major propositio est manifesta ex iis, quæ de promissionis requisitis per integrum caput dicta sunt.

Minor probari facile potest, quia promissio metu facta est e numero illarum actionum, quas Aristoteles & alii mixtas vocant: Hujusmodi autem actiones, quamvis partim spontaneæ esse videantur, cum eligantur eo tempore, quo fiunt, principium earum sit in ipso agente singulas actionum circumstantias cognoscente, & iisdem quis nunc laudem nunc vituperium mereri possit: partim invitæ, cum tale quid agere per se, hoc est, absque illis circumstantiis, nemo eligeret: tamen si a potiori denominatio fieri debeat, omnino magis voluntariæ, quam involuntariæ dicendæ erunt, imo absolute & simpliciter loquendo sunt voluntariæ. Sumamus exemplum: Qui naufragii metu res suas jactat, vellet quidem res servare sub conditione, si naufragium non immineret, at absolute vult res perdere, spectata scilicet temporis ac loci circumstantia: Pariter qui majoris mali e. gr. mortis metu pecuniam promittit, vellet rem servare, sub conditione si periculum non immineret, at absolute & simpliciter hic & nunc vult pecuniam perdere.

RESPONDETUR AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

§. 3. Ad argumentum pro contraria sententia allatum respondetur negando propositionem minorem ejusque probationem. Ut enim §. 2. ostensum est, in promissione metu facta consensus adfuit non conditionalis, sed absolutus, & ut recte traditum est ab *Aristotele*, eum qui naufragii metu res suas jactat, absolute vult res perdere spectata scilicet temporis ac loci circumstantia: Ita de promissionibus metu factis idem merito judicabatur. Unde frustra urgebatur *Aristotelis* auctoritas, utpote qui, quando *citato capite* de actionibus mixtis disputat, utrum sint voluntariæ, an invitæ, pro priori decidit unice nixus hoc fundamento, quoniam ex eo tempore, quo quæque fiunt aut geruntur, judicari debeat, an sint voluntariæ actiones, nec ne? cum de nulla actione in universum definire possimus, sed tunc cum agitur unumquodque, qua de causa & quomodo actum sit, judicemus. Quando interim dicebatur, *Aristotelem* actiones mixtas simpliciter invitas dicendas esse censuisse, hoc admittimus quidem, sed nihil plane veræ sententiæ præjudicat, cum omnino promissio metu facta simpliciter invita certo ac sano sensu, alio itidemque sat commodo sensu voluntaria dici queat. Simpliciter invita dici potest promissio metu facta, imo quælibet actio mixta, si hoc ita explices, ut hac phrasi nihil aliud signi-

ſignificare velis, quam quod talis actio abſolute conſiderata & in genere ſine circumſtantiis a nemine unquam ſponte ſua ſuſciperetur, cum ſaltem eligatur, quando eligitur, ratione circumſtantiarum: cur, quando & ubi, hoc eſt, ratione cauſæ finalis, loci & temporis, manet tamen ejusmodi actio alio ſenſu ſimpliciter voluntaria, quia *unumquodque ſimpliciter eſſe dicitur, ſecundum quod eſt in actu: Secundum autem quod eſt in ſola apprehenſione, non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Hoc autem quod per metum agitur, ſecundum hoc eſt in actu, ſecundum quod fit. Cum enim actus in ſingularibus ſint, ſingulare autem in quantum hujusmodi eſt hic & nunc, ſecundum hoc id, quod fit, eſt in actu, ſecundum quod hic eſt, & nunc, & ſub aliis conditionibus individualibus. Sic autem hoc, quod fit per metum, eſt voluntarium, in quantum ſcilicet eſt hic & nunc, prout nempe in hoc caſu eſt impedimentum majoris mali, quod timebatur: ſicut projectio mercium in mare fit voluntaria tempore tempeſtatis propter timorem periculi, unde manifeſtum eſt, quod ſimpliciter voluntaria ſit, unde & competit ei ratio voluntarii, quia principium ejus eſt* voluntas *intra*, hoc eſt in ipſo agente. *Sed quod accipiatur id, quod per metum fit, ut extra hunc caſum exiſtens, prout repugnat voluntati, hoc non eſt niſi ſecundum rationem tantum, & ideo eſt involuntarium*

secundum quid, id est, prout consideratur extra hunc casum existens. Hæc *Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 6. §. respondeo dicendum*, postquam in eodem paragrapho paulo ante dixerat, *dicendum, quod sicut Philosophus dicit in III. Ethic. hujusmodi, quæ per metum aguntur, mista sunt ex voluntario & involuntario. Id enim, quod per metum agitur, in se consideratum non est voluntarium: sed fit voluntarium in casu, seu ad vitandum malum, quod timetur.* Vera igitur contradictio non est inter *Aristotelem* & *Thomam*, quamvis ille actiones mixtas simpliciter invitas, hic eas simpliciter voluntarias appellet, cum diverso denominationis respectu adhibito omnis contradictio facile exspiret. Et omnino *Thomas* (quem *Moralistæ* fere omnes seqvuntur, ac allato sensu voluntarium simpliciter invitumque secundum quid in actione mixta agnoscunt) non nisi modo loquendi dissentit ab *Aristotele*.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occasionem quæstionis suggerit *Grotius* §. 7. eademque sententia, quam & *Peripatetici* & *Moralistæ* probant, apud *JCtos* etiam recepta est. Ad hæc enim fundamenta respexisse *Paulus* JCtus dicitur, *si metu*, inquiens, *coactus adii hæreditatem, puto me hæredem effici, quia quamvis si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui, sed per prætorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur, l. si mulier 21. §. si metu 5.*

tu 5. D. quod metus causa gestum erit. Et Celsus: *si patre cogente filius familias ducit uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium, quod inter invitos non contrahitur. Maluisse hoc videtur, l. si patre 22. D. de ritu nuptiarum.* De cætero quisque videt propositam quæstionem unice ad hoc & nequaquam aliud fundamentum recurrere, utrum actiones mixtæ dicendæ sint salva veritate absolute voluntariæ, cujus quæstionis decisionem passim videre est apud *Scriptores Morales*, ex quibus *Hornejum Philosophiæ Moralis L. III. c. 4. §. 11.* hanc rem enucleatius tradentem commendasse sufficiat. Pluribus eandem materiam tractandi occasio dabitur sequentis *cap. 13. quæst. I.*

CAPUT XII.

De CONTRACTIBUS EORUNDEMVE MORALITATE, PRÆCIPUIS CONTRACTUUM CAUSIS AC DISTINCTIONIBUS, UT ET OBLIGATIONE, QUÆ EX CONTRACTUUM NATURA ORIGINEM TRAHIT.

§. 1.

§. 1.

Contractus est *actus humanus, qui ad alius hominis utilitatem tendit & aut plane non est beneficus, aut beneficus quidem non tamen mere talis, sed cum mutua quadam obligatione.*

[*Grotius §. 1. & 2.*]

NOTÆ.

I. Ob nimiam notionis hujus communitatem accurata definitio contractus in communi frustra fortassis desiderabitur aut expectabitur, cum alias de communibus πρὸς ἓν accuratioris Philosophiæ cultoribus satis constare possit ac debeat, ea non posse definiri, id quod plus simplici vice evidentioris doctrinæ gratia in aliis materiis monuimus, & hic monere consultum credimus.

II. Quid *Grotius* vocet contractum, seposita omni lege civili ac inprimis Romana, ut & alia lege voluntaria quacunque, ex his ipsius verbis cognosci ac dijudicari debet, dum sic philosophatur: *Actuum humanorum, qui ad aliorum hominum utilitatem tendunt, alii sunt simplices, alii compositi. Simplices, alii benefici, alii permutatorii. Benefici, aut meri, aut cum mutua quadam obligatione. Benefici meri, aut in præsens absolvuntur, aut in futurum prominent. In præsens absolvitur factum utile, de quo nihil lo-*

qui

qui necesse est, quando utilitatem quidem parit, sed nullum juris effectum: Exempli gratia, quando quis solius amicitiæ intuitu in commodum alterius negotia gessit: *Item donatio, qua dominium transfertur. In futurum prominent promissiones tum dandi, tum faciendi. Benefici actus cum obligatione mutua sunt, qui aut de re disponunt sine alienatione, aut de facto ita, ut aliquis effectus supersit: His autem actibus similes sunt actuum promissiones, nisi quod, ut diximus, hæ in futurum prominent, quod & de actibus jam explicandis intellectum volumus. Actus permutatorii aut dirimunt partes, aut communionem adferunt.* Hæc *Grotius*; ex quibus verbis datur perspicere, quod *Grotius* omnes actus humanos, qui ad aliorum utilitatem tendunt, hoc est, aliis utiles sunt, nomine contractuum nuncupet, exceptis actibus mere beneficis. Unde ad *Grotii* mentem, hæc erit definitionis formula, qua contractus in communi indigitari debeat: *Contractus est actus humanus, qui ad alius hominis vel aliorum hominum utilitatem tendit, & tamen aut plane non est beneficus, aut beneficus quidem, non tamen mere talis, sed cum mutua quadam obligatione.* Ubi tamen *Grotius* hoc, quod contractus sit actus ad alius aut aliorum hominum utilitatem tendens, non exclusive, sed absolute intellectum vult, ut etiam actus ad alius aut aliorum hominum,

minum, sed & propriam simul utilitatem tendens, contractus titulo censeatur.

III. Videas quoque sic definitum contractum in communi: *Contractus est negotium, quo libera promissione circa rem vel operam, aut circa rem & operam simul, uni jus exigendi acquiritur, alteri necessitas præstandi imponitur, aut utrique & jus acquiritur exigendi, & necessitas imponitur præstandi:* Ita in contractu emtionis, venditionis emtori acquiritur jus exigendi mercem simulque necessitas imponitur alienandi pretium ejusque dominium transferendi in venditorem ipsique relinquendi, & e contrario venditori jus acquiritur exigendi pretium & una necessitas imponitur alienandi mercem ejusque dominium transferendi in emtorem eique ipsi relinquendi. Ubi sunt, qui contractum latius patere existimant, cum etiam contractus dentur, in quibus alter alteri nihil promittat, sed uterque statim præstet id, de quo est conventum: aliis interim id urgentibus, promissione, si non expressa, tamen tacita, si non physice, tamen moraliter priore, istud negotium, quod contractus nomine venit, peragi.

IV. JCti celeberrimi sic definiunt contractum in genere: *Contractus est conventio constans propria vi civilem obligationem & actionem producendi, l. juris gentium 7. §. quæ pariunt 1. D. de pactis,* item hoc modo:

Con-

Contractus est conventio cum causa, l. 7. §. 4. eod. lib. ſeu *conventio habens in ſe negotium aliquod, l. ſolent 15. D. de præſcriptis verbis:* Per *vim* vero, *cauſam* ſive *negotium* intelligunt id, *quod operatur obligationem in foro Romano efficacem.* Nempe uti *ICtis* ſolenne eſt diſtinguere inter *jus in re* & *jus ad rem* hocque dicitur *facultas jure competens, qua ad rem præſtandam, h. e. dandum aliquid vel faciendum, aut aliquando patiendum, perſonam ex facto ſuo obligatam habemus, l. obligationem 3. & l. actionum 25. D. de obligationibus & actionibus,* ita *factum obligatorium,* (*quo* nempe *quis alteri obligatur, & ex quo ei, qui alium obligatum habet, jus ad rem competit*) *triplex* cenſent: (1) *pollicitationem & votum, l. ſi quis 2.* & *l. pactum 3.* ut & *tot. tit. D. de pollicitationibus.* (2). *Conventionem, l. hujus edicti 1. §. conventionis 3. D. de pactis:* (3.) *Delictum, l. obligationes 1. D. de obligationibus & actionibus.* Hinc iterum *conventionem* dividunt ſecundum *LL. Romanas* in *pactum in ſpecie ita dictum* & *contractum, l. juris gentium 7. §. 1. & . 2. D. de pactis, pactum in ſpecie* definientes *duorum pluriumve in idem placitum conventionem deſtitutam & nomine & cauſa,* cit. *l. 7. §. 1. & . 2. D.* de pactis, *contractum* vero eo, qui ſtatim ab initio indicabatur, modo. Conſulatur Dn. *Struvii,* JCti eminentiſſimi, *Jurisprudentia Romano-Germanico-forenſis lib. 3. tit. 1. 2. & 3.* Ex quibus

quibus evidenter liquet, distinctionis inter pactum in specie sic dictum & contractum, quam *Ius Romanum* introduxit, rationem peti ab effectu juris civilis, prout nempe *destituuntur aut constant propria vi civilem obligationem & actionem producendi.* Quæ ideo paucissimis annotasse liceat, ut constet potissimam de contractibus doctrinam, ut a *ICtis Romanis* tradita est, nullatenus philosophicæ considerationis esse, cum Philosophi Moralis limites prorsus excedat ejusmodi consideratio, ubi dispicitur, an, quomodo & quousque conventio operetur obligationem in foro Romano efficacem, nec ne? At quia effectus conventionum non modo est obligatio civilis, sed & naturalis, ceu ipse *Imperator* testatur §. *in omnibus 1. Instit. de fidejussoribus*, Add. *l. si fidejussor 59. D. de condictione indebiti*, ubi inter *naturale vinculum & civile* a *Papiniano* distinguitur. Et huc inprimis facit *Ulpiani* assertum, dum *l. hujus edicti 1. D. de pactis*, *æquitatis naturalis esse* asserit conventionibus stare, *cum nihil sit tam congruũ fidei humanæ quam ea, quæ inter eos placuerunt*, servare. Conf. *l. cum amplius 84. is natura debet 1. D. de regulis juris*, *l. si noxali 11. sed si 2. D. de peculio*, ibi enim *naturale debitum*, item naturæ *æquum* nominatur, *l. Lex Falcidia 1.* §. *id quod 17 D. ad Legem Falcidiam*: *Huic obligationi naturali*, verba sunt summi *Struvii* ante commendato

libro

libro, tit. 1. §. 6. si accedat juris civilis approbatio seu confirmatio, est obligatio civilis: Ista naturalis actionem per se non producit in foro civili, habet tamen alios effectus. Nec certe infrequens apud *JCtos Romanos* est distinctio inter eam conventionem, cujus obligatio solo vinculo æquitatis sustinetur, & cui civile vinculum superinducitur. Conf. *Dion. Gothofredi JCti commentationes ad l. cum amplius 84. D. de regg. juris & ad l. si noxali 11. §. sed si 2. D. de peculio.* Idcirco merito relinquitur, doctrinam de contractibus neutiquam ab omni Philosophia Morali alienam esse.

V. Plane aliter philosophatur *Thomas Hobbes elementis philosophicis de cive c. 2. §. 9. p. m. 26.* cujus verba lubet adscribere: *Duorum vel plurium jura sua mutuo transferentium actio vocatur CONTRACTUS. In omni autem contractu vel uterque statim præstat id, de quo contractum est, ita ut alter alteri nihil concredat; vel alter præstat, alteri creditur; vel neuter præstat. Ubi uterque statim præstat, ibi CONTRACTUS, simul ac præstitum est, finitur. Ubi vero vel alteri vel utrique creditur, ibi is, cui creditur, promittit se præstiturum postea, appellaturque hujusmodi promissum PACTUM.* Hæc *Hobbes*, qui, ut ex allatis ipsius verbis liquet, distinguit contractum late dictum in *contractum stricte talem*, quo uterque statim præ-

ſtat id, de quo contractum eſt, ita ut alter alteri nihil concredat, & *pactum*, quo vel alter ſolummodo aliquid præſtat, alteri creditur, vel neuter præſtat, utrique creditur ſe poſtea præſtiturum promittenti. Enimvero hanc definitionis formulam diſtinguendique rationem communis *JCtorum* uſus omnino repudiat, nec dubium eſt, quin Juris civilis Cultores turbaturus ſit, qui *Hobbeſii* veſtigia legere vellet, ſicque modo novo ac non recepto diſtinguere.

VI. Dn. *Pufendorfius de Jure Naturæ & Gentium* poſtquam *L. V. c. 2. §. 3.* ſic diſſeruerat: *Cum productio actionis in foro civili ſit pactis extrinſeca, noſtrum autem ſit, quam ex ſua natura eadem vim habent, explicare, igitur eam diviſionem* (quam ſcilicet Interpretes Juris Romani tradunt) *ita preſſe ſequi nobis hic non licet* &c. Mox ſequenti *§. 4. p. 615.* ſic mentem ſuam declarat: *Nobis diſcrimen pactorum & contractuum ab objecto potiſſimum petere placet: ſic ut contractus vocentur, qui verſantur circa res & actiones in commercium venientes, adeoque dominia & pretia rerum præſupponunt, quæ circa alia ineuntur conventiones, communi pactorum nomine cenſeantur. Hoc modo pacta preſſe dicta erunt omnes conventiones negativæ, quibus aliquid non facturos nos, aut non petituros paciſcimur, quod facere vel petere poteramus. Item illæ conventiones, quæ*

pro

pro objecto habent motus facultatum naturalium, quatenus isti nude tendunt ad mutuam utilitatem, aut commodum, & prout singuli per se considerantur, non autem cum aliis comparantur, aut ad eosdem æstimantur. Verbo, quando convenitur de præstanda opera non mercenaria. Etsi non paucæ dentur conventiones, circa res non versantes, quibus promiscue fere pactorum & contractuum nomen tribuitur, uti est illa, qua matrimonium initur. Hæc ille.

§. 2. Causa finalis contractuum est *aliorum hominum utilitas.* *Causa finalis contractuum.*

[*Grotius* §. 1.]

NOTÆ.

I. Consulitur aliorum hominum utilitati præstatione vel rei, vel operæ, vel rei & operæ simul. Et huc suo modo spectant, quæ *Grotius capite præcedenti undecimo* §. 4. *n.* 1. de promissione dixerat, dum nempe distinxerat inter promissum dandi & promissum faciendi: illud dicebatur ipsi *via ad alienationem rei,* hoc *alienatio particulæ cujusdam nostræ libertatis.*

II. Non pauci ad præstationem operæ etiam reducunt omissionem operæ, hoc est, ad factum pertinere jubent non factum: Ita e. gr. contractum do ne facias, ut: do tibi eqvum, ne ad Judicem eas, referunt ad

hanc speciem contractus, do ut facias. Add. *l. stipulationum 2. in princ. & §. item 5. D. de verborum obligationibus.*

III. Si jam respiciamus finalem causam, invenimus fundamentum Grotianæ distinctionis inter *contractus beneficos & onerosos.* Beneficos dicit *Grotius*, quoniam in eis una tantum pars sentit onus, altera vero sine onere mutuo accipit beneficium: Onerosos vero sic vocavit, quoniam in eis pars utraque oneratur ad præstandum aliquid mutuo per ipsam illius contractus formam. Hinc iterum contractus beneficos nonnulli Doctores diviserunt in duo genera: prius agit de re continetque duos: *commodatum* & *mutuum gratuitum.* Posterius de facto, complectiturque duos alios, nempe *mandatum* & *depositum.* Contractus onerosos itidem distingvunt in duo genera: Unum contractuum generaliorum, alterum specialiorum. *Generaliores contractus* faciunt quatuor: *do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias.* Specialiores sunt: *collybus, emtio venditio, locatio conductio, mutuum usurarium, societas.*

Causa impulsiva contractuum. §. 3. Causa impulsiva contractuum est indigentia.

NOTÆ.

I. Deus ineffabili sapientia opes suas ita sparsit, ut, *quod alteri superest, alteri desit, l. ori-*

l. origo emendi 1. in princ. D. de contrahenda emtione, ne singuli se putantes sibi ipsis sufficere, hoc ipso redderentur insociabiles, verba sunt *Grotii* nostri *Mari Libero c. 1.* Contractus *qui tollunt, illam laudatissimam tollunt humani generis societatem, tollunt mutuas benefaciendi occasiones, naturam denique ipsam violant. Grotius ibid.*

II. Si jam causam impulsivam attendamus, non miramur amplius, cur *JCtis* alius *contractus* δίπλευρος, alius *contractus* μονόπλευρος dicatur: Indigentia quippe nunc mutua est, nunc non mutua: si ergo uterque contrahentium indiget, sicque contrahentes mutuis consiliis sibi succurrunt, *contractus* δίπλευρος, si alteruter contrahentium saltem indiget, & alterius ope juvatur, *contractus* μονόπλευρος enascitur.

§. 4. Causa efficiens contractuum sunt personæ illæ, quæ contrahunt. *Causa efficiens contractuum.*

NOTÆ.

I. Ratio causandi ex parte efficientis (ut *Scholæ* loqvuntur) est mutua voluntas & physice libera, & moraliter libera, hoc est sui juris: ipsa vero causalitas est liberrimus consensus mutuus. Et quia non raro causa pro ratione causandi, frequenter etiam pro causalitate accipi consuevit, inde facile datur assequi, qua ratione nunc li-

bera contrahentium voluntas suique juris, nunc liberrimus ad dandum operandumve consensus, qui libertate physica & morali voluntatis ac sufficienti negotia gerendi scientia absolvitur, dici causa contractuum possit.

II. Et huc faciunt, quæ de causa efficiente promissionum supra monuimus.

III. Quia consensus ex parte causæ efficientis est vel verus, (isque vel expressus vel tacitus) vel fictus, desinimus mirari, cur JCti distinxerint inter *contractus* & *quasi contractus*, aut, ut *Moralistæ* nonnunquam efferunt, inter *proprios* & *improprios contractus*.

Materia contractuum.

§. 5. Materia contractuum est vel res, vel opera, vel res & opera simul.

NOTÆ.

I. Ea namque indigentia, qua omnes, quotquot vitali vescimur aura, laboramus, & cui ab aliis hominibus consuli potest ac succurri, rerum tantum est & operarum, id quod liquere credimus inductione.

II. Quot ergo modi sunt commutandi res & operas, tot erunt modi contractuum.

III. Inde fortassis dijudicari fundamenta variarum divisionum contractuum possunt. Liceat Dn. *Johannis Eichelii, JCti famigeratissimi*, sententiam huc transcribere: *Inde quod contractus omnes circa res & operas*

nas occupantur, plurimæ eorum species promanant: Etenim res vel transfertur integra, vel saltim quoad dominium directum, vel quoad utile; vel jus utili dominio minus in re conceditur, ita ut vel ex tota re, vel saltim ex ejus parte commoda capere vel tantum securitatem in re ipsa habere liceat, aut denique nuda alteri committatur custodia. Sive jam res tota, sive dominium ejus quodcunque, sive commodum gratis alteri in perpetuum concedatur, oritur DONATIO, *quam tamen Romani in contractuum censum non retulerunt. Si non gratis hæc alteri in perpetuum concedantur, aut res in compensationem datur, aut opera præstatur. Res illa vel est pretium nummarium, unde* EMTIO VENDITIO, *aut aliud quiddam; unde* PERMUTATIO. *Opera si invicem quæcunque exhibeatur, contractus innominatus emergit,* DO, UT FACIAS. *Et hi quatuor modi* συναλλαγμάτων, *ut apparet, alienationi omnium dominiorum & utilitatum sunt accommodi. Nunc ad specialiores descendamus. Res illa in alterum translata si fungibilis sit & in specie restituenda, producetur* MUTUUM. *Dominium utile aut conceditur sub obligatione ad fidem & servitia, unde* FEUDUM. *Aut sub præstatione canonis in agnitionem dominii, unde* EMPHYTEVSIS. *Jus quoddam utili dominio minus, ad omnes tamen rei proventus sese extendens, gratis præbet* USUS FRUCTUS; *ad-*

huc minus, USUS. *Si jus adhuc debilius concedatur, id fiet vel ad tempus certum, unde* COMMODATUM, *vel ad incertum, unde* PRECARIUM. *Si pro usu rei merces solvatur in nummis, oritur* LOCATIO CONDUCTIO. *Ex parte rei commoda exhibent* SERVITUTES *sive rusticorum, sive urbanorum prædiorum, dum vel paries, vel stillicidium, vel iter, vel alia quædam fundi vicini particula in nostram nobis ancillatur utilitatem. Securitatem in re* PIGNUS; *nudam vero tantum custodiam* DEPOSITUM *concedit, in quo tanquam minimo gradu, modi transferendarum rerum exspirant. Opera vel gratuito præstatur, vel non. Gratuito aut ignoranti, aut scienti. Si prius, oritur* NEGOTIORUM GESTIO, *si posterius, oritur* MANDATUM. *Non gratuito, vel hac fini, ut opera invicem exhibeatur, unde contractus innominatus,* FACIO UT FACIAS, *vel ut pecunia pro labore solvatur, unde* LOCATIO CONDUCTIO, *vel res quæcunque detur, unde contractus innominatus,* FACIO UT DES. *Circa rem & operam ab utraque parte simul unica tantum versari potest conventio, quam* SOCIETATEM *& merito ita vocamus, cum in nullo alio contractu tam arcta contrahentium sit ratio, quam in hoc societatis. Quod si pro usu rei usus, vel pro usu res, vel pro re usus concedatur, & aliis adhuc modis hæc transponantur, emergent negotia omnibus se-*

culis

culis ignotissima. Hæc *Dissertatione de origine, natura & divisione* contractuum sub Magnifici Viri moderamine habita, *th. 16. & 17.* videantur.

IV. Nec dubium est, quin pro infinita rerum & operarum varietate longe plures excogitari possint contractus, quam vulgo eorum numero accensentur: Ita *Romani JCti, quosdam contractus etiam nostro tempore receptissimos, ut CAMBIUM & ASSECURATIONEM,* (cujus tamen similitudo videtur esse in fœnore nautico,) plane ignorarunt.

V. Prout præstatio rei vel operæ, aut rei & operæ simul, nunc speciali nomine exprimi magisque usu recipi potuit, nunc minus, inde *contractuum nominatorum* & innominatorum distinctioni fundamentum quæsitum est.

VI. Amplius *quando ex contractu nominato certissimum habente objectum lis ad judicem deducebatur, non potuit ille non secundum communem contractus naturam & quotidiano usu ex ipso nomine notissimam, hoc est, secundum æqvum & bonum pronuntiare: In nominatis vero circa varia objecta occupatis, & innominatis, tanquam vagis incertisque, verbis partium stricte inhærere, & reum in id solum condemnare debuit, cujus in contrahendo facta mentio. Ut adeo discrimen inter contractus nominatos & innominatos*

differentiam contractuum BONÆ FIDEI & STRICTI JURIS videatur peperisse. Laud. *Diss. §. ult.*

Forma contractuum.

§. 6. Forma contractuum, hoc est, modus contrahendi, est *æqualitas* sufficienter significata.

[*Grotius §. 8.*]

NOTÆ.

I. *In contractibus natura æqualitatem imperat, & ita quidem, ut ex inæqualitate jus oritur minus habenti.*

II. Studio diximus, quod modus contrahendi requirat actum externum, id est, signum sat idoneum ac sufficiens voluntatis, æque ac circa promissiones, item dominii translationes monuimus suis locis. Et hinc forsan colligere possumus, quod *Romani JCti* ex liberrimo arbitrio ac mero beneplacito quatuor verorum contractuum species numeraverint, CONSENSUALES nempe, REALES, LITERALES & VERBALES. Nam si merum jus naturæ respiciamus, ex omnis contractus natura nascitur obligatio, quibuscunque tandem signis, modo sat idoneis, voluntas contrahentium indicata fuerit: Quale signum interdum esse possunt nutus, frequentius autem vox aut literæ, possunt etiam alia signa ad hunc finem tendere, *Romani* tamen *JCti* singulare quiddam hic sectari voluisse videntur, dum

dum aliquos tantum contractus solo consensu absolvi pronunciarunt, in aliis vero ad obligationem producendam præter consensum *rei*, in aliis *scripturæ*, *verborum solennium* interventus requisivere. *Cur enim ex consensu de re mutuo danda, custodienda, commodandave, non æque obligeris, quam ex consensu de vendendo aut locando? Ubique sane rationes meæ fidei tuæ superstruuntur, & mutuum, commodatum, majori indigentiæ medentur, quam emtio reliquique contractus consensuales, atque adeo si naturalem æquitatem velimus sequi, quamprimum licebat, hoc est, dato utrinque consensu, pro completis perfectisque erant habendi. Neque ulla ratio politica nunc succurrit, quæ discriminis illius rationem videatur suasisse. De verbalibus tamen contractibus merito suspiceris natos eos in statu populari. Ut enim populus Romanus judicum in sententiis pronunciandis libertatem imminueret, & quoties placeret, in totum sui faceret arbitrii, invenit stipulationem, qua omnes contractus tanquam vestimento ad omnes habili induit, & stricti juris effecit.* Ante allegatæ *Dissertationis §. 12. & 13.*

§. 7. *Hæc æqualitas*, quam nempe in contractibus jus naturæ præcipit, *partim consistit in actibus, partim in eo, de quo agitur.* *Æqualitas in contractibus servanda quid?*

[*Grotius* §. 8.]

§. 8.

Æqualitas in actibus quid?

§. 8. Æqualitas in actibus consistens duplex est: alia *in actibus præcedaneis*, *alia in principalibus*.

[*Grotius* §. 8.]

Æqualitas in præcedaneis actibus quænam?

§. 9. *Æqualitas in præcedaneis actibus* hæc est, *quod is, qui cum aliquo contrahit, vitia sibi nota* simulque *rei, de qua agitur*, intrinseca *significare debet*, quodque is, qui cum aliquo contrahit, cavere tenetur, *ne quis incutiatur metus contrahendi causa, aut si incussus est, ut dematur*.

[*Grotius* §. 9. & 10.]

NOTÆ.

I. Quia ad contractum usu cum rationis, tum, voluntatis, opus est, hoc est, contractus debet fieri a sciente & volente, ideo requirebatur 1. ut is, qui cum aliquo contrahit, vitia sibi nota rei, de qua agitur, significet: nam hæc æqualitas ad prærequisitum rerum intellectum contrahentibus inter se debetur. 2. ne quis metus incutiatur contrahendi causa, aut si incussus est ut dematur, quia ea æqualitas in voluntatis usu necessaria est.

II. Utrumque *non civilibus tantum legibus constitui solet, sed naturæ quoque actu congruit. Et prius quidem, quia inter contrahentes propior quadam est societas, quam*

qu

quæ communis est hominum, cum contractus natura utilitatis causa reperta propius quiddam exigat. §.9.n.1. Ubi egregiis testimoniis idem confirmatur.

III. Vitia sunt duplicis generis: vel intrinseca rei, vel extrinseca: illa sunt, *quæ rem subjectam per se contingunt; ut: si domus sit pestilens, si a magistratu dejici jussa.* Hæc dicuntur, *quæ rem non contingunt: ut, si quis sciat multas naves in cursu esse, quæ frumenta advehunt.*

IV. Quando igitur jure naturæ eum, qui cum aliquo contrahit, vitia sibi nota rei, de qua agitur, significare teneri diximus, hoc cum limitatione dictum voluimus, nempe de vitiis rei intrinsecis id accipiendum esse monebamus. Nam quod vitia extrinseca attinet, talia *indicare est quidem officiosum, ac laudabile, sæpe adeo ut omitti nequeat, nisi ut charitatis regula violetur; non tamen* celare *injustum, id est, non pugnans cum jure ejus, qui cum negotium est. §.9.n.2.*

V. Distinguitur quoque inter *vitia ei, qui cum contrahas, nota* & vitia ei incognita. Nam prioris generis vitia *dici nihil attinet: scientia enim utrinque par pares facit contrahentes. §.9.n.3.*

§.10. *Æqualitas in ipso actu principali hæc desideratur, ne plus exigatur, quam par est.* *Æqualitas in actu principali quænam?*

[*Grotius §.11.n.1.*]

NO-

NOTÆ.

I. *In permutatoriis omnibus sollicite id observandum est.* Nec est, quod dicat quispiam, *id quod pars altera amplius promittit, donatum censeri.* Responderi namque facile potest, cum *non soleat in præsenti negotio esse talis contractus ineuntium animus, nec præsumendus sit, nisi appareat. Quod enim promittunt aut dant, credendi sunt promittere aut dare tanquam æquale ei, quod accepturi sunt, utque ejus æqualitatis ratione debitum.*

II. *In contractibus beneficis locum vix potest habere. Nam si quis pro commodato, aut opera in mandato aut deposito exhibenda, aliquid mercedulæ stipuletur, non injuriam faciet, sed contractum miscebit, id est, ex gratuito efficiet semipermutatorium.*

III. Utut usus loquendi non facile permittat, ut eum, qui sciens & volens contra ejus, qui cum contrahit, voluntatem hanc inæqualitatem violat, furem dicamus, reipsa tamen huic facto quoddam inest furtum, ut merito dicatur furti species, sed talis, quæ plurimos latet. Add. testimonia a *Grotio n. 2.* allata.

IV. Interim *notandum est, quandam rei æqualitatem spectari & in contractibus beneficis, non quidem omnimodam, ut in commutatoriis, sed ex suppositione ejus, quod agitur, ne*

qui

quis scilicet ex beneficio damnum sentiat: Nam invito nequit obtrudi beneficium: *ob hanc rationem* exempli gratia *mandatarius indemnis præstari debet a sumptibus factis, & damno, in quod ex causa rei mandatæ incidit.* Vid. §. 13.

§. 11. *Æqualitas in eo, de quo agitur, in hoc consistit, ut etiamsi nec celatum quicquam sit, quod dictum oportuit, nec plus exactum quam deberi putabatur, in re tamen deprehendatur inæqualitas, (quanquam sine culpa partium, puta quod vitium latebat, aut de pretio errabatur,) ea quoque sit resarcienda, & demendum ei, qui plus habet, reddendumque minus habenti.* *Æqualitas in eo, de quo agitur, quid?*

[*Grotius* §. 12. n. 1.]

NOTA.

Agitur ergo de eo, quod lex naturæ imperat: *lex Romana hoc constituit non in quavis inæqualitate, minima enim non persequitur, imo & occurrendum censet multitudini litium, sed in satis gravi, ut quæ dimidium pretii excedit.*

§. 12. Formalis effectus contractus est obligatio naturalis, hoc est, quæ ex ipsa contractus natura oritur. *Formalis effectus contractus.*

NO-

NOTÆ.

I. Hic modus loquendi cum apud *Moralistas*, tum *JCtos* receptus est. Vocatur etiam formale consequens.

II. Quisquis solide probare novit obligationem, quæ ex promissis oritur, ei longe facilius erit ostendere, quam συνάλλαγμα inducat obligationem. Add. totus *§. 2. c. 12.* Unde hancce materiam hic seorsim expendere nec opus nec otium est.

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

An jus naturæ in conrractibus imperet æqualitatem?

§. 1.

PRO NEGATIVA SENTENTIA ARG.

PRo negativa facere videtur sequens ratio:

Si naturaliter licet contrahentibus se mutuo circumvenire, sequitur, quod natura non imperet æqualitatem.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia est manifesta.

Prius non modo communis hominum consensus probat, sed & expressa *lege civili* confirmatur. Ita enim *Pomponius JCtus l. in causa cognitione 16. §, idem 4. D. de minoribus*

ribus 25. annis: In pretio emtionis & venditionis naturaliter licet contrahentibus se circumvenire. Idem fere est, quod ajunt *Imperatores Diocletianus & Maximianus l. si voluntate 8. C. de rescindenda venditione: Hæc est emtionis atque venditionis substantia, quod emtor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi, votum gerentes ad hunc contractum accedant, vixque post multas contentiones, paulatim venditore de eo, quod petierat, detrahente, emtore autem huic, quod obtulerat addente, ad certum consentiant pretium.*

§. 2. Affirmativam probat sequens argumentum: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA ARG.

Violare contractũ est contra jus naturæ.
Violare in contractu æqualitatem libera voluntate, aut præter voluntatem violatam resarcire nolle est violare contractum.
E. & per consequens æqualitatem in contractibus jus naturæ imperat.

Minor probatur, quia in contractu id utrinque propositum aut fuit, aut esse debuit, ut uterque tantundem haberent.

§. 3. Ad argumentum pro contraria sententia allatum respondetur negando prius. Quod probationem attinet, & primo quidem communem hominum consensum, is certe id exprimit, quod impune licet. Deinde *Pomponio JCto* licere non notat fas RESPONDETUR AD ARGUM. CONTRARIUM.

Ppp esse,

esse, sed ita permitti, ut nullum contra proditum sit remedium in eum, qui se pacto velit defendere. Pariter Imperatoribus placuit substantiæ nomine morem perpetuum significare.

Occasio Quæstionis.

§. 4. Occasio quæstionis habetur §. 12. & 26.

Quæstio II.

An lex civilis possit sancire, ut inæqualitas rerum, in quam consensum est, ubi nec mendacium intercessit, nec ejus quod dictum oportuit reticentia, in actibus exterioribus pro æqualitate habeatur?

Pro negativa Sententia Arg.

§. 1. Negativa videtur svaderi sequenti argumento:

Quicquid jure naturæ præcipitur, ejus contrarium nequit sanciri jure civili.

Atqui æqualitas rerum in contractibus jure naturæ præcipitur E.

Ejus contrarium, nempe inæqualitas rerum, nequit sanciri lege civili.

Major patet, quia jus naturæ est immutabile, & quod contra jus naturæ est, illud non facere legislatorem posse censendum est.

Minor liquet ex præcedenti quæstione.

§. 2.

§. 2. Affirmativam probat sequens argumentum: *Pro affirmativa sententia Arg.*

Quæcunque lex non sancit inæqualitatem in contractibus, sed saltem ob certas causas ei, qui super inæqualitate conqueritur, auxilium suum denegat, illa lex potest quoque sancire, ut inæqualitas rerum, in quam consensum est, ubi nec mendacium intercessit, nec ejus quod dictum oportuit, reticentia, in actibus exterioribus pro æqualitate habeatur.

Atqui talismodi lex civilis dari potest E.

Major probatur; quia ita accipiendum est hoc, quod dicitur, legem civilem posse sancire, ut inæqualitas rerum pro æqualitate habeatur, ut idem sit, ac legem civilem posse ob certas causas auxilium suum ei, qui de inæqualitate in contractu oborta conqueritur, denegare, ac si inæqualitas nunquam oborta fuisset.

§. 3. Argumentum pro contraria sententia allatum sano sensu totum concedi poterat. Conclusio enim sic se habebat. *Inæqualitas rerum nequit sanciri lege civili.* Hoc si ita accipiatur: Jus civile nequit efficere, ut violatio æqualitatis in contractu a sciente & volente facta contra alterius contrahentis voluntatem non sit per se turpis, sane verissimum est, & a naturalis æquitatis studiosis facile admittitur. Quod si *Respondetur ad argumentum contrarium.*

vero hic sit sensus: lex civilis tantæ auctoritatis non est, ut ea legislator effectui dare potuerit, ne inæqualitas oborta, nec adeo magni momenti, actionem in foro civili pareret, sic oppido falsa evadit conclusio, sed sic quoque falso in majore dicebatur contrarium ejus, quod jure naturæ præcipitur. Nam uti ratio dari potest, ob quam natura æqualitatem in contractibus imperat, inæqualitatem vetat: Ita causa locum invenit, qua legislator motus salvo omni jure constituat, ne quævis inæqualitas actionem in foro civili adversus contrahentem pariat, quia talis legislatoris non est minima persequi; imo ne quidem gentium juris est, omnem inæqualitatem ad animum revocare, evidens quippe erat utilitas ejus juris introducendi ad præcidendas controversias infinitas & ob incerta rerum pretia inter eos, qui communem judicem non habent, inexplicabiles, quæ vitari non poterant, si ob inæqualitatem a pactis discedere licuisset. Interim cum lex Romana, tum & gentium lex, inæqualitatem sat magnam satisque gravem vindicationis materiam asserit. Elegantissime *Cicero* hoc exprimit, dum ait: *Aliter leges*, (voluntariæ) *aliter Philosophi* (juxta leges naturales) *tollunt astutias. Leges tollunt iniqua, quatenus teneri manu possunt, Philosophi quatenus ratione & intelli*-

intelligentia. III. Off. Add. quæ supra disseruimus *L. I. c. 1. §. 8 n. 2. p. 20. & seqq.*

§. 4. Occasio quæstionis extat *§. 12. & 26.* OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæstio III.

An usura sit per se turpis adeoque jure naturali vetita?

§. 1. Pro affirmativa sequentia creduntur facere argumenta: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA.

I. Pro gratuito pretium poscere est per se turpe adeoque jure naturali vetitum. ARG. I.

Atqui usuram poscere est pro gratuito pretium poscere E.

Major probatur, quia hoc est contra æqualitatem ejus, de quo agitur, cujus violatio omnino per se turpis est.

Minor probatur, quia mutuum est gratuitum.

II. Quicquid suapte natura res sterilis est, pro eo non licet pretium poscere. ARG. II.

Atqui pecunia suapte natura res sterilis est E.

III. Pro usu mutuatæ pecuniæ pecuniam exigere est turpe per se. ARG. III.

Atqui usuram poscere est pro usu mutuatæ pecuniæ pecuniam exigere E.

Major probatur, quia jus naturale imperat æqualitatem in contractu: jam vero nulla æqualitas est, quando non modo mutuata

tuata pecunia redditur, sed & pro usu mutuatæ pecuniæ pecunia alia exigitur.

Minor videtur manifesta.

Pro negante sententia. Arg. I.

§. 2. Negans sententia probatur sequentibus argumentis:

I. Si per se turpis est usura atque jure naturali vetita, aut obstat lex naturalis charitatis, aut lex naturalis justitiæ expletricis.

Neutrum dici potest E.

Usura per se non est turpis, nec jure naturali vetita.

Non obstat lex naturalis charitatis: si enim opulentus a me petat mutuum, ex quo consequatur lucrum, ego vero interim patiar damnum, quidni salva charitatis erga proximum morali regula cum ipso de repensando damno, eo quod diu pecunia caream sicque licitum lucrum meum ob damni dationem cesset, contrahere possem, hac quidem ratione, ut alteri hæc compensatio damni non damnosa, sed ipsi compensanti lucrosa sit. Nec obstat lex naturalis justitiæ expletricis: quæ enim esset justitia, per quam mihi non liceret proximi lucrum & commodum promovere, nisi meo intolerabili duroque damno ac onere.

Arg. II.

II. Si usura per se turpis est adeoque jure naturæ vetita, sequitur, omnem mercaturam esse per se turpem jureque naturæ vetitam.

Conse-

Consequens est absurdum E. & antecedens.

Consequentia probatur, quia etiam quivis mercator carius vendit quam emit. Perinde vero est, utrum illud, quod excedit, accipiat immediate ex pecunia, sive mediate aliquo interveniente, modo ultra sortem accipiat mercator.

AD ARGG. AFFIRMANTIS SENTENTIÆ RESPONDETUR

§. 3. Ad argumenta affirmantis sententiæ priusquam respondeatur, notandum bene est, nos respicere id, quod usuræ intrinsecum est, non quod plerumque ei adest, eamque consequitur. Nam hoc facile admittimus, quod omnino turpes sint & jure naturæ vetitæ illiusmodi usuræ, quæ mordentes vocantur, quia ob earum quasi morsus omnis ex re eveniens spes lucri præciditur, imo & interdum miseri homines ultra communem commerciorum quæstum onerantur, ut hac ratione pejoris conditionis sint quam mercenarii servi, qui mercedem pro præstita opera exigendi jus habent, cum hi mutuatarii mutuatori servire teneantur, simulque ultra operarum adhibitam industriam rei familiaris jacturam facere necessum habeant. Nunc respondetur ad singula, & quidem

AD I.

Ad I. negando propositionem minorem. Quod in probatione dicebatur mutuum esse gratuitũ, ad hoc respondetur negando, quod

mutuum ut ſic ſit gratuitum. Diſtinguitur namque mutuum rectiſſime in gratuitum & uſurarium. Et ſane hoc eſt in mutui uſurarii natura, ne ſit gratuitum. Hoc enim titulo & hac conditione mutuator pecuniam dat mutuam, ut mutuatarius, cui hoc certe mutuum lucroſum eſt, ſimul & pecuniam reſtituat & lucrum ob mutui dationem ceſſans penſet, damnumque, quod facit mutuator eo, quod diu pecunia careat, repenſet.

AD II. Ad II. reſpondetur negando propoſitionem majorem. Poſſet hic diſtingui, modo uſus loquendi ferret, inter ſterilitatem phyſicam & moralem. Omnino multas res e. g. domos ſua natura ſteriles & per ſe infœcundas induſtria hominum fructuoſas fecit. Pariter mercatores ſatis norunt, qua ratione pecuniæ per ſe ſteriles ab ipſis fertiles reddi queant, dum eas in uſum ſuum longe uberrimum conferre norunt exactiſſime. Et hinc venit, quod ſterilem pupillorum pecuniam lex civilis eſſe non patitur. Ita *l. quid ergo 3. §. uſuras 4. D. de contraria tutelæ & utili actione*, hæc habentur *Ulpiani* verba: *Uſuras utrum tamdiu conſequetur tutor, quamdiu tutor eſt, an etiam poſt finitam tutelam videamus, an ex mora tantum: & magis eſt, ut quoad ei reddatur pecunia, conſequatur: nec enim ei debet ſterilis eſſe pecunia.* Conſ. *l. debitor uſurarius 7. D. de uſuris.*

Ad

Ad III. respondetur negando minorem propositionem. Moraliter si rem æstimemus, mutuator non poscit a mutuatario pecuniam pro usu mutuatæ pecuniæ, sed pro damno inde oborto, quod diu pecunia careat sicque interea lucrum ob mutui dationem cesset. Ad III.

§. 4. Occasionem quæstionis *Grotius* exhibet §. 20. Et licet §. 21. contrariam sententiam videatur defendere, dum sic scribit: *Observandum est, esse quædam, quæ ad usuræ speciem accedant, ac vulgo usuræ esse videantur, cum tamen pacta sint generis alterius: ut de repensando damno, quod facit, qui pecuniam dat mutuam, eo quod diu pecunia careat: item de lucro ob mutui dationem cessante, deducto scilicet incerto spei, & labore, qui subeundus fuerat. Sic etiam pro impensis ejus, qui multis dat mutuam pecuniam & in hoc paratam habet: & pro periculo amittendæ sortis, ubi idonee non cavetur, si quid exigitur, usura vere non est. Demosthenes oratione in Pantænetum, eum, qui quod ex mercatura aut honesta opera quæsivit, sub modico lucello elocat, partim ut suum servet, partim ut gratum faciat alteri, negat fæneratorum odio prægravandum. Procopius Goth. III. in laudibus Germani, qui Justiniano propinqvus,* scribit: *Pecunias omnibus opus habentibus magnas dabat utendas, usuram autem, quæ quidem talis dici mereretur, nun-* Occasio Quæstionis.

quam ab ipsis sumebat. Ex quibus *Grotii* verbis colligeres, quod ex ipsius sententia mutuatori liceat petere *interesse* a mutuatorio, usuram minime. Sed quid in rei veritate aliud est petere a mutuatorio *interesse*, quam petere usuram. Id quod non obscure innuit ipse *Grotius annotat. ad hunc §.* dum clarius mentem suam explicaturus sic scribit: *Quia plerique etiam usurarum abusi sunt nomine, cœpit & hoc in sequiorem sumi partem: in bonum autem sensum substitui vox ejus, quod interest.* Alias agnoscit ipse, si cum *Juris Romani consultis* loqui velimus, *fœnus* odiosum nomen esse, *usuram* non item. Vid. *l. cum quidam 17. D. de usuris. Cujacius in paratitlo de nautico fœnore: Fœnus est, quod præter sortem accedit lucri causa: usura quod accedit, ne in damno versetur creditor.*

CAPUT XIII.

De JUREJURANDO, EJUS MORALITATE, DISTINCTIONIBUS, CAUSIS, EFFECTIBUS.

§. I.

Jusjurandum quid?

JUsjurandum est *affirmatio religiosa quæ fit Deo teste & vindice.*

[*Grotius cap. 13. §. 1. n. 3. & §. 10.*]

NO.

NOTÆ.

I. Ita enim noster §. *1. n. 3.* ait: *Bene Cicero: Est jusjurandum affirmatio religiosa: quod autem affirmate quasi DEO teste* promiseris, *id tenendum est.* In quibus verbis *Ciceronis* latere definitionem jurisjurandi, eumque in finem simul a *Grotio* adductam credimus.

II. Nec est, quod dicatur, etiam negationem religiosam jurisjurandi nomine nuncupari posse: nam lis est de voce. Certe qui negat, id, quod negat, non esse affirmat.

§. 2. Jusjurandum distinguitur in *assertorium* & *promissorium*. Illud est affirmatio religiosa præteriti, DEO teste & vindice facta. Hoc est affirmatio religiosa futuri, DEO teste & vindice facta. *Jurisjurandi distinctio.*

[*Grotius* §. *21. n. 1.*]

NOTÆ.

I. Juramentum est ex numero communium πρός ἕν, quæ una accurata definitione comprehendi nequeunt.

II. Quando sub amissione gratiæ divinæ aliquem certum reddimus de præterito, (quidni etiam de præsenti?) sic juramentum assertorium datur: at quando sub promissione gratiæ divinæ aliquem certum reddimus de futuro, promissorio locus est.

III.

III. Absit, ut pro accuratis definitionibus hasce formulas venditemus: nam extendi poterat juramentum de futuro adeo, ut esset latius patens quam juramentum promissorium. Pariter omne juramentum promissorium dici poterat assertorium: est enim assertorium futuri.

IV. Juramentum assertorium stricte dictum vulgo iterum in purgatorium & testificatorium distingui solet.

V. *Grotius* noster non de juramento in genere, sed de juramento promissorio agere voluit, hoc est, considerat juramentum, ut est religiosa affirmatio promissi, quæ fit DEO teste & vindice.

VI. Melioris perspicuitatis gratia lubet præcipuas jurisjurandi promissorii causas & ex partibus earum requisita notabiliora expendere, eo majori quidem brevitate, quo facilius ea omnia, quæ de causis & requisitis promissionum §. 13. expendimus, huc licet trahere.

Causa efficiens jurisjurandi.

§. 3. Causa efficiens jurisjurandi (intellige promissorii) est is, qui jurato promittit. Ut autem quis jurato promittere possit, *requiritur animus rationis compos & deliberatus.*

[*Grotius* §. 2.]

NO-

NOTÆ.

I. Idem, quod de promissis *cap. 11.* dicebatur, hic habet locum. Qui jurat, sciens & volens jurat.

II. Inde petimus fundamentum distinctionis inter juramentum *perfectum & imperfectum.* Nam etiam incautum juramentum, id est, prolatum sine debita consideratione verumne sit, quod juratur? quodammodo in foro conscientiæ perjurii nomine censeri posse credimus. Aliter se res habet, si quis non putans se jurare, verba protulerit jurantia, quæ quod essent jurantia, nesciverat, nec scire debuerat: e. gr. si quis in lingua aliena, quam ipse non calleret, verba jurantia proferret, nesciret tamen salva conscientia ea esse jurantia.

III. Huc spectat quæstio: *An juramentum ex ebrietate promissum obliget?* Etiam hujusmodi juramenta, si merum jus naturæ respiciamus, videntur referri posse ad juramenta imperfecta, adeo ut quo magis minusve causa voluntaria ebrietatis quis extitit, eo magis minusve juramentum ex ebrietate præstitum ad perfecti juramenti naturam accedat.

IV. Ad præsens inprimis spectat quæstio: *An quis possit velle jurare, ut tamen salvo jure naturæ simul velit, ne obligetur?* Negativam solide defendit *Grotius* §. *2. in fin. quod si quis,*

si quis, inquiens, *volens jurare obligare se noluerit, non eo minus obligatur, quia obligatio a juramento est inseparabilis, & effectus ejus necessarius.* Videtur sic argumentari voluisse: Si nemo eodem actu voluntatis serio potest velle vere contradictoria, sequitur, quod nemo volens jurare simul velle possit, ne sit obligatus. Prius est verum, E. & posterius. Consequentia probatur, quia velle jurare & nolle se obligare sunt vere & aperte contradictoria. Nam velle, jurare nec velle se obligare est velle rem, nolle rei formalem effectum: est enim obligatio formalis effectus: posita autem re ipsa, ponitur formalis effectus rei.

V. Alia quæstio est: *An si quis deliberato protulerit verba jurantia, animo tamen non jurandi, is obligetur? Grotius* feliciter ita decidisse videtur: *Hunc non obligari sunt, qui tradunt, peccare tamen temere jurando. Sed verius est, teneri eum vera facere dicta, quorum Deum adhibuit testem. Nam is actus, qui per se est obligatorius, ex animo deliberato processit. Cui consequens est, ut quanquam plerumque verum est illud Tullii: Quod ex animi tui sententia juraveris, id non facere, perjurium est; Id tamen hanc exceptionem, habeat, nisi qui jurat, sciat, aut probabiliter credat, ab eo qui cum negotium est, verba aliter accipi: nam dictis ipsis testem adhibens Deum, debet dicta facere vera, quomodo putat*

tat intelligi. Hæc *noſter* §.3. Add. exempla & teſtimonia, quibus idem *ibidem* & *annotat.* ad *d. l.* judicioſe confirmat. Quam *Grotii* mentem ſi recte aſſequimur, huc redit: In juramentis maxima debet eſſe ſimplicitas ſine omni dolo & fuco. Sed forſan accuratius hac de quæſtione infra ſequentis *libri tertii capite primo*, ubi ex profeſſo de dolo & mendaciis, ut & inprimis, quantum ad præſens, *de reſervationibus mentalibus, an & quousque licitæ ſint?* diſpicere dabitur.

VI. Gravis quidem quæſtio eſt de *jurejurando, quod dolo elicitum eſt? Grotius* reſpondet cum diſtinctione: *Si certum eſt, eum, qui juravit, aliquod factum ſuppoſuiſſe, quod revera ſe ita non habeat, ac niſi id credidiſſet non fuiſſe juraturum, non obligabit juramentum. At ſi dubium ſit, annon etiam ſine eo idem fuiſſet juraturus, ſtandum erit verbis, quia ſimplicitas quam maxima juramento convenit.* Sed hæc omnia faciliora perceptu evadunt, modo reducantur revocenturque in memoriam ea, quæ ſupra de promiſſionibus metu extortis, & quidem *capite undecimo*, dicta ſunt. Paucis: Hoc ſtante, quod prioris generis juramenta ſint actiones mere invitæ per errorem, nequeunt eſſe juramenta, cum eſſentiale & perpetuum ſit juramento, ut fiat a ſciente & volente.

VII. Quid de juramento metu extorto ſentiendum ſit, peculiari quæſtione mox dicetur.

Cauſa materialis jurisjurandi.

§. 4. Materia jurisjurandi eſt res & phyſice & moraliter poſſibilis. Phyſice poſſibilis eſſe debet: *Satis enim manifeſtum eſt ad omnino impoſſibile neminem obligari.* Moraliter poſſibilis, hoc eſt, *res licita. Nam promiſſio de re illicita eſt fides ad peccatum admittendum exhibita, hæc autem fides non eſt fides*, quia jus naturæ omnem iniquitatem prohibet.

[*Grotius* §. 6.]

NOTÆ.

I. Cur nullas vires habeat jurata promiſſio de re illicita, *Grotius* verbis *Philonis Judæi* egregie demonſtrat. Digna ſunt verba, quæ hic notentur, ſuntque ſequentia: *Sciat, quisquis ob juramentum injuſti aliquid molitur agere, non ſe jurisjurandi obſervantem fore, ſed potius everſorem jurisjurandi, quod magna cura ac religione dignum eſt, & quo honeſta ac recta ſanciri ſolent. Addit enim culpam culpæ, juramento non recte facto, & quo abſtinere ſatius fuerat actum illegitimum. Quare ab injuſta actione abſtinens DEUM veneretur, ut quæ ipſi eſt maxime propria, miſericordiam ei impertiat. Nam dupla elige-*

eligere mala, cum parte altera exonerari possis, insanabilis est furor, & amentis inopia. Conf. egregia testimonia & exempla *§. 6. & annot. ad eundem* a *Grotio* allata.

II. *Res illicitæ* sunt varii generis. Nam 1. res illicitæ aut sunt ex sua natura, h. e. *naturaliter* illicitæ, ut: furtum, adulterium, homicidium &c. aut sunt illicitæ *lege* voluntaria seu positiva. Ut valeat juramentum, oportet sit de re neutro modo illicita. 2. Res illicitæ aliæ sunt illicitæ *per se*, id est, directe, lege scilicet naturali aut voluntaria: aliæ illicitæ *per accidens*, quia impediunt majus bonum morale. Hoc posterius distinctionis membrum ut *Grotius* declararet, non pigebat eum adscribere *Philonis* locum, id, quod explicatione indiget, omnino illustrantem: *Sunt quidam adeo duro atque insociabili ingenio, sive odio humani generis, sive dura domina iracundia subacti, ut morum feritatem jurejurando obfirment, ut ne hunc habeant mensæ aut lecti socium.* Huc refert *Grotius* juramentum Honorii de pace nunquam facienda cum Alarico, ceu ex *Zozimo* narrat. Rationem, cur nec res per accidens illicitæ, hoc est, majus bonum morale impedientes, materia juramenti dici debeant, *noster* hanc addit: *quia scilicet profectum nos in bono DEO debemus, ita ut ejus libertatem eripere nobis ipsis non valeamus, §. 6. n. 1.* Mox *n. 2.* addit: *Etiamsi juramen-*

ramentum adversus alios, e. gr. adversus parentes, *conceptum sit, recte dicemus non obligare, quia, ut diximus, profectui adversum est.* Quæ *Grotii* verba Dn. *Zieglerus JCtus* magis perspicua eruditissimaque commentatione illustrat, *adversus ea*, inquiens, *quæ DEO & Reip. debentur, non valet obligatio, ne jurata quidem, eo quod juramentum non debet esse juris divini impeditivum.*

III. Res physice impossibiles aut sunt simpliciter impossibiles, *aut ex suppositione.* Juramentum de re simpliciter impossibili nullum est juramentum; *At juramenti de eo, quod pro tempore aut ex suppositione est impossibile, obligatio est in pendenti, ita ut is, qui ex suppositione juravit operam, quam potest, dare debeat, ut quod juravit possibile reddat.* Et hoc est, quod supra in materia promissionum diximus, idemque *Grotius §. 8. c. 11.* monuerat, ad præsentem vero materiam §. 8. hujus *capitis* accommodat.

Causa formalis jurisjurandi.

§. 8. *Forma jurisjurandi re differt, verbis convenit. Hunc enim sensum habere debet, ut DEUS invocetur, puta hoc modo, DEUS SIT TESTIS, aut DEUS SIT VINDEX.*

[*Grotius §. 10.*]

NOTÆ.

I. *Hæc duo*, DEUS sit testis, aut DEUS sit vindex, *in idem recidunt. Nam cum superior puni-*

puniendi jus habens testis advocatur, simul ab eo perfidiæ ultio poscitur: & qui scit omnia ultor est, ideo quia testis. Omne quippe *jusjurandum in diras desinit, si quis pejeraverit. Quid* enim *est jurare, nisi ejus, quem testaris fidei tuæ præsulem, divinam potentiam confiteri.*

II. *Huc pertinent fœderum formulæ, quibus mos erat victimas adhiberi, ut apparet Gen. XV. 9. & seqq. Ut illa Romana apud Livium:* Tu Jupiter ita illum ferito, ut ego hunc porcum. *Et alibi:* DEOS precatus ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset. *Et apud Polybium ac Festum:* Si sciens fallo, ita me Diespiter, ut ego hunc porcum.

III. Circa formam jurisjurandi sat intricata & difficilis oritur quæstio: *Num juramentum Veterum, qui jurabant per solem, terram, alias res creatas, fuerit validum?* Hic merito distinguendum censet *Grotius:* Aut enim qui jurabant per res creatas, solem, terram aliasque, ejusmodi creaturas, quas jurarunt, habuerunt pro veris Diis, aut jurarunt per eas ut instrumenta, per quæ DEUS vindicare perjurium debebat. Si prius, omnino qui ita jurarunt, obligabantur: *quia quanquam sub falsis notis, generali tamen complexione Numen intuiti sunt*, & hoc causæ est, cur scilicet DEUS verus, si pejeratum sit, *in suam injuriam*

id factū interpretetur, §. 12. Nam qui ita jurāt per falſos DEOS, quos pro veris Diis habent, illi jurant ex conſcientia erronea, nec debuiſſent ita jurare, quia non debuiſſent ita putare, hoc eſt, res creatas pro veris Diis habere. Notum enim eſt ex principiis moralibus, quod conſcientia erronea in tali caſu obliget, ut ſi quis pro vero DEO hanc rem ex errore habeat, nec tamen eam colat, eo ipſo peccet & revera agat contra jus naturæ, cum agat ſciens & volens contra ſuam conſcientiam. Nec eſt, quod dicatur, in tali caſu hominem non poſſe non peccare, cum ſemper peccet, ſive juramentum per falſum Deum præſtitum ſervet, ſive iſtud violet: ſi enim ſervat tale juramentum, colit falſum Deum pro vero DEO, quod eſt contra jus naturæ: ſi violat jusjurandum, hac intentione violat, ut veri DEI abutatur nomine. Nam reſponſio facilis eſt: manet certe peccatum voluntarium ei, utut in tali ſtatu conſtitutus neceſſario peccet: Eſt namque hæc neceſſitas peccandi ex hypotheſi talis, non abſoluta: Quippe ab hac miſera conditione idem ſe liberare poteſt, modo errorem deponat, quem ſane & poterat & debebat deponere. Interim non facimus cum illis, qui negant, conſcientiam erroneam obligare in tali caſu niſi ad deponendum errorem, qui ſane conſcientiam rectam cum erronea plane

con-

confundunt: hæc enim conſcientia, quæ homini tali errore vincibili laboranti dictat, ne in errore perſeveret, ſed ut eundem deponat, ſane non eſt erronea, ſed recta, imo rectiſſima conſcientia. Ita in præſenti caſu recta conſcientia eſt, quæ dictat errorem circa Deum deponere: erronea conſcientia erat, quæ dictaverat juramentum per falſum Deum præſtitum ſervare. Si poſterius, (hoc eſt, ſi per ſolem, terram vel aliam rem creatam juratum eſt, ut ſit inſtrumentum DEI, per quod Deus perſonam jurantis puniat, ſi fallat) ſic dicendum, quod omnino tale juramentum obliget, *nec minus, quam quod expreſſo DEI nomine fit.* Et huc facit illud *Ulpiani l. qui per ſalutem 33. D. de jurejurando: Qui per ſalutem ſuam jurat, per DEUM jurare videtur: reſpectu enim divini Numinis ita jurat.* Ita & *Gratianus cauſa XXII. quæſtione 1.* Vidd. teſtimonia & exempla, quibus *Grotius* inſigniter §. *11.* probatum dedit, *nominatis rebus perſoniſve aliis jurari morem eſſe veterem, ſive quod illas ſibi noxias imprecabantur, ut ſolem, terram, cœlum, principem, ſive quod in illis puniri depoſcebant, ut in capite, in liberis, in patria,* in principe. *Neque profanarum tantum gentium hic mos, ſed & Judæorum.* Alia interim quæſtio eſt: *An tale juramentum ſit naturaliter licitum?* Et ſane licet in tali ſenſu idololatricum dici nequeat, ſi tamen ita

nude proponatur, *juro per solem, per terram*, forsan nequit non esse scandalosum. Quid? quod si ita crude ac nude per creaturas jurare liceret, nescio ex quibus tandem aliis religionibus verba in sensum jurantis trahi non possent.

Effectus juramenti duplex. §. 9. *Effectus juramenti (promissorii)* est duplex: internus & externus. Hic est *præcidere controversias:* Internus est obligatio jurantis. *Obligatio jurantis duplex.* *Obligatur autem jurans ad duo: 1. ut verba animo congruant, quod ἀληθορκεῖν vocat Chrysippus; 2. ut factum congruat verbis, quod idem appellat εὐορκεῖν.*

[*Grotius §. 13.*]

NOTÆ.

I. Dictum est, quod externus effectus juramenti promissorii præcipuus sit *præcidere controversias.* Id quod egregiis testimoniis *Grotius* noster *§. 13. n. 1.* confirmat. Conf. quæ supra diximus *p. 211.*

II. Ut *ἀληθορκεῖν Chrysippo* est verba jurantia animo conformare, εὐορκεῖν facta conformare verbis jurantibus: Ita *qui in illo peccat, ψευδορκεῖν, qui in hoc ἐπιορκεῖν eidem Chrysippo dicitur satis distincte, quanquam confundi interdum hæc solent. §. 13. num. 2.*

II. Hic quæstio ventilatione dignissima occurrit: *Numne homo, cui juratur, habeat*

jus

jus quæsitum ex eo, quod ab altero eidem juratum est? Ad quam quæstionem ut feliciter respondeatur, notandum bene est, quod quia jam sermo agitur de juramento promissorio, in memoriam recolenda sint bene omnia, quæ de gradibus promissionum *supra c. 11.* dicta sunt, absque quibus minus feliciter hujus ipsius quæsiti decisio fieret. Scilicet sicut ibi dictum est, posse aliquem alteri promittere cum signo sufficiente ad indicandam perseverandi necessitatem, ut talismodi promissio facta obliget quidem promissorem, sed jus proprium alteri, cui nempe promittitur, non det: Pari ratione fieri potest, ut juratæ promissionis obligatio sit in eo, qui juravit, & nullum jus in eo, cui juratum est, ut ita ex tali juramento is ipse, qui juravit, ad impellendam fidem cogi jure naturæ ab homine, cui juratum est, non possit. Nam aliud est jurare, quod velis Titio centum aureos dono dare, aliud est jurare, quod velis Titio jus quæsitum esse, ut, nisi stes promisso, a te volente nolente hoc, quod jurato promissum est, possit exigere. Et hic illud omne locum habet, quod *supra c. 11.* de promissionibus secundi & tertii gradus prolixiuscule deductum est. Illud ipsum indigitat *Grotius* noster, dum scribit: *Si quidem materia talis sit, & verba ita concepta, ut non ad Deum tantum, sed & ad hominem referantur, jus haud dubie*

homini ex ipso juramento quæretur, tanquam ex promisso aut contractu, qui simplicissime intelligi debeat. Si vero aut verba hominem non respiciant jus ei conferendo, aut respiciant quidem, sed aliquid sit, quod ei possit opponi, tunc ea vis erit jurisjurandi, ut homo quidem ille jus nullum consequatur, at nihilominus qui juravit DEO obligetur stare jurejurando. Hujus rei exemplum est in eo, qui per metum injustum causam promissioni juratæ dedit. Nam hic jus nullum consequitur, aut tale quod reddere debeat, quia causam damno dedit. Ex quibus verbis liquidum est, duplicem juramenti promissorii obligationem dari posse: plenam, quando juramentum obligat jurantem, & simul homini, cui juratur, dat jus: & minus plenam, quæ jurantem quidem obligat, sed homini, cui juratur, jus non dat. Hinc si quis juramentum promissorium in ordine ad hominem, cui jurato promissum est, spectatum distinguere velit in juramentum perfectum & imperfectum, ut illud homini, cui juratum est, jus proprium det, hoc minime, ei non refragabimur.

III. Interim hæc, quæ de juramento perfecto & imperfecto, ejusque obligatione plena ac minus plena, allata sunt, nequaquam in ordine ad Deum intelligenda veniunt: nam omne verum ac proprie sic dictum juramentum DEO jus dat. *Verba enim*

enim in juramento quoad Deum simplicissime atque adeo cum effectu sunt intelligenda. §. 15. *n.3.* Imo sive personæ, cui jurabatur, jus ex jurato quæsitum sit, sive minime, semper tamen in jurante obligatio est, & jus in Deo. Id quod aperte *Grotius* asserit, dum scribit: *Etsi personæ*, cui nempe jurabatur, *jus deficiat, cum Deo negotium est.* §. 15. *n.2.* Sed de his mox plura trademus in quæstionis primæ decisione.

IV. Non inutilis distinctio est inter obligationem juramenti personalem & realem: Personalis dicitur, quæ in persona jurantis subsistit & cum illa expirat: Realis autem vocatur, quæ quasi hæret in re, licet persona jurantis dudum ad plures abierit, adeo ut succedens in jurantis locum sicque succedens in jus, simul quoque obligatus evadat vi ipsius rei, qua mediante prior, in cujus locum successit, obligabatur. Hanc distinctionem putamus adhiberi sat commode posse, quando quæstio movetur: An hæres ejus, qui juravit, teneatur? Nam ibi dispiciendum est, numne ejus, qui juravit, obligatio ex juramento mere personalis, num realis fuerit. Si prius, hæres ejus, qui juravit, non tenetur; si posterius, tenetur. Et huc trahimus verba *Grotii* nostri, dum §. 17. sic inter alia scribit: *Sicut ad hæredem bona transeunt, id est, quæ in hominum sunt commercio; ita bonorum onera.* Tractat a-

econtrario non temeraria juramenta ſalvo naturæ jure præſtare licet. Quo referimus egregia teſtimonia inſigni ſtudio a *Grotio* §. 21. n. 4. 5. & 6. collecta. De Chriſti nova lege promiſſi ſuperius *p. 85.* a nobis dati memores hic nihil amplius dicemus.

QUÆSTIONES.

Quæſtio I.

Quid in moralibus ſentiendum ſit de jurejurando, quod quidem metu injuſto eliciebatur, ut tamen eo res plane licita ei, qui metum incutiebat, promiſſa ſit, numne obliget?

§. I.

PRO SENTENTIA NEGATIVA ARG. I.

PRo negativa videntur ſequentia facere argumenta:

I. Quocunque juramento promiſſum eſt, homini in quo vitium eſt, ob quod ſalvo jure naturæ acceptare jurato promiſſum is non poſſit, illius obligatio plane expirat.

Atqui juramentum, quod metu injuſto a latrone eliciebatur, ut tamen eo res plane

plane licita ei, qui metum incutiebat, promissa sit, est tale E.

Major probatur, quia locum compensatio invenit.

Minor est manifesta: Nam salvo naturæ jure latro nequit accipere id, quod is, qui in tali casu jurato promisit, eidem dare vult, imo naturaliter obligatur iste promissarius, qui metum intulit, sed injustum, quamvis levem, ad liberandum promissorem ab istiusmodi promissione, quæ ex tali (hoc est, injusto) metu secuta est.

II. Si juramentum per metum injustum ita extortum, ut ipso ei, qui per talem metum veram causam juratæ promissioni dedit, aliquid promissum sit, naturaliter obligaret, aut obligaret naturaliter, quia ille, cui jurata promissio facta est, jus consecutus fuisset ex tali jurejurando, aut obligaret naturaliter, quia Deo jus quæsitum esset. ARG. II.

Neutrum potest dici E.

Talismodi juramentum plane non obligat.

Consequentia patet, quia tertium inter hæc duo dari nequit. Nam juramentum ad eum, qui per metum injustum causam juratæ promissioni dedit, directum, si obligat naturaliter, aut obligabit, quia promissario præstitum est, cumque eo negotium fuit, aut quia cum Deo negotium est.

Neu-

id factũ interpretetur, §. 12. Nam qui ita jurã per falſos DEOS, quos pro veris Diis habent, illi jurant ex conſcientia erronea, nec debuiſſent ita jurare, quia non debuiſſent ita putare, hoc eſt, res creatas pro veris Diis habere. Notum enim eſt ex principiis moralibus, quod conſcientia erronea in tali caſu obliget, ut ſi quis pro vero DEO hanc rem ex errore habeat, nec tamen eam colat, eo ipſo peccet & revera agat contra jus naturæ, cum agat ſciens & volens contra ſuam conſcientiam. Nec eſt, quod dicatur, in tali caſu hominem non poſſe non peccare, cum ſemper peccet, ſive juramentum per falſum Deum præſtitum ſervet, ſive iſtud violet: ſi enim ſervat tale juramentum, colit falſum Deum pro vero DEO, quod eſt contra jus naturæ: ſi violat jusjurandum, hac intentione violat, ut veri DEI abutatur nomine. Nam reſponſio facilis eſt: manet certe peccatum voluntarium ei, utut in tali ſtatu conſtitutus neceſſario peccet: Eſt namque hæc neceſſitas peccandi ex hypotheſi talis, non abſoluta: Quippe ab hac miſera conditione idem ſe liberare poteſt, modo errorem deponat, quem ſane & poterat & debebat deponere. Interim non facimus cum illis, qui negant, conſcientiam erroneam obligare in tali caſu niſi ad deponendum errorem, qui ſane conſcientiam rectam cum erronea plane

con-

confundunt: hæc enim conscientia, quæ homini tali errore vincibili laboranti dictat, ne in errore perseveret, sed ut eundem deponat, sane non est erronea, sed recta, imo rectissima conscientia. Ita in præsenti casu recta conscientia est, quæ dictat errorem circa Deum deponere: erronea conscientia erat, quæ dictaverat juramentum per falsum Deum præstitum servare. Si posterius, (hoc est, si per solem, terram vel aliam rem creatam juratum est, ut sit instrumentum DEI, per quod Deus personam jurantis puniat, si fallat) sic dicendum, quod omnino tale juramentum obliget, *nec minus, quam quod expresso DEI nomine fit.* Et huc facit illud *Ulpiani l. qui per salutem 33. D. de jurejurando: Qui per salutem suam jurat, per DEUM jurare videtur: respectu enim divini Numinis ita jurat.* Ita & *Gratianus causa XXII. quæstione 1.* Vidd. testimonia & exempla, quibus *Grotius* insigniter §. *11.* probatum dedit, *nominatis rebus personisve aliis jurari morem esse veterem, sive quod illas sibi noxias imprecabantur, ut solem, terram, cœlum, principem, sive quod in illis puniri deposcebant, ut in capite, in liberis, in patria, in principe. Neque profanarum tantum gentium hic mos, sed & Judæorum.* Alia interim quæstio est: *An tale juramentum sit naturaliter licitum?* Et sane licet in tali sensu idololatricum dici nequeat, si tamen ita

nude proponatur, *juro per solem, per terram*, forsan nequit non esse scandalosum. Quid? quod si ita crude ac nude per creaturas jurare liceret, nescio ex quibus tandem aliis religionibus verba in sensum jurantis trahi non possent.

Effectus juramenti duplex.

Obligatio jurantis duplex.

§. 9. *Effectus juramenti (promissorii)* est duplex: internus & externus. Hic est *præcidere controversias*: Internus est obligatio jurantis. *Obligatur autem jurans ad duo: 1. ut verba animo congruant, quod ἀληθορκεῖν vocat Chrysippus; 2. ut factum congruat verbis, quod idem appellat εὐορκεῖν.*

[*Grotius* §. 13.]

NOTÆ.

I. Dictum est, quod externus effectus juramenti promissorii præcipuus sit *præcidere controversias*. Id quod egregiis testimoniis *Grotius* noster §. 13. n. 1. confirmat. Conf. quæ supra diximus *p. 211.*

II. Ut ἀληθορκεῖν *Chrysippo* est verba jurantia animo conformare, εὐορκεῖν facta conformare verbis jurantibus: Ita *qui in illo peccat*, ψευδορκεῖν, *qui in hoc* ἐπιορκεῖν *eidem Chrysippo dicitur satis distincte, quanquam confundi interdum hæc solent.* §. 13. *num.* 2.

II. Hic quæstio ventilatione dignissima occurrit: *Numne homo, cui juratur, habeat jus*

jus quæſitum ex eo, quod ab altero eidem juratum eſt? Ad quam quæſtionem ut feliciter reſpondeatur, notandum bene eſt, quod quia jam ſermo agitur de juramento promiſſorio, in memoriam recolenda ſint bene omnia, quæ de gradibus promiſſionum *ſupra c.11.* dicta ſunt, absque quibus minus feliciter hujus ipſius quæſiti deciſio fieret. Scilicet ſicut ibi dictum eſt, poſſe aliquem alteri promittere cum ſigno ſufficiente ad indicandam perſeverandi neceſſitatem, ut talismodi promiſſio facta obliget quidem promiſſorem, ſed jus proprium alteri, cui nempe promittitur, non det: Pari ratione fieri poteſt, ut juratæ promiſſionis obligatio ſit in eo, qui juravit, & nullum jus in eo, cui juratum eſt, ut ita ex tali juramento is ipſe, qui juravit, ad impellendam fidem cogi jure naturæ ab homine, cui juratum eſt, non poſſit. Nam aliud eſt jurare, quod velis Titio centum aureos dono dare, aliud eſt jurare, quod velis Titio jus quæſitum eſſe, ut, niſi ſtes promiſſo, a te volente nolente hoc, quod jurato promiſſum eſt, poſſit exigere. Et hic illud omne locum habet, quod *ſupra c. 11.* de promiſſionibus ſecundi & tertii gradus prolixiuſcule deductum eſt. Illud ipſum indigitat *Grotius* noſter, dum ſcribit: *Si quidem materia talis ſit, & verba ita concepta, ut non ad Deum tantum, ſed & ad hominem referantur, jus haud dubie*

homini ex ipso juramento quæretur, tanquam ex promisso aut contractu, qui simplicissime intelligi debeat. Si vero aut verba hominem non respiciant jus ei conferendo, aut respiciant quidem, sed aliquid sit, quod ei possit opponi, tunc ea vis erit jurisjurandi, ut homo quidem ille jus nullum consequatur, at nihilominus qui juravit DEO obligetur stare jurejurando. Hujus rei exemplum est in eo, qui per metum injustum causam promissioni juratæ dedit. Nam hic jus nullum consequitur, aut tale quod reddere debeat, quia causam damno dedit. Ex quibus verbis liquidum est, duplicem juramenti promissorii obligationem dari posse: plenam, quando juramentum obligat jurantem, & simul homini, cui juratur, dat jus: & minus plenam, quæ jurantem quidem obligat, sed homini, cui juratur, jus non dat. Hinc si quis juramentum promissorium in ordine ad hominem, cui jurato promissum est, spectatum distinguere velit in juramentum perfectum & imperfectum, ut illud homini, cui juratum est, jus proprium det, hoc minime, ei non refragabimur.

III. Interim hæc, quæ de juramento perfecto & imperfecto, ejusque obligatione plena ac minus plena, allata sunt, nequaquam in ordine ad Deum intelligenda veniunt: nam omne verum ac proprie sic dictum juramentum DEO jus dat. *Verba*

enim

enim in juramento quoad Deum simplicissime atque adeo cum effectu sunt intelligenda. §. *15. n.3.* Imo sive personæ, cui jurabatur, jus ex jurato quæsitum sit, sive minime, semper tamen in jurante obligatio est, & jus in Deo. Id quod aperte *Grotius* asserit, dum scribit: *Etsi personæ* cui nempe jurabatur, *jus deficiat, cum Deo negotium est.* §. *15. n.2.* Sed de his mox plura trademus in quæstionis primæ decisione.

IV. Non inutilis distinctio est inter obligationem juramenti personalem & realem: Personalis dicitur, quæ in persona jurantis subsistit & cum illa expirat; Realis autem vocatur, quæ quasi hæret in re, licet persona jurantis dudum ad plures abierit, adeo ut succedens in jurantis locum sicque succedens in jus, simul quoque obligatus evadat vi ipsius rei, qua mediante prior, in cujus locum successit, obligabatur. Hanc distinctionem putamus adhiberi sat commode posse, quando quæstio movetur: An hæres ejus, qui juravit, teneatur? Nam ibi dispiciendum est, numne ejus, qui juravit, obligatio ex juramento mere personalis, num realis fuerit. Si prius, hæres ejus, qui juravit, non tenetur; si posterius, tenetur. Et huc trahimus verba *Grotii* nostri, dum §. *17.* sic inter alia scribit: *Sicut ad hæredem bona transeunt, id est, quæ in hominum sunt commercio; ita bonorum onera.* Tractat a-

lias *Grotius* modo citato §. hancce quæstionem, eamque ex alio fonte potius decidere voluisse videtur. Sic enim ille: *Quoties non personæ jus nascitur ex aliquo defectu, sed Deo obstringitur fides, hæres ejus qui juravit non tenetur. Quia ad hæredem sicut bona transeunt, id est, quæ in hominum sunt commercio, ita bonorum onera: non item alia, quæ quis ex officio, puta pietatis, gratiæ, fidei debuit. Hæc enim ad illud, quod stricte jus dicitur inter homines, non pertinent:* ut *alibi* (scilicet *L. II. c. 11. §. 3.*) *quoque ostendere meminimus.* Quæ verba omnino videntur admodum obscura: Aut enim *Grotius* illud vult, quod hæres ejus, qui juravit, non teneatur, quando tenetur, ex juramento, sed in quantum alias successit in jurantis jura, & sic quoque onera: aut hoc intendit *Noster,* quod juramentum tale, quale est a latrone metu excussum, non obliget hæredem jurantis. Si prius, hæc ipsa *Grotii* sententia cum allatæ distinctionis inter obligationem personalem & realem doctrina forsan conciliari poterit. Si posterius, non apparet, cur non ratio dari possit hæc, quia obligatio jurantis erat mere personalis. Sed hæc aliis dijudicanda merito relinquimus.

IV. Quæstio hic moveri poterat de obligatione conditionali juramenti, *numne sit vera obligatio?* Videtur idem dicendum esse, quod de conditionali propositione vulgo

go dicitur, quasi ea absolute & quoad antecedens nihil ponat. Pariter sub conditione juratum obligat, sed uti sub conditione, non absolute jurabatur, sic quamdiu conditio impleta non est, ipsa juramenti obligatio tamdiu in pendenti efficacia manet. Ex his fundamentis *Grotius* quæstionem: *num si juramentum utilitatem spectet alicujus tertii, atque is eam nolit, jurans teneatur?* dum §. 18. respondet his verbis? *Non tenebitur, qui juravit, sicut nec tenebitur, si cesset qualitas, sub qua alicui juravit: ut si magistratus esse desinat magistratus.* Nam qui in tertii utilitatem juravit, censetur jurasse sub conditione, si tertius eam vellet, cum nolenti beneficium obtrudi nequeat.

V. Et tantum de juramentis præceptorum fundamentalium loco adduxisse sufficiat. Hoc unicum adhuc adjicere lubet, quod multum disputaverit *Grotius sub finem capitis*, de eo, *num liceat jurare?* Ipse jure naturæ hoc licitum censet, non item Christi nova lege. Sic enim ab initio §. 21. expresse scribit: *Notandum est, quod in Christi præceptis de non jurando dicitur, proprie non ad assertorium juramentum, sed ad promissorium futuri incerti pertinere.* Sed judicet quisque cordatus, annon distinctione inter juramentum temerarium & non temerarium res tutius rectiusque conficiatur. Temeraria juramenta jus naturæ prohibet:

econ-

econtrario non temeraria juramenta ſalvo naturæ jure præſtare licet. Quo referimus egregia teſtimonia inſigni ſtudio a *Grotio* *§. 21. n. 4. 5. & 6.* collecta. De Chriſti nova lege promiſſi ſuperius *p. 85.* a nobis dati memores hic nihil amplius dicemus.

QUÆSTIONES.

Quæſtio I.

Quid in moralibus ſentiendum ſit de jurejurando, quod quidem metu injuſto eliciebatur, ut tamen eo res plane licita ei, qui metum incutiebat, promiſſa ſit, numne obliget?

§. I.

PRO SENTENTIA NEGATIVA ARG. I.

PRo negativa videntur ſequentia facere argumenta:

I. Quocunque juramento promiſſum eſt, homini in quo vitium eſt, ob quod ſalvo jure naturæ acceptare jurato promiſſum is non poſſit, illius obligatio plane expirat.

Atqui juramentum, quod metu injuſto a latrone eliciebatur, ut tamen eo res plane

plane licita ei, qui metum incutiebat, promissa sit, est tale E.

Major probatur, quia locum compensatio invenit.

Minor est manifesta: Nam salvo naturæ jure latro nequit accipere id, quod is, qui in tali casu jurato promisit, eidem dare vult, imo naturaliter obligatur iste promissarius, qui metum intulit, sed injustum, quamvis levem, ad liberandum promissorem ab istiusmodi promissione, quæ ex tali (hoc est, injusto) metu secuta est.

II. Si juramentum per metum injustum ita extortum, ut ipso ei, qui per talem metum veram causam juratæ promissioni dedit, aliquid promissum sit, naturaliter obligaret, aut obligaret naturaliter, quia ille, cui jurata promissio facta est, jus consecutus fuisset ex tali jurejurando, aut obligaret naturaliter, quia Deo jus quæsitum esset. Arg. II.

Neutrum potest dici E.

Talismodi juramentum plane non obligat.

Consequentia patet, quia tertium inter hæc duo dari nequit. Nam juramentum ad eum, qui per metum injustum causam juratæ promissioni dedit, directum, si obligat naturaliter, aut obligabit, quia promissario præstitum est, cumque eo negotium fuit, aut quia cum Deo negotium est.

Neu-

Neutrum dici posse, probatur: Nam quod promissarium attinet, ille in tali casu jus nullum potuit consequi: Nam si jus quæsitum haberet, ipse eo uti posset, quod tamen falsissimum est, cum hæc duo simul stare nequeant, nempe promissario esse jus quæsitum ex jurato promisso, & eum teneri ad liberandum promissorem: si Deum, qui juratur, spectes, unde constabit Deo probari, ut quis innocens se bonis suis spoliet & illa in impium nebulonem conferat, in communem hostem, in atheum, ne gratis sceleratus fuerit? Non enim metuendum est, ne numinis honor minoris dein sit apud latronem ejusmodi juramento neglecto, cum is ipso vitæ genere satis ostendat, quanti Deum faciat. Accedit, quod si quis sit, qui evitando simpliciorum scandalo, & ne videatur nomen Dei, quod inter pericula profuit, in tutum subductus irreverentius habere, pecuniæ promissæ jacturam facere velit, satius utique videatur, Deoque acceptius, eam in pias causas erogare, quam nebulonis alicujus malitiam eadem alere.

PRO SENTENTIA AFFIRMATIVA

§. 2. Affirmativa sententia probatur sequentibus argumentis:

ARG. I.

I. Verum juramentum vere obligat naturaliter.

Atqui talismodi juramentum, quod quidem metu injusto eliciebatur, ut tamen eo res plane licita ei, qui metum incu-

incutiebat, promissa sit, est verum juramentum E.

Talismodi juramentum vere obligat naturaliter.

Major est manifesta: Verba enim in juramento quoad Deum simplicissime atque adeo cum effectu sunt intelligenda.

Minor probatur, quia talismodi juramentum est actio mixta: Omnis autem actio mixta recte est & dicitur simpliciter voluntaria, ut præcedenti *cap. 11. quæst. 2. §. 2. & 3. p. 936. & seqq.* ostensum est.

II. Quocunque nomen sanctissimum supremi sanctissimique Numinis in vanum assumitur, hujus contrarium naturaliter obligat. ARG. II.

Atqui hoc ipso, si talismodi juramentum non servetur, nomen sanctissimum supremi sanctissimique numinis in vanum assumitur E.

Major propositio est manifestissima: quia nomen Dei in vanum assumere est simpliciter ac per se turpe ac omnino juri naturali contrarium, quod Deum omni modo super omnia colere præcipit.

III. Quocunque juramento talis res promissa est, ad quam rem dandam, modo eam secum habuisset is, qui jurato promisit, jure naturæ obligabatur, istud juramentum naturaliter obligat. ARG. III.

Atqui

Atqui juramentum, de quo in præsenti quæstione agitur, est tale E.

Talismodi juramentum naturaliter obligat.

Major liquida apparet: Cur enim is, qui pecuniæ suæ jus in alium debuit transferre, ut vitam servaret, non teneretur juramento, quo pecuniæ translationem promiserat, ut declinaret vitæ periculum aliter non vitabile.

Minor est facilis probatu. Nam cujus corpus impetitur vi præsente cum periculo vitæ facile vitabili, si pecuniæ suæ jacturam faciat, aliter vero inevitabili, is omnino naturaliter tenetur jacturam pecuniæ præ jactura vitæ facere: Si ergo ejusmodi promissor paratam pecuniam habuisset, omnino si aliter vitæ periculum evitare nequivisset, salva conscientia non potuisset non hujus pecuniæ jacturam facere.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad Argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

AD ARG. I.

Ad I. Negando propositionem majorem. Quod probationis loco dicebatur, quasi locum compensatio inveniat: hoc nova videtur indigere probatione. Etenim ut paulo distinctius rem inquiramus, recolenda venit distinctio inter promissum, in quantum de ejus obligatione in promissore quæritur, & in quantum quæstio est de jure in promissario, quod scilicet is ex promisso quæsi-

quæſitum habet. Iſtud quidem verum eſt, quod ex ejusmodi juramento, quo homini promiſſum eſt, in quo vitium eſt, ob quod ſalvo jure naturæ acceptare jurato promiſſum is non poſſit, ille ipſe promiſſarius, cui jurata promiſſio facta eſt, nullum jus quæſitum habeat: at inde nondum ſequitur, quod quia in promiſſario vitium eſt, ob quod ſalvo jure naturæ acceptare jurato promiſſum nequeat, id propter in promiſſore jus ſit, vi cujus ſalvo naturæ jure ab omni promiſſi ſui obligatione liberum ſe præſtare queat. Hoc enim eſſet a negatione juris promiſſario quæſiti ad negationem obligationis in promiſſore argumentari. Accuratiori judicio æqui cenſoris ſubmittimus, num compenſatio hic locum habeat, quæ obligationem expirare faciat, an vero potius res moraliter ſic æſtimanda ſit, ac ſi is, qui juravit, paratam habuiſſet pecuniam, eademque latro ipſum ſpoliaſſet & cum pecunia ſpoliata aufugiſſet. Utut enim hoc negari nequeat, quod latro nullum jus habeat pecuniam jurato promiſſam acceptandi, imo licet hoc extra dubitationem ponatur, latronem utique naturaliter obſtrictum eſſe ad hoc, ut promiſſorem a jurata promiſſione liberet, hoc tamen pro infortunio is, qui juravit, habere tenetur, ſi latro id, ad quod jure naturæ obligabatur, præſtare nolit, cum diſtinctiſſima maneant injuſte acci-

pere, & injuste dare. Si enim fieri potest, ut quis injuste det, nec tamen alter iniuste, sed satis justo titulo accipiat, quidni evenire etiam posset, ut quis ordine inverso juste det, alter vero injuste accipiat. Exemplum injuste dantis, ut tamen alter juste accipiat, esto prodigus, a quo pauper eleemosynam accepit; De prodigo sermo est, qui, posita alias honestate ex parte objecti & finis, qualemcunque liberalitatem excessit. Quid enim impedit, quo minus pauper, utut prodigus injuste daret, juste accipere potuisset?

AD II. Ad II. respondetur negando, quod neutrum salva veritate dici possit, neque quod promissarius ex talismodi jurata promissione jus consecutus fuerit, neque Deo ex tali juramento jus quæsitum sit. Nam utut prius admittatur facile, quod promissarius ille jus nullum sibi quæsitum habeat, cum Deo tamen negotium est, cujus sanctissimum nomen non assumendum erat in vanum. Quod in probatione dicebatur, ei, qui juravit, neutiquam hac de re constare posse, Deo probari, ut ipse innocens se bonis suis spoliet, & illa in impium nebulonem conferat, in communem hostem, in atheum, ne gratis sceleratus fuerit. Sane hic videbatur responderi hoc posse: 1. quod aliud sit jacturam pecuniæ facere, aliud vero ea pecunia se spoliare. Si enim recte & ex usu recepto loqui

loqui velimus, nunquam certe dici poterit hanc actionem esse veram spoliationem, quando quis in extremo vitæ periculo non aliter vitabili constitutus pecuniam, quam in marsupio suo tenet, latroni dat, ut vitam servet. Loquimur de spoliatione, ut in moralibus sumitur, non ut idem vocabulum vulgo tritum est. Sæpe enim eandem vocem aliter vulgus accipit, aliter artifices ac sapientes. Atque hæc distinguere oportet, nam de eo nullum dubium est, quin in vulgari vitæ sermone quis rem suam alteri donans se spoliare re sua dicatur: Cæterum judicent alii, an in morali sensu quis, qui rem suam alienavit, se spoliasse dicendus sit, nisi forte prodigus fuisset, aut quodam crimine effecisset, ut re sua privaretur? Quamvis num in tali puncto proprie in morali sensu hujusmodi quid spoliationis nomine nuncupari queat, rem alius judicii esse quam asserere malimus. 2. Responsi loco urgeri poterat, quod non jurata promissio latroni facta promissorem in tali casu obliget: si ergo non jurata promissio vim obligandi habet, quo de *peculiari quæstione cap.11. p.934. & seqq.* vidimus, quanto majorem efficaciam moralem eadem promissio juramento confirmata habebit? Sed relinquamus jam hasce responsiones suo loco: Etsi enim vel maxime ne quicquam constaret, probari Deo, ut vir bonus simpliciter,

hoc est, ex nudo promisso, cui scilicet nebulo causam dederat, pecuniæ suæ jacturam faciat & in ipsum nebulonem conferat, constare tamen, nisi omne judicium nos fallit, satis poterat & debebat, probari Deo, ut id faciat vi jurisjurandi, si illud superaccessisset, ut nihilominus, quia juravit, Deo obligetur stare jurejurando isto, idque inde & cognitum esse posse & debere putamus, quia Deus juratus est, qui ad pariendam obligationem sufficit, hoc est, implicat contradictionem, si quis jurasset, nec tamen obligare se voluisset. Unde ejus, qui juraverat, officium est, quod recta conscientia dictat, ne juramentum violet, quod violatum minuit Dei honorem, detrahit cultui divino, quem jus naturæ præcipit. Non igitur in gratiam nebulonis, hostis, athei; sed unice uniceque in supremi Numinis ejusque sanctissimi nominis honorem is, qui juravit, latroni pecuniam pendit. Pariter non pendit pecuniam, ut se spoliet, sed eam latroni quasi rapienti relinquit, nisi ipse eam reddere velit, ne honori divini nominis quicquam decedat, ne hocce sanctissimum nomen in vanum assumtum sit. Quod urgebatur, non esse metuendum, ne numinis honor minoris dein sit apud latronem ejusmodi juramento neglecto, cum is ipso vitæ genere satis ostendat, quanti Deum faciat. Ex hoc nihil aliud videtur consequi, quam quod neglectu

glectu juramenti nullum scandalum latroni detur. Numne vero sic licebit argumentari: Quodcunque perjurium non dat scandalum ei, cui juramentum præstitum est, illud est jure naturæ licitum. Quis non videt hujus propositionis falsitatem? Vel hoc modo: Quacunque profanatione divini nominis latro non scandalizatur, illa jure naturæ est licita. Ecquis non cernit hujus propositionis absurditatem? Ut nihil de eo nunc dicamus, quod latro perjurio promissoris deterior reddi possit, si nondum eo crudelitatis pervenisset, ut nullo pacto, nullo juramento vitæ parceret. Item, quod simplicioribus detur scandalum. Nam, quod dicebatur, satius Deoque acceptius videri, si, qui juravit, pecuniam in pias caussas eroget, ut evitet simpliciorum scandalum & ne videatur nomen Dei, quod inter pericula profuit, in tutum subductus irreverentius habere: ad hoc dicimus 1. eum utique peccare, qui pecuniam dat nebuloni, ut ipsius malitiam eadem alat: Sed unde hoc probabitur, quod qui in conservationem vitæ pecuniam jurato promisit latroni, & nunc juramentum servat, non possit stare jurejurando, nisi hac intentione directa, vel indirecta, ut sic latronis alat malitiã? Imò facile hoc largimur, quod qui hac intentione latroni pecuniam solvit, ut ejus malitiã alat, omnino peccet: cujus enim finis malus est,
 illud

illud ipsum malum est: Interim hæc nostra sententia est, quod is, qui juravit, latroni pecuniam dare debeat in honorem divini nominis ac reverentiam, (utpote qui omnino debitam divino nomini reverentiam denegasset, nisi solvisset pecuniam in honorem divini nominis,) ut simul det cum acerrima & maxime seria sceleris a latrone patrati detestatione, unice, uti dictum est, ea fini, ut illæsa relinquatur authoritas sanctissimi numinis, cujus honorē quivis perjurus eo ipso, quod nomen Dei in vanum assumsit, violat. 2. Adhuc simplicioribus datur scandalum, utut vel maxime is, qui juraverat, pecuniam juratam in pias causas erogat. Cur enim erogat in pias causas hancce pecuniam? annon ideo quia juraverat, quod vellet pecuniæ jacturam facere? sed numne hoc solum juravit, an vero simul, quod eam pecuniam in latronem vellet conferre? Si ergo scandalum dat is, qui juravit, quod velit jacturam pecuniæ facere, nec tamen eam facit, omnino etiam scandalum dabit, qui juravit, quod hanc pecuniam huic dare velit, nunc vero dat alteri, juravit latroni, nunc fingit, ac si jurasset pauperi. Annon simpliciores sic majus scandalum accipere poterunt, si audiverint sic ludi juramentis posse, ut jurata lingva in juratam mentem geras? Si turpe est pecuniam dare latroni, ut ejus malitiam alas, quanto

to magis turpe erit pecuniam dare pauperi, ut perjurium expies? Quod tandem hostis appellabatur latro, ad hoc etiam responderi potest, hoc stante vix ullam amplius vim fœderum, promissorum, juramentorum hosti factorum futuram esse, cum iis metu injusto plerumque causa detur. Si forte regeratur, hostes eo ipso desinere hostes, quando fœdus ineunt, aut juramentum acceptant: Pari forsan ratione dicetur, latronem quoque post juramentum præstitum promissoris hostem esse desinere. Equidem dicebatur, latronem non esse legitimum, sed communem hostem multumque discriminis inter eum, qui jure gentium hostis est, & inter latronem: sed quicquid de eo sit, non tamen eo ipso omnis juris societas cum latrone expirat. Ita *Tryphoninus* JCtus *l. bona fides 31. §. incurrit 1. D. depositi, vel contra*, depositum ex ipso gentium jure reddendum latroni, si dominus non apparet, respondit.

§. 4. Occasionem quæstionis exhibet *Grotius* §. 14. 15. & 16. affirmantemque sententiam multis testimoniis & exemplis speciose confirmat, quæ videantur. Et ut obiter hoc adjiciamus, nobis nondum liquet, quid præsidii pro negativa sententia in distinctione inter juramentum, cujus verba non ad hominem, sed ad Deum dirigebantur, & inter juramentum, cujus verba ad hominem OCCASIO QUÆSTIONIS.

minem dirigebantur, inveniri possit, quasi scilicet istud jurantem obliget, hoc minime, si nempe ad hominem directum sit, in quo vitium est, ob quod recte acceptare jurato promissum is nequeat: Non enim a negatione modi ad negationem rei valet consequentia. Videntur quidem esse distincti modi jurandi, & omnino sunt, quando Deo juro, me velle Titio dare pecuniam, & quando Titio juro, quod ei pecuniam dare velim: At modus non variat rem ipsam. Non jam quæstio est, an distinctis modis jurari possit? sed an hæc modorum distinctio alicujus sit valoris in præsenti argumento, ita ut, qui illo modo juravit, obligetur naturaliter; qui hoc, minime? Nam sive dicas: Deo juro, me velle Titio dare centum aureos; sive ita ad ipsum Titium: Tibi juro, quod tibi dare velim centum aureos, annon utrobique sit affirmatio religiosa, hunc sensum habens, ut nomen Dei invocetur, puta hoc modo, Deus testis sit, aut Deus sit vindex, quæ duo in idem recidunt? Itaque judicent accuratiores, cur dare Titio pecuniam tenear, si juramentum converti ad Deum & dixi: Tu justissime Deus ultor perfidiæ meæ sis, si non dem Titio centum, quos promisi, aureos: & cur non dare Titio pecuniam tenear, si Titio sic locutus sum: Dabo tibi centum aureos, & nisi dedero, Deus severe vindicet. Annon utro-

bique ejus, quem testor fidei meæ præsulem divinam potentiam confiteor, eam adjuro, simulque volo, ut assumtionem nominis sui in vanum severe puniat? Paucis: De hoc judicium fiat, annon utriusque modi juramentum sit verum juramentum? Ubi ergo verum juramentum, ibi vera obligatio. Tantum de hac quæstione, quam in terminis mere moralibus & respectu ad merum jus naturæ habito expendere *Grotius* voluit. Nam ex jure civili ac canonico aliter deciditur quæstio, cum secundum illud talia juramenta non valeant, sic enim *Authentica: Sacramenta puberum C. si adversus venditionem: Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur: Per vim autem vel per justum metum extorta, etiam a majoribus, (maxime ne querimoniam maleficiorum commissorum faciant) nullius esse momenti jubemus:* In hoc (intellige, jure canonico) valent ejusmodi juramenta, sed præcedente absolutione irritantur. Saltim ergo quæstio erat: An ejusmodi juramentum, quo latroni in allato casu res licita promissa fuerat, in foro conscientiæ obliget? & sic, quamvis juramentum in foro exteriori pro nullo habeatur, tamen in foro conscientiæ sine dubio obligari diximus.

Quæstio II.

An omne, quod contra juramentum fit, sit jure naturæ irritum?

§. 1.

Pro affirmante sententia

PRo affirmativa videtur sequens facere argumentum:

Arg.

Quicunque non habuit potestatem agendi, illius actus naturaliter est irritus.

Atqui omnis, qui contra juramentum egit, non habuit potestatem agendi, E.

Omnis actus contra juramentum commissus est irritus.

Major patet, quia effectus prærequirit causam, unde justus actus præsupponit jus.

Minor probatur, quia qui juravit, quod sic nollet agere, eo ipso potestatem agendi sibi ademit.

Pro negante sententia

§. 2. Interim negativa verissima est, quod utut omne, quod contra juramentum fit, naturaliter sit illicitum tantum, non tamen omne sit naturaliter irritum. Probatur autem hæc sententia sequenti argumento:

Arg.

Si quis salvo naturæ jure abjurare potest actum, ut tamen non simul abjuret plenam potestatem agendi, sequitur, quod actus contra juramentum factus possit

poſſit eſſe naturaliter illicitus, ut tamen non ſit naturaliter irritus.

Prius eſt verum E. & poſterius.

Conſequentia eſt manifeſta. Sunt enim diverſa: prohibere, & irritum quid facere. Nam prohibitio legis, utut lex naturalis ſit, vim ſuam exſerere poteſt per pœnam.

Prius probatur, quia diſtinctiſſima ſunt; fidem ſolam naturaliter obſtringere juramento, ut ne ſalva conſcientia hoc agatur: & ita concipere jusjurandum, ut ſimul contineat plenam abdicationem poteſtatis ad actum. Quid vero impedit, quo minus in certis caſibus iſtud ſine hoc locum habere poſſit?

§.3. Ad argumentum negantis ſententiæ reſpondetur, minorem negando. Nam quod is, qui contra juramentum egit, non habuerit poteſtatem agendi, univerſaliter verum non eſt. Diſtingvendum eſt, ut ſi ſolam fidem obſtrinxerit is, qui juraverat, ipſi nondum omnis poteſtas agendi credatur ademta: non item, ſi ita conceptum fuiſſet jusjurandum, ut ſimul contineret abdicationem plenam poteſtatis. Ita legibus poſitivis actus aliquis prohiberi poteſt, ut tamen actus contra talem legem commiſſus non ſit irritus, & hoc genus leges imperfectas vocat *Ulpianus.* Talis erat *lex Cincia*, quæ ſupra certum modum donare vetabat, donatum non reſcindebat. *Valeria*

RESPONDETUR AD ARGUM. CONTRARIUM.

ria lex, cum eum, qui provocasset, virgis cædi securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra quam improbe factum adjecit: Id (qui tum pudor hominum erat) visum credo vinculum satis validum legis, nunc vix servo ita minetur quisquam. Livii verba sunt *lib. 10. Lex Furia* testamentaria plusquam mille assium legatum mortisve causa prohibebat capere, præter exceptas personas, & adversus eum, qui plus ceperit, quadrupli pœnam constituebat, memorante *Ulpiano*. Hæc ideo adjicere placuit, ut ex iis liceret colligere; uti lege positiva vetitum non statim irritum est: ita nec si lex naturalis quid prohibuerit, id statim irritum est, nisi aliæ circumstantiæ id simul exigant. Sæpe enim turpitudo est in actu, non tamen durat in effectu. Sæpe etiam major est indecentia in actibus, quam in effectibus: Sæpe quoque mala, quæ rescissionem seqvuntur majora, quam ipsa indecentia actus ipsius.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occasio hujus quæstionis habetur §. 19. ubi postquam *Grotius* hanc quæstionem tractaverat, bene addit: *Et hæc quidem naturaliter jusjurandum seqvuntur.* Ut vero eo magis illustrem hujus quæstionis usum commendaret, simul subjecit sequentia verba notatu digna: *Ex quibus faciendum est judicium de Regum juramentis.* Constat quippe, quod Monarchomachi inter

ter alia urgeant, quod subditi Regem suum possint deponere, si jurasset se recte regnaturum velle, postea vero insuper habito jurejurando justitiæ fines transiliisset. Et certe hoc sæpius factum legitur, ut imperantes juraverint: Apud Persas Rex ut imago Dei adorabatur, tamen jurabat, cum regnum adiret, teste *Xenophonte* & *Diodoro Siculo*. Epiri quoque Reges jurare solitos, regnaturos se juxta leges, *Plutarchus* describit. Trajanus caput suum, dexteram suam, si scienter fefellisset, Deorum iræ consecrabat; *Plinius Panegyrico*. Adrianus Imperator juravit. Juravit Imperator Anastasius; Seniores Imperatores Græci jurarunt, ut meminerunt *Zonaras*, *Cedrenus*, *alii*. Enimvero ex hoc, quod imperans juravit, nequit colligi statim, eum posse deponi. Videantur ea, quæ supra *p.536.* diximus. Conf. *Grotius* noster *L.1.c.3.§.16.*

Quæstio III.

An superiorum actus possit efficere, ut jusjurandum, quatenus vere fuit obligatorium, non sit præstandum?

§. 1. Pro affirmante sententia sequens potest proferri argumentum: PRO AFFIRMATI-

Qui-

VA SENTENTIA ARG.

Quicunque post præstitum jurejurandum liberare potest eum, qui juravit, is efficere potest, ut jusjurandum, quatenus vere obligatorium, non sit præstandum.

Atqui superior eum, qui juravit, post præstitum jurejurandum liberare potest E.

Major videtur manifesta: Nam omne verum jusjurandum est vere obligatorium E. qui a vero jurejurando eum, qui vere juravit, liberat, hoc efficit, ut jusjurandum, quatenus vere fuit obligatorium, non sit præstandum.

Minor satis per se constat: Annon enim superiores, id est, Reges, patres, domini & mariti in his, quæ maritalis sunt juris, efficecere possunt, ut juramenta ab inferioribus præstita non sint præstanda, hoc est, ut quod jurarunt, non teneantur servare?

PRO NEGANTE SENTENTIA. ARG.

§. 2. Negans sententia verissima est, & extra omnem dubitationem posita, imo facile probatur sequenti argumento:

Quicquid per se intrinsece ac ex sua natura turpe est atque adeo jure naturali rectissime & in rigore sic dicto prohibitum, hoc nulla potestas licitum efficere potest.

Atqui jurare, nec tamen hoc, quod jurejurando vere obligatorio promissum est, præstare, est per se intrinsece ac ex sua

sua natura turpe atque adeo jure naturali rectissime & in rigore sic dicto prohibitum E.

Major patet: nam quod juris est naturalis, hoc immutabile est. Huc facit elegans illud *Papiniani* effatum *l. filius 15. D. de conditionibus institutionum*: *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.* Ubi *contra bonos mores esse* idem est ac juri naturali repugnare.

Minor patet ex iis, quæ hactenus de promisso juramentoque promissorio diximus, quod naturaliter obligent.

§. 3. Ad argumentum contrarium priusquam respondeatur, notari in antecessum meretur, longe aliud esse, juramentum, quod vere fuit obligatorium, facere irritum, &, declarare, quod ille ipse actus, qui videbatur esse juramentum vere obligatorium, non fuerit juramentum, adeoque nec vere obligatorium. Illud superiorum actus efficere nunquam potest, ut juramentum, quod jamjam vere fuerat obligatorium & adhuc esset, nisi superior a persona ejus, qui juramento semet obligaverat, obligationem tolleret, sit irritum, hoc est, non obliget, ob rationem § *præcedenti* datam: Hanc vero efficaciam superiorum actus habet, ut declarari salva veritate possit, istum actum, qui

RESP. AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

qui pro juramento, quod inferior præstitisset, habebatur, nullum fuisse juramentum. His præmissis respondetur ad ipsum argumentum oppositum negando propositionem minorem, quæ talis erat: *Superior, eum, qui juravit, post præstitum jurejurandum liberare potest.* Quod probationem attinet, hæc urgebatur ratio: quia efficere potest, ut juramentum præstitum non sit præstandum, hoc est, ut quod quis juravit, non teneatur præstare. Sed hoc est, quod negatur. Negamus juramentum in tali casu esse præstitum, quia superior sua auctoritate potuit efficere, ne inferior, utut voluerit præstare jusjurandum & a se præstitum putet, aliis quoque ita videatur, juraverit. Inferior enim qua talis nõ potuit se obstringere, nisi quatenus id placiturum esset superiori; ampliorem quippe non habebat potestatem: nam actus ipsius, quem pro juramento habebat inferior, non plane erat in ipsius potestate, sed ita ut dependeret a superiori. Hoc modo lege Hebræa mariti uxorum, patres liberorum, qui sui juris nondum erant, juramenta (si accuratius philosophari malimus) non rescindebant, sed declarabant, quod nulla a liberis, ab uxoribus fuissent præstita. Perinde vero est, sive superior ante inferioris actum, quo videbatur juramentum præstitisse, effecerit, ut nullum esset juramentum, sive de-

mum

mum post eum actum id efficiat. Nam si ante actum imperans rem effecit illicitam, in quam postea inferior jurare voluerat, sic sane effecit, *ut juramentum præstaretur adversus primum præceptum secundæ tabulæ decalogi*, quod simul juris naturalis præceptum est, *contra quam juramentum non obligat*, ceu *Dn. Zieglerus*, JCtus celeberrimus, id explicat, ut magis perspicuam rationem redderet, quam *Grotius* his verbis paulo obscurioribus expresserat: *antequam juretur*, declarari potest, quod nullum futurum sit juramentum ejus, qui id acturus est, quo putabit se jurare, *quatenus jus inferioris sub potestate superioris continetur*: Cur postquam inferior id egit, quo putavit se jurasse, salva veritate naturalique æquitate hic ipse actus nullus declarari possit, modo allata ratio est. Imo & actus ex utroque mixtus esse potest, ut si superior constituat, quod inferior juraverit hoc aut illo casu, puta ex metu, aut imbecillitate judicii, ita demum valere, si ab ipso approbetur.

Dicat quispiam, casum dari posse, in quo quis efficere possit, ut alter, qui juraverat, liber sit ab obligatione, utut persona jurantis non fuerit in ejus, qui tale quid effecit, potestate: e. gr. alieni principis subdito extraneus jurato promisit pecuniæ summam, princeps vero in pœnam subdito prohibet, ne quid ex tali juramento ac- *Exceptio.*

 cipiat,

cipiat, ſic efficit princeps, ut is, qui juratus aliquid promiſit, ab obligatione juramenti liberetur. E. fieri poteſt, ut jusjurandum quatenus vere fuit obligatorium, non ſit præſtandum: Ex quo fluit, quod etiam ſuperior in ſubdito ſuo efficere id poſſit, quod in extraneo efficere potuit.

Solutio. Reſponſio in promtu eſt. Negamus quod in tali caſu alter verum juramentum præſtiterit. Unde quia nondum præſtitit juramentum, nec fuit vere obligatorium. Res facilis eſt, modo conſideretur, ad promiſſionem (idem de jurata promiſſione judicium eſto) requiri acceptationem; Jam vero ſua auctoritate princeps id efficere potuit, ut nulla eſſet acceptatio, ſi vel maxime id ageret ſubditus, quo promiſſum acceptaſſe videbatur: ſtante igitur eo, quod locum invenire nequiverit acceptatio, nec vera promiſſio jurata adfuit.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occaſio quæſtionis §. *20.* habetur.

CAPUT XIV.

De PROMISSIS, CONTRACTIBUS, JURAMENTIS PRINCIPUM.

§. 1.

§. 1.

PRomissa (*contractus, juramenta*) sunt vel publica vel privata. Illa fiunt ab iis, *qui jus in Republica summum obtinent*: Hæc fiunt a privatis. *Distinctio.*

[*Grotius* §. 1.]

NOTÆ.

I. Petitur hæc partitio promissorum, contractuum, juramentorum a causa efficiente: nam iste homo, qui promittit, contrahit, jurat, aut est persona privata, aut publica: maxime vero illi nomine personarum publicarum nuncupantur, qui jus in Republica summum obtinent.

II. Summum in Republica jus habere dicuntur Reges, & qui Regibus par jus obtinent.

§. 2. Contractus publici (privati) alii sunt mere publici (privati), alii mixti: Mere publici (privati) sunt, quando utraque pars contrahentium est princeps (privatus): Mixti dicuntur, quando una pars contrahentium est princeps, altera privatus. *Alia distinctio.*

NOTÆ.

I. Mixti iterum fiunt vel cum subditis, vel cum peregrinis.

II. Pariter mere privati contractus vel

el
fiunt

fiunt inter ejusdem civitatis ſubditos, ve inter eos, qui non ſunt ejusdem civitat ſubditi. Hi vel in gentem nondum coive runt, hoc eſt, nullius civitatis ſubditi ſun vel diverſarum civitatum ſubditi ſunt, vel alter vivit in civitate eſtque ſubditus, alte in nulla plane civitate eſt.

III. Princeps nobis hoc loco dicitu quisque habens ſummam poteſtatem in c vitate, ſive una perſona ſit, ſive plures ſin tanquam una perſona: Quod etiam ſic e ferri poterat: ſive princeps ſit perſona, ſiv quaſi perſona.

Regula contractuum mere publicorũ quanam?

§. 3. Contractuum mere publico rum potiſſima regula eſt jus natura eſt quoque eorundem regula jus gen tium voluntarium.

NOTÆ.

I. Hoc non obſcure innuit *Grotius to hoc capite*, eumque in finem in ſe tractati nem hujus materiæ ſuſceperat.

II. Huc pertinet, quod ſi alterutra pa contrahentium dolo circumventa ſit, re tuere in integrum ſe poſſit ſalvo jure n turæ.

Regula contractuum mixtorum.

§. 4. Contractuum mixtoru regula eſt jus naturæ & una lex vilis. Aut enim contraxit prince cum ſubdito, & ſic ejusmodi co

trac

tractus præter legem naturæ sequitur legem civitati isti, in qua princeps summum jus obtinet, propriam, nisi circumstantiæ monstrent, principem voluisse immunem esse ab illis legibus: aut contraxit cum peregrino privato, & tunc contractus sequitur legem istius civitatis, in qua contractus factus est.

NOTÆ.

I. Si privatus, cum quo contractus initus est, plane non viveret in civitate, sic merum jus naturæ regula contractus esset.

II. Contractuum mere privatorum, quando nempe privatus cum privato contrahit, regula præter naturalem legem, est lex civilis, in quantum scilicet quisque privatus, qui cum privato contrahit, sequi tenetur legem suæ civitatis.

§. 5. Contractus publici sunt vel solennes, vel minus solennes: Solennes sunt, qui fiunt a principe ut principe: Minus solennes, qui fiunt a principe non tam ut principe, quam homine alio quocunque. *Alia contractuum publicorum distinctio.*

NOTÆ.

I. Hanc distinctionem indigitat *Grotius*, dum sic disserit: *Distinguendum censemus*

inter actus Regis, qui regii sunt, & actus ejusdem privatos. Nam in regiis actibus, quæ Rex facit eo loco habenda sunt, quasi communitas faceret: in tales autem actus sicut leges ab ipsa communitate factæ vim nullam haberent, quia communitas seipsa superior non est, ita nec leges regiæ: At privati actus regis considerandi sunt non ut actus communitatis, sed ut actus partis, ac proinde facti eo animo, ut communem legum regulam sequantur. Hic distinguit *Grotius* inter contractum, quem princeps init ut princeps, & inter contractum, quem princeps ut alius quicunque homo init, hucque *ejusdem* sententia redire videtur: Contractum, quem princeps inivit ut princeps, ipse non potest rescindere invita altera parte, quia alias seipso superior esset, quod implicat, unde obligatio ex ejusmodi contractu manet: At contractum, quem inivit ut privatus, in certo casu nullum declarare aut ab eo discedere, hoc illove modo potest: nam eo animo initus creditur fuisse contractus, ut communem legum regulam sequeretur. *Unde etiam leges, quæ actus quosdam aut simpliciter, aut si is, qui læsus est, velit, irritos faciunt, locum & hic habebunt, quasi sub ea conditione contractum foret. Sic videmus Reges quosdam adversus fœnebre malum sibi consuluisse juris remediis.* Ubi tamen duo ad meliorem Grotianæ sententiæ intellectum faciunt.

ciunt. Unum est, quod contractus principis, quem ipse init non ut princeps, nequaquam idpropter ejusdem per omnia conditionis cum contractu, quem subditus init, censendus sit. Subditus enim ob voluntariam contractus læsionem ad pœnam trahi potest: princeps vero neminem habet in terris se superiorem, a quo puniri possit. In principis arbitrio relictum erat, velletne in actibus, quos non ut princeps celebrat, sequi communem legum suæ civitati propriarum regulam, si cum civitatis suæ subdito contraxisset: hoc vero alii privato integrum non erat. Utriusque discriminis mentionem facit *Grotius* noster, posterioris quidem, dum ita disserit: *Poterit tamen Rex ut aliorum, ita suos actus his legibus solvere; quod an facere voluerit, ex circumstantiis erit æstimandum. Si fecerit, judicanda res erit ex mero jure naturali.* Prioris vero, dum pergit: *Hoc addendum, si quæ lex actum irritum faciat, non in favorem agentis, sed in pœnam, hanc in Regum actibus locum non habituram, ut nec leges pœnales, & quicquid vim habet cogendi. Nam punitio & coactio non possunt procedere nisi a voluntatibus diversis: itaque cogens & coactum requirunt distinctas personas.* Brevius forsan & magis accommodate ad præsens *Grotius* rem ita decidisset: Utut Princeps cum subdito contraxerit non simpliciter ut prin-

ceps, non tamen in istiusmodi contractu locum invenit lex nullum declarans contractum in pœnam contrahentis, cum summum teneat imperium adeoque neminem habeat se superiorem. Nam si in pœnam principis contractus nullus esset, aut eam pœnam princeps sibiipsi decrevisset, aut alius ipsi: non prius, quia seipso non est superior: non posterius, quia nemo Principe est superior: Jus autem pœnæ non competit nisi superiori. Interim non mirari subeat, cur *noster* hic ejusmodi ambagibus usus fuerit, utpote qui etiam æqualem ab æquali, si merum jus naturæ respiciamus, puniri posse censet, quo de sequenti *capite 20.* ex professo agetur. Alterum est, ne quis occasione hujus doctrinæ incidat in eum errorem, ac si privato quæsitum sit jus dijudicandi actum Principis sui, adeo ut arbitrio subditi tanquam judicis Princeps subesse necessum habeat. Hanc quippe perversam sententiam seqvuntur, quotquot ex Monarchomachorum castris prodeunt, majestatemque personalem Regis, ut in aliis actibus, ita & hic, reali Majestati populi subesse censent, quo nil pestilentiosius absurdiusque effingi poterat. Quemadmodum enim supra cum *L. I. c. 4.* tum *L. II. c. 1.* ostensum est, Principi, utut tyrannice agat, a subdito resisti non posse, ita nec subditum judicem suum habebit Princeps,
utut

utut non ita se gesserit, prout alias eum, cujus erat communem legum civilium regulam sequi, decebat.

II. Circa contractus, quos Princeps ut Princeps init, inprimis notandum, quod duplicis generis sint: aut enim Princeps pleno jure proprietatis imperium habet, aut pleno jure proprietatis imperium non habet: Si pleno jure proprietatis imperium non habet, probe iterum dispiciendum venit, an & quas leges populus Principi addiderit: Poterunt enim per eas leges contrarii actus irriti fieri, aut omnino, aut ex parte, quia eatenus populus jus sibi servavit. Cæterum quod *Grotius* dixerat de regiis actibus qua talibus, quod nempe in iis, quæ Rex facit, eo loco habenda sint, quasi communitas faceret, hoc semper accipi debet adhibita cautione, ne quis inde sequi putet, ac si Princeps inferior sit communitate, ut tandem hic sensus relinquatur: Sicut ad id, quod communitas faceret, si Majestatem haberet, & quidem ut communitas, lex civilis a communitate singulis lata non pertineret: ita nec lex civilis de contractibus agens comprehendit contractus ab eo aut iis factos, in quem vel quos communitas summam potestatem transtulit, vel qui alias summam potestatem in eam communitatem habet, in quantum quidem hi contractus celebrabantur a Prin-

cipe ut Principe, hoc est ab uno pluribusve, in quantum habebant summam potestatem.

III. Quos igitur contractus publicos diximus solennes, hi etiam κατ' ἐξοχὴν publici dici poterant, sicut econtrario minus solennes quasi-privati nuncupari possent, forte commodiori nomine, ne scilicet confunderentur contractus, quos Princeps, non tamen præcise ut Princeps init, cum contractibus, quos ut Princeps init, nec tamen cum alio Principe.

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

An quisque legitimus successor Principis teneatur stare promissis & contractibus antecessoris?

§. 1.

Pro affirmativa sententia Arg.

PRo affirmativa sequens videtur pugnare argumentum:

Qui succedit in jus, succedit etiam in juri annexum onus.

Atqui quisque Principis successor succedit in antecessoris sui jus E.

Quisque Principis successor succedit in ante-

anteceſſoris ſui onus juri annexum, & per conſequens tenetur ſtare anteceſſoris promiſſis & contractibus.

Major patet ex communi regula: Qui cedit in locum, cedit in jus. Pro debitis enim etiam perſonalibus bona defuncti ut obligata ſint, ipſi rerum dominio coævum eſt.

Minor non eget probatione.

§ 2. Enimvero affirmans ſententia univerſaliter vera non eſt, nec ad quæſtionem ſolide reſponderi poteſt, niſi ante omnia ſingulari cura diſtinctio adhibeatur: Scilicet duplicis generis ſucceſſores Principum dantur: Aut enim ſolummodo ſunt ſucceſſores in Principatum, hoc eſt, regnum, aut ſunt quoque ſucceſſores in alia hæreditaria bona. Et ſi ſucceſſerunt in bona ſimul hæreditaria, diſpiciendū amplius, num in omnia ſimul bona, an tantū in aliqua, ſucceſſerint? His jam ita præmiſſis, dicendum 1. quod qui in jus regni duntaxat ſuccedunt, non ſemper teneantur ex anteceſſoris ſui promiſſis & contractibus: Nam ut nihil jam dicamus de jure feudali, quando nempe vaſſallagii jure anteceſſor regnum poſſidebat, ut ita abſque domini feudi conſenſu nullam regni partem potuerit alienare aut alienationem ejus promittere, certe hoc inprimis attendendum venit, quo nempe jure ipſe anteceſſor Rex fuerit, numne pleno jure

PRO NEGATIVA SENTENTIA.

regna-

regnaverit, an regnum non ut proprium possederit, sicut hac de re supra, *hujus* scilicet *Libri capite 7.* multis egimus, dum distinximus regna, quæ pleno modo possidentur & in patrimonio sunt, ab his, quæ modum habendi accipiunt ex populi consensu. Nam si pleno jure proprietatis & velut in patrimonio antecessor Regnum habuit, oportet omnino successorem stare antecessoris veris promissis & contractibus: Et hic simpliciter obtinet illud: Qui succedit in locum, succedit in jus, hoc est, successor in tali casu, dum succedit in regnum, succedit in hæreditatem, quia ejusmodi regnum pleno jure hæreditario & velut in patrimonio antecessoris fuerat. Est autem hæreditatis ac patrimonii talis natura, ut commoda ac incommoda individuis nexibus inter se cohæreant, nec quis hæreditatis aut patrimonii commoda sine annexis incommodis habere possit, sed omnino & hic obtinet illud Comici: Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his mittenda sunt, cum sane successor bonum quod est quæsitum in regno, in quod succedit, sine isto malo non habiturus fuisset. Aliter plane comparatum erit cum regnis, quæ modum habendi accipiunt ex populi consensu: Nam facile quisque hoc assequitur, quod ipse antecessor regni omnes conventiones suas, omnes promis-

promissiones ac contractus circa regnum ejusque partes ita debuerit instituere, ut ex præsumta populi voluntate inirentur: Præsumitur autem populus id voluisse, quod expedit. Imo si rem velimus paulo accuratius examinare, hic ipse, qui in regnum ex populi voluntate succedit, aut ex antecessoris voluntate successisse dicendus non est, aut si eum ex antecessoris voluntate successisse dixeris, hoc tamen sic erit accipiendum, ut voluntas antecessoris per omnia fuerit conformis voluntati populi & ad eam prorsus attemperata. Quo stante, simul relinquitur, non simpliciter & sine omni limitatione ac cautione verum esse hoc assertum, quo successor regni antecessoris sui promissis & contractibus stare dicebatur. Et tantum quidem dixisse sufficiat circa promissa & contractus, uti scilicet ipsum regnum attinebant. Dispiciamus 2. paucissimis de successore, qui nempe spectatur, ut non solum in regnum, sed & alia successit bona ipsius antecessoris, quæ tamen per se ad regnum non pertinent: Certe qui in alia bona omnia successit, utique in totum tenebitur stare promissis & contractibus antecessoris, quibus nempe antecessor respectu istiusmodi bonorum se obligaverat. Nam ejusmodi bona, ceu vocantur, volumus esse talia, quæ vulgo allodialia vocari solent, & ibi nullum dubi-

dubium erit, quin omnino juri successionis in talia bona aut prorsus renunciare debuisset, aut debuisset simul in onera succedere: est quippe iniqua in omni re accusanda prætermissis bonis malorum enumeratio, vitiorumque selectio, quibus bonis te carere voluisse antecessor præsumitur, nisi debita observantia existimationem ac fidem antecessoris tibi per omnia commendatam scias. Quod si in partem bonorum successio facta sit, pro rata, & ex parte illa, vel, ut loqui amant, pro sua tantum quota obligabitur. Interim secus res se habebit cum bonis, quæ videlicet cum republica necessario cohærent inque solidum reipublicæ debebantur, sicuti supra *cap. 6.* prolixius ostensum est, non esse confundendas res, quæ in fructu erant patrimonii cum rebus patrimonii, quandoquidem fiat, ut res in patrimonio populi maneant, & tamen res, quæ in fructu fuerant hujus patrimonii, jure hæreditario res regis ex populi voluntate regnum possidentis ejusque patrimonium factæ sint. Denique 3. id inprimis & præ cæteris observandum ducimus, ut sedulo respectus ad leges aut mores habeatur istius reipublicæ, in qua antecessor (de cujus promissis & contractibus, quousque successorem obligent, agitur) summum imperium tenebat: Nam illud maximum vigorem effectumque præcipuum habet,

quod

quod lex aut mos iſtius populi aut reipublicæ non tantum expreſſe probat, ſed ex conjectura etiam haberi poteſt. Arduam hanc ſimulque pulcherrimam materiam ex dignitate perſequi(in hac Introductione,maxime ubi nunc brevitatis magis quam volebamus, ſtudioſi, imo ſtudioſiſſimi eſſe tenemur) neutiquam permittitur, quamvis id nobis datum eſſet, qui interim judicii tenuitatem in tanti momenti materia, cujus inſpectio & periculoſiſſima & graviſſima eſt, lubentiſſime & aperte fatemur. Satis eſto ad noſtrum ſcopum, ſi hoc unicum obtinuerimus, ut eorum, quæ modo diximus, occaſione nobis integrum ſit hunc in modum argumentari:

Si dantur caſus, in quibus ſucceſſor regni legitimus non tenetur ſtare anteceſſoris promiſſis & contractibus,ſequitur, quod non omnis ſucceſſor legitimus teneatur ſtare promiſſis & contractibus anteceſſoris. ARG.

Prius eſt verum E. & Poſterius.

Conſequentia patet.

Prius ex hactenus dictis liquere poſſe credimus.

§. 3. Ad argumentum in contrarium allatum reſpondetur negando univerſalitatem majoris, ſi tam nude accipiatur. Quod in probatione dicebatur, pro debitis perſonalibus bona defuncti ut obligata ſint, RESPONDETUR AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

sint, ipsi rerum dominio coævum esse, hoc quantum ad præsens, evincitur, quod qui bonorum omnium ita ut regni hæredes sunt, promissis & contractibus teneantur, quo de nemo dubitat: Et ad summum tandem evincitur, eos regni successores teneri promissis & contractibus antecessoris respectu regni initis, qui nempe regnum, quod in antecessoris patrimonio fuerat, testamento vel ab intestato acceperunt. Sed quid fiet cum istis successoribus, qui in jus regni duntaxat successerunt, & successerunt ex populi voluntate, in nulla vero alia bona, aut si in bona, non tamē nisi illa, quæ cum regno necessario cohærebant? Certe directe, hoc est ἀμέσως, hos successores regni qua tales non obligari satis est manifestum, quia jus non accipiunt ab eo, qui proxime decessit, sed a populo sive ejusmodi successio propius accedat ad jus hæreditarium rerum vulgarium, sive ab sit longius: Interim ἐμμέσως, id est, per interpositam civitatem obligabuntur etiam tales successores: quod sic intelligetur. Cœtus quilibet non minus quam personæ singulares jus habet se obligandi per se, aut per majorem sui partem. Hoc jus transferre potest tum expresse, tum per consequentiam necessariam, puta imperium transferendo. Nam in moralibus qui dat finem, dat ea, quæ ad finem perducunt.

No

Non tamen in infinitum hoc abit, neque enim obligandi infinita potestas ad imperium recte exercendum necessaria est, sed quatenus ejus potestatis natura exigit. Neque tamen, ut quidam existimant, lex hæc ad naturam negotiorum gestorum exigenda est, ut tum demum ratus sit habendus actus, si utiliter gestus sit. Nam ad tales angustias reipublicæ imperantem redigere, ipsi reipublicæ esset periculosum. Quare nec sensisse hoc credendus est populus, cum imperium detulit. Sed quod a Romanis Imperatoribus in causa civitatis responsum est, valere transactionem, quam magistratus fecissent in re dubia, non si indubitato id, quod deberi possit, remissum sit, idem ad nostram de populo toto quæstionem referri debet ac potest, sed servata proportione. Non enim exitus in re, sed probabilis ratio rei gerendæ spectanda est. Et ex his quoque fundamentis deciditur casus, in quo contractus antecessoris incepeat vergere non ad damnum modo aliquod, sed ad perniciem publicam, ita ut ab initio contractus in extensione ad illum casum censendus fuisset injustus & illicitus: Tunc enim nó tam revocari is contractus potest, quam declarari, eum non ultra obligare, quasi factum sub conditione, sine qua juste fieri non potuit. Et quod a populo ista declaratio juste fiat, dubitandum non est,

quando jam loquimur de tali casu, in quo inter successorem regni & ipsum populum, ex cujus scilicet voluntate regnum antecessori delatum erat, res agitur. Quid enim obstaret, quo minus populus, si promissum antecessoris promissarius a successore exigeret, adversus eum solidis rationibus docere ac declarare posset, defunctum si hocce damnum, quod ex promissi præstatione in Rempublicam redundat, prævidisset, nunquam promisso aut contractu tali se obligaturum fuisse, sicque non nisi sub conditione promittere aut contrahere voluisse præsumendum esse.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasionem quæstionis præbet *Grotius* §. 10, 11. & 12. ubi simul ut & in annotatis rem pluribus exemplis confirmat.

Quæstio II.

An adversus regios contractus, promissa, juramenta Regis minoris restitutio in integrum locum habeat?

PRO NEGANTE SENTENTIA ARG. I. §. 1. Pro negante sententia sequentia adduci solent argumenta:

I. Quicquid venit ex mero jure civili, hoc adversus contractus, promissa, juramenta Principum, ut sunt actus a Principibus

cipibus qua talibus venientes locum non habet.

Atqui restitutio in integrum venit ex mero jure civili E.

Major probatur, quia eorum, quæ Princeps facit ut Princeps, regula nequit esse lex civilis, ob rationem *p. 1014. ad §. 5*. datam.

Minor est per se manifesta: Est enim restitutionis formale læsio ex minorennitate proveniens, minorennitatem autem ab ætate pupillari nulla alia lex, quam civilis distinxit, & utrique assignavit certos terminos, de quibus alias altum fuisset silentium.

II. Quicunque non habet superiorem, adversus ejus contractum, promissum, juramentum, restitutio in integrum locum non habet. ARG. II.

Atqui Rex minor non habet superiorem E.

Major probatur, quia restitutio in integrum non fit nisi ab eo, qui in alterum potestatem habet, per quam eum possit in integrum restituere, hæc vero potestas est superioritas.

III. Si adversus regios Regis minoris contractus, item promissa, juramenta locum haberet restitutio in integrum, aut obtineret in negotio a Principe inito cum extraneo, aut cum subdito suo. Neutrum dici potest E. ARG. III.

Non prius, quia Rex minor cum alio contrahens, si conventis stare nolit. quod subditos suos minores læsos in integrum restituere consveverit, ab altero responsum nec immerito audiet: Quid ad me tuæ leges? Per me tibi liceat tuis subditis quaslibet præscribere leges, ego vero tuam fidem habeo, quam servare tamdiu decet, donec veram mihi læsionem objeceris. Nam quod de minorennitate excipis, ad rem sane nihil, cum nulla lex vel naturæ vel gentium, quarum inter summas potestates mutua observantia est, defectum facultatis paciscendi aut alienandi præcise ad viginti quinque annos extendere voluerit, multo minus de minorennitate, ut tali, aliquid constituerit. Sufficit igitur te fuisse ejus ætatis, qua quidem rerum tuarum arbitrium & negotii gesti necessarium judicium habuisti, neque etiam reapse læsum esse. De cæteris, quicquid etiam jura tua circa mi o rennitatem dixerint, me non ferit, aut tu illo prætextu ▪ fide liber eris.

Non posterius: Lex enim civilis cive suæ civitatis obligat, in ipsum vero Princi pem qua Principem nihil potest, agitur a tem de regiis actibus qua talibus, hoc e de Principis qua talis contractu.

PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA

§. 2. Verum affirmativa sententia lo ge verior apparet, ejusque probatio non adeo magnæ erit difficultatis, modo nat

ra

ralia a civilibus recte distinguantur. Nam quod adversus minorem Principem, qui sine curatore aut consiliariis suis, qui curatoris vicem supplere potuerant, contraxit, restitutio locum habeat, non quæ ex jure civili, sed ex naturali æquitate venit, forsan sequentibus suadebitur argumentis:

I. Si istud, de quo Rex infans contraxit, quodve promisit aut stipulatus est, ipso naturæ jure nullum est, ipseque Princeps majorennis factus contractum declarare potest nullum, sequitur, quod etiam adversus Principem minorem, qui sine curatore aut consiliariis suis, qui curatoris vicem supplere poterant, contraxit, locum restitutio habeat. ARG. I.

Prius est verum E. & Posterius.

Consequentia patet: Utrobique enim par est ratio. Nam ut ibi defectus totius judicii, ita hic infirmitas judicii, hoc est, non sufficiens judicium adest, atque ad magni inprimis momenti contractum requirebatur.

II. Si Princeps dolo ac fraudibus circumventus nullum declarare contractum potest, quem iniisse credebatur, sequitur, quod adversus Principem minorem, si sine curatore aut consiliariis suis, qui curatoris vicem supplere po- ARG. II.

terant, contraxit, locum restitutio ha-
beat.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia probatur, nam ut læsio e
dolo originem trahens justa causa est resti-
tutionis, quidni etiam læsio ex plane infirm
ac fragili minoris Principis judicio ortu
ducens.

Exceptio. Poterat quidem excipi contra utrum-
que argumentum, quod dispar ratio si
quando contractus ob Principis infantia
nullus est, & quando de in integrum resti-
tutione minoris Principis agitur, cum il
nulla in integrum restitutio fiat, ipsoque na-
turæ jure nullitas liberationem fidei sub-
ministrat. Pariter videtur jam non de c
quæstionem esse, num ob dolum, sed an pro-
pter minorennitatem restitutio adversu
contractum Principis locum habeat?

Solutio. Verum lis movetur de voce: In mo-
do loquendi erimus faciles, modo res ip
obtineatur. Frustra enim de eo litigab-
tur, num si Princeps minor contraxit & pos
ea graviter se læsum sentiat sicque jus
causa detur, ob quam ex conventione sua
Princeps majorennis factus neutiquam te-
neatur, hujus rei causam velit nullitatem
conventionis, an vero restitutionem in in-
tegrum appellare, modo illud, quod dictu
est, fieri juste possit, hoc est, modo juste fia
ut ne Princeps ex conventione a se mino
fac

facta in hoc vel illo casu teneatur. Nam hujus rei, quod scilicet justo titulo tale quid fieri nequeat, rationes solidæ adducendæ sunt, tales exceptiones si adducerentur, credimus fore mera diverticula, minime viam ad solidam decisionem.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata videtur responderi posse, & quidem

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. negando propositionem minorem ejusque probationem. Nam quod dicebatur, restitutionis, de qua in præsenti agitur, formale esse læsionem ex minorennitate provenientem, hoc verissime dicebatur, ac facillime admittitur: sed quando urgebatur amplius, quod nulla alia lex, quam civilis, minorennitatem ab ætate pupillari distinxerit, hoc est, de quo merito dubites. Etenim uti naturali ratione distinguitur inter eum, qui nullum judicium habet & inter eum, qui judicium non satis firmum habet, & uterque ei, qui perfecto satisque firmo rationis usu gaudet, contradistinguitur: ita non facile ausim asserere, distinctionem inter ætatem pupillarem ac minorennitatem, item inter tutelam & curam, jure naturæ incognitam esse. Non enim de terminis, sed de re ipsa hic loci agitur. Si namque signa sat idonea dantur, ex quibus colligi sufficienter potest, judicium adfuisse, non tamen sat firmum satisque maturum, cur non aliud diceres, judicare, num a nullo; aliud, an ab

AD ARG. I.

aliquo, tamen imperfecto, agentis judici actus processerit? Conf. ea, quæ supra *c.* *§. 2. not. 4. p. 886. & seq.* de minorennita dicta sunt. Unde quod demum adjicieba tur, legem civilem & ætati pupillari & mino rennitati certos assignare terminos, de qui bus alias altum fuisset silentium, ad hoc re spondetur, concedi facile posse, quod si me rum jus naturæ respiciamus, quando hom ratione uti incipiat, quando demum perfe cti fiat judicii, non posse certo definiri, quotidianis tamen actibus, aut etiam ex e quod communiter in quaque regione acc dit, id desumendum erat.

RESP. AD ARG. II. Ad II. respondetur negando majore ejusque probationem. Confunditur quip pe restitutio in integrum, quæ sola natura æquitate nititur, cum ea, quæ ex solo jure c vili venit. Hæc omnino nequit fieri nisi superiore, ipsaque potestas subditum rest tuendi in integrum omnino arguit superio ritatem ejus, qui jus restituendi in integru habet: secus cum illa comparatum est. I nemo subditorum sibi jus dicere in propr causa potest; *non* enim *est singulis concede dum, quod per magistratum publice possit fi ri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi,* *non est 176. D. de regulis juris.* Nempe l gum reperta est sacra reverentia, ut nil manu, nihil proprio ageretur impulsu: qu enim a bellica confusione pax tranquill

dist

sistat, si per vim litigia terminantur. Et vim vocant *leges*, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. Numne vero propterea Principi non licebit sibi jus dicere? Idem de restitutionis actu in præsenti judicetur.

Ad III. respondetur, utrumque dici posse, & quod restitutio adversus Principis minoris contractum cum extraneo & cum subdito locum habere possit. Nam quod contra utrumque in contrarium dictum est, nititur unice hoc fundamento, quasi restitutio in integrum ob minorennitatem facta unice ex jure civili veniat, quo destructo sponte sua omnia corruunt, quæ ei superstruebantur. Nam quod proponebatur, Regem minorem viginti annis cum extraneo paciscentem, si conventis hanc ob caussam stare nolit, quod subditos minores in integrum restituere consveverit, ab altero hoc responsum nec immerito percepturum esse: Quid ad me tuæ leges? Per me tibi liceat tuis subditis quaslibet præscribere leges; ad hoc dicendum, adversus Regem minorem restitutionem locum habere non ex eo fundamento, quod ipse subditos suos minores *læsos* in integrum restituere consveverit, sed quod ipse Rex non satis firmi ac ad magni momenti pactum ineundum sufficientis judicii fuerit. Quod si extraneus perrexerit dicens: ego vero tuam fi- RESP. AD ARG. III.

dem habeo, quam ſervare tamdiu decet donec veram mihi læſionem objeceris; ne principi facile erit veram læſionem d cere. Numne enim prorſus impoſſibile rit, Principem ob nimis infirmum judici graviter læſum fuiſſe? Quando extra nomine amplius objiciebantur ſequentia Nam quod de minorennitate excipis, rem ſane nihil, cum nulla lex vel naturæ gentium, quarum inter ſummas poteſta mutua obſervantia eſt, defectum faculta paciſcendi aut alienandi ad viginti quinq annos extendere voluerit, multo minus minorennitate ut tali aliquid conſtituer huic repoſuiſſe id, quod ante de minore nitate *in reſponſione ad arg. 1.* monuimu ſufficiat. Iſtud ſane lubenter concedimu hanc præciſam viginti quinque annorun determinationem, quaſi ante hoc temp minorennitas detur, eſſe a civili jure, d que minorennitate, ut tali, jure naturæ hil conſtitutum eſſe: inde vero nondun ſatis firma ratione colligi poterit, nihil n turam poſſe in minorennitate ut ſic, h eſt, citra leges civiles æſtimatæ, item diſc men minorennitatis & majorennitatis, ſi ges civiles ſeponamus, naturæ prorſus i cognitum relinqui, niſi, ceu ante dictum e tandem negare velimus, extra jus civile v ſanti nullum ſuppetere ſignum poſſe, quo aliquem plane infirmi judicii adhuc

colligatur. Sicne tandem dicendum erit, omnes Reges vel esse infantes, vel satis perfecti firmique judicii? Quod si admittere tenemur, omnino tam imbecille, tam infirmum, tam inhabile judicium alicujus Regis illiuc esse potuisse, ut sibi ad paciscendum usus rationis suæ non sufficeret, rem admittimus, quocunque tandem nomine eam expresseris, si obstaculo minorennitatem fuisse solis asserere. Nulla lex naturæ pupilli pupillæve ætatem præcise ad annum decimum quartum duodecimumve extendit, numne ergo, quia lege civili sic dispositum cernimus, *ut pubertas in masculis post decimum quartum annum completum illico initium accipiat, fœminæ* vero *post duodecim annos completos viri potentes esse credantur*, in princ. *instit. quibus modis tutela finitur*, itidem dicendum erit, jus naturæ de pubertate nihil constituisse & altissimum de pubertatis defectu silentium esse in omni naturæ lege? Ex annis certe nec pupillarem ætatem, nec sic dictam minorennitatem lex naturæ judicat, sicuti *nec Veteres pubertatem solum ex annis, sed ex habitu corporis in masculis æstimari volebant, in princ. Instit.* dict. *tit.* eum enim ipsi puberem esse dicebant, in quem, ut *Ulpianus* loquitur, *utrumque concurrebat & habitus corporis & numerus annorum.* Ad alia igitur signa respiciendum est, ex quibus maturitas aut nimia impo-

impotentia judicii satis colligi queat. quod tandem adjiciebatur, habere ejusm di extraneum, quod dicat ad Regem: Su ficit te fuisse ejus ætatis, qua quidem reru tuarum arbitrium & negotii gesti neces rium judicium habuisti, neque etiam reap læsum esse, de cæteris quicquid etiam ju tua circa minorennitatem dixerint, me n ferit, aut tu illo prætextu a fide liber eri nil est nisi petere id, quod in principio qu rebatur, quam fallaciam petitionis e traneus his | suis verbis commisisset. mnino casus dari possunt, in quibus R rerum suarum plenum arbitrium & per n gotii gesti necessarium judicium habu reapse etiam læsus est. Quod deinde contractu Regis minoris multumque la cum subdito initi notabatur, legem civile suæ civitatis cives obligare, in ipsum ve Principem qua Principem nihil posse; es sed semper huc tandem totum negotiun redit, ac si subditus diceret: Ex jure civ restitutio non habet locum adversus R gem minorem E. nec ex jure natura quis vero non videt lubricam hujus col ctionis rationem?

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occasionem quæstionis suppo tat *Grotius* §. 1. n. 2. Et ut ingenue fat mur, quod res est, non apparet, quodn periculũ Rebuspublicis immineat, si dicat ad imitationem locutionis apud JCtos

ce

ptæ, ob minorennitatem adversus Regis
noris & valde læsi contractum restitu-
oni locum esse, ut tamen sic dicta mino-
nnitas Regis non ex annis, sed ex aliis
rcumstantiis, inprimis ex defectu satis fir-
i & ad magni momenti negotia omnino
ecessarii judicii, ex quotidianis Principis
ctibus, ut & (quod inprimis observandum)
x continuo instituto & moribus istius rei-
ublicæ æstimetur.

CAPUT XV.

De

FOEDERIBUS AC SPONSIONIBUS.

§. I.

COnventio alia fit *de republica*, alia de re privata. *Conventionis distinctio.*

[*Grotius cap. 15. §. 1.*]

NOTÆ.

I. Egimus præcedenti capite de publicis
c privatis conventionibus ratione deno-
ninationis sumta ab efficiente causa, *hoc*
utem *capite* nobis propositum est, agere de
onventionibus publicis & privatis, sic di-
tis in ordine ad objectum.

II. Uti namque excellentior conventio
dicenda est ratione causæ efficientis, quæ
sit

fit a Principe, item ratione subjecti, quæ cum Principe, quam quæ fit a subdito a cum subdito: Ita excellentior species, a si malis ita loqui, modus conventionis e quando objectum conventionis est res p blica, quam si sit res privata.

III. Facilioris discriminis gratia int conventionem publicam & conventione de re publica, item inter conventionem privatam & de re privata distinguere pl cuit, quamvis pro diversa ratione denom nationis conventio de re publica possit d nominari publica ab objecto, æque ac co ventio publica in præcedenti capite ab e ficiente vel etiam subjecto denominab tur.

IV. Et certe fieri potest, ut conventio publica, hoc est, a Principe aut cum Prin pe facta, nec tamen de re publica, sed p vata, ut quando a subdito Princeps en aut subdito vendit ædes privatas: E co trario potest esse conventio de re public ut tamen non sit publica, sed privata, cum sponsionibus comparatum est, c mox pluribus tradetur.

Conventionis de re publica distinctio. §. 2. Conventio de re publica d plex est: *fœdus & sponsio.*

[*Grotius §. 2.*]

Fœdus quid? §. 3. Fœdus est conventio de r publica a principe, hoc est, *summa p testa*

tate facta, *& in qua ipse populus iræ* *vinæ obstringitur, si minus stetur* *tis.*

[*Grotius* §. 3. *n.* 1.]

NOTÆ.

I. Unde fœdus dictum sit, variant erudi-rum Virorum judicia. Nonnulli manasse tant a *fide*, quod illa interponitur in fœ-re, unde & Feciales dicti Sacerdotes, per os fiebant fœdera. Alii deducunt ab ad-erbio fœde & cædendo, quia apud Roma-os ad fœdera facienda utrinque feciales dhibebantur, qui firmato fœdere porcum edebant silice, ejusmodi exilium impre-antes capiti illius, qui prior fœdus violas-t, *Livius lib.* 1. Hic tamen modus pangen-i fœdus non fuit unus idemque semper, ve varios populos alios, sive ipsum unum omanum spectemus: alibi sane alium ri-um adhibitum fuisse constat. Nimirum pud Romanos simul atque de fœdere inter artes convenerat, Fecialis sumpto in ma-ibus lapide dicebat: *Si sine dolo malo hoc* *œdus facio, Dii mihi cuncta felicia præstent,* *n aliter aut ago aut cogito, cæteris salvis so-* *s ego peream, ut hic lapis de meis manibus* *ecidet*; & mox lapidem dejiciebat. Scy-hæ vero hoc modo snaciebant: Infuso in randem calicem vino commiscebant eo-um sanguinem, qui ferirent fœdus, percu-

tientes

tientes cultello aut incidentes gladio ali quantulum corporis, deinde in calice tin gebant ſagittas, ſecurim, jaculum: hæc ſi mul atque feciſſent, ſe diris devoventes poculum evacuare, non modo ii, qui fœdus faciebant, ſed etiam comites illi, qui eran maximæ dignitatis. Hæc e Summi *Conrin gii diſſertatione de fœderibus* recenſere pla cuit.

II. Dicitur fœdus conventio de re pu blica, ut contradiſtinguatur conventioni bus Principum circa negotia privata. Di cat quiſpiam: Etiam civitates liberæ im periales fœdera poſſunt pangere. Reſpon detur: Habent ex parte Majeſtatem, hinc etiam coguntur fœderum legibus ſemper excipere, nihil factum iri, quod conventio nibus imperii adverſetur. Vid. laudatiſſi mus *Conringius* modo laudata *diſſertatione*.

Sponſio quid? §. 4. Sponſio eſt conventio de re publica, quæ non a Principe, nec eti am juſſu Principis fit, ſed ab alio.

NOTÆ.

I. Ita enim *Grotius* noſter: *De fœderum & ſponſionum diſcrimine adiri poteſt Livius L. IX. ubi recte nos docet, fœdera eſſe, quæ fi unt juſſu ſummæ poteſtatis, & in quibus ipſ populus iræ divinæ obſtringitur, ſi minus ſtet su dictis: ſponſio autem eſt, ubi hi, qui a poteſta*

te

te summa mandatum ejus rei non habent, aliquid promittunt, quod illam proprie tangit.

II. Provocat *Grotius* ad *Livium* ejusque inſpectionem apprime commendat: Ibi vero Caudinæ prolixam ſponſionis hiſtoriam videre eſt. Nam quod illam attinet, Poſthumius Conſul a Samnitibus in tantas redactus fuerat anguſtias, ut conditiones inire coactus fuiſſet, Romano nomine indignas, ceu *4. cap. Livius* refert, ipſe Conſul videns facti turpitudinem, ita deinde apud Romanos diſſeruit, atteſtante *Livio cap. 8. Cum me, ſeu turpi, ſeu neceſſaria ſponſione obſtrinxi, qua tamen, quando injuſſu populi facta eſt, non tenetur populus Romanus, nec quicquam ex ea, præterquam corpora noſtra, debentur Samnitibus. Dedamur per feciales nudi vinctique.* Et *cap. 5.* ipſe *Livius*: *Conſules profecti ad Pontium in colloquium, cum de fœdere victor agitaret, negarunt, injuſſu populi fœdus fieri poſſe, nec ſine fecialibus ceremoniaque alia ſolenni. Itaque non, ut vulgo credunt, Claudiusque etiam ſcribit, fœdere pax Caudina, ſed per ſponſionem facta eſt. Quid enim aut ſponſoribus in fœdere opus eſſet, aut obſidibus, ubi precatione res tranſigitur. Nomina Coſſ. Legatorum, Tribunorum, militum, qui ſpoponderunt, extant, ſi ex fœdere res acta eſſet, præterquam duorum fecialium, non extarent.* Quibus ſane verbis Poſthumius cum ipſo *Livio* ſat expreſſe diſcri-

men inter fœdus & sponsionem indicare, voluit, dum ille fœdus a se factum negat, sponsionem admittit, qua tamen populus Romanus non teneatur nisi velit. Missus enim fuerat Posthumius ad bellum suo arbitrio gerendum, non vero ad fœdus pro lubitu ineundum, quam facultatem prius a Romanis expectare necessum habebat. Scite *Arnoldus Clapmarius de Arcanis Rerumpublicarum L. I. c. 20. Pactum illud Caudinum non fuit pax, sed sponsio. Nam quod ajunt alii, captiunculam hanc fuisse Romanorum, nego. Quin potius prudenter a Ducibus pacta* (fœdera) *componi noluerunt, ne hi necessitate adducti, ut sunt momenta ac vires belli, infamia turpiaque facta inirent.* Mox pergit: *Quid si spopondissemus, ait Posthumius, urbem hanc relicturum populum Romanum; si incensurum, si Magistratus, si Senatus, si leges non habiturum?* Et tandem addit: *Debuit itaque pax non aliunde peti, quam Roma, quæ dicitur urbs æterna & caput rerum. Itaque deceptio non fuit, sed lex & jussum populi. Quid, quod ait Plinius L. VIII. Epist. Decipere pro moribus temporum prudentia est? Quin ergo imputant sibi suæq; ignaviæ Samnites, quod juris fecialis expertes fuerunt, statumque ejus reipublicæ, cum qua bella gerebant, ignorarunt. Nam ut est in l. 16. D. de Reg. Jur. Qui cum alio contrahit, vel est, vel esse debet non ignarus conditionis ejus, aut sibi impu-*

imputet. Hæc ille. Itaque satis aperte demonstrat discrimen sponsionis a fœdere *Livius*, idque propter merito a *Grotio* commendabatur, dum nempe ostendit, quod veram quidem conventionem de publica re Posthumius iniverit, non tamen fœdus, ut ita Romani non ideo stare noluerint hac conventione, quasi per vim bellicam fœdus cum Samnitibus fuisset initum, ut *Machiavellus* ipsis imputat, sed quod plane non fuisset fœdus initum, cum nequaquam in manu Consulis fuisset suo auspicio fœdus inconsulto Senatu Populoque Romano cum quopiam inire: Conf. testimonia & exempla a *Grotio §. 3. n. 1. & 2.* laudata.

III. Relinquitur ergo fœdus non posse fieri, nisi a Principe, hoc est, eo iisve, qui summum jus in rep. obtinent: Ita *in Regnis Regum est fœdus facere, Grotius §. 3. n. 1.* in Aristocratia Aristocratum, in Democratia populi. Sic Hieronymus Syracusarum Rex cum Annibale, ut narrat *Livius*, societatem fecerat: At postea Carthaginem misit ad fœdus ex societate faciendum.

§. 5. Fœdus aliud *constituit id, quod juris est naturalis*, aliud *aliquid ei adjicit*. *Fœderis distinctio.*

[*Grotius §. 5.*]

NOTÆ.

I. Mirari aliquis posset, cur *Grotius* ita fœdera distinxerit, cum quæ juris sunt natu-

ralis alias omnes omnino gentes gentiumque rectores per se obligent. Enimvero non contemnenda ratio suppetit, ob quam *Grotius* ita distingueret: scilicet olim, ut recte docet *Grotius, & fiebant sæpe prioris generis fœdera, & aliquo modo erant necessaria, inter eos, qui ante nihil contraxissent, idque inde ortum, quod regula illa juris naturalis, cognationem inter homines quandam esse a natura, ac proinde nefas esse alterū ab altero lædi, ut olim ante diluvium, & rursus aliquo post diluvium tempore malis moribus esset oblitemta, ita ut latrocinari & prædas agere in externos nullo bello indicto, pro licito haberetur,* nisi speciale fœdus intercessisset. Hinc illa apud *Homerum,* an prædones estis? amica interrogatio, cujus & *Thucydides* meminit, & in Solonis lege veteri collegia ἐπὶ λείαν ἐρχομένων, quippe, ut *Justinus* ait, ad Tarquinii tempora latrocinium maris gloria habebatur. Sic Corcyrenses olim ante belli Peloponnesiaci tempora hostes Atheniensum erant, sed nec pacem cum illis, nec inducias habebant, ut ex oratione Corinthiorum apud *Thucydidem* apparet. Hinc in Barbaros prædam exercere laudatum *Aristoteli,* & ipsa vox hostis veteri Latio nihil nisi externum significabat. Cæsar de Germanis: *Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiunt.* Accedit testis *Tacitus de moribus Germanorum* &

Saxo

Saxo L. XIV. Idem de Tyrrhenis ſcriptum eſt *Servio* ad *VIII.* & *X. Æneidos*, & *Diodoro Siculo* de Luſitanis &c. Vid. plur. *Grotius* noſter *§. 5.* & *annotationibus ad eund.* Apprime digna eſt, quæ hanc in rem maxime commendetur, de re literaria optime meriti *Thomaſii* eruditiſſima *Diſſertatio de Latrociniis gentis in gentem.* Huc refero Judæos, qui damnum datum ei, qui nec Judæus ſit, nec Judæis fœderatus, ſarciendum negant, nam quo animo affecti ſint erga Chriſtianos & Chriſtianorum bona, liquidum eſſe poteſt inde, illorum quippe verbum eſt: נכסי כותיים הרי הן במדבר כל המחזיק בהן זכה בהן hoc eſt, *Facultates gentilium ſunt communes inſtar deſerti: qui primus eas occupat, poſſeſſor eſt legitimus.*

II. De conventionibus, quæ juri naturæ aliquid adjiciunt, nunc unice agemus, quamvis forte nemo facile negaverit, etiam id, quod juris eſt naturalis, inter hoſtes, qui a bello diſcedunt, fœdere conſtitui, ceu *Grotius §. 5. n. 1.* monuit.

§. 6. *Fœdera ſunt aut æqualia, aut inæqualia.* *Alia diſtinctio fœderum.*

[*Grotius §. 6. n. 1.*]

§. 7. *Fœdera æqualia ſunt, quæ utrinque eodem modo ſe habent:* Ut: quando unum regnum cum alio pari jure & conditione fœdus init. *Fœdera æqualia quid?*

[*Grotius §. 6. n. 1.*]

Fœdera inæqualia quid?

§. 8. Inæqualia fœdera sunt, *quæ non utrinque se habent eodem modo.*

[*Grotius* §. 6. n. 1.]

Distinctio.

§. 9. *Utriusque modi fœdera aut pacis, aut societatis alicujus fiunt causa.*

[*Grotius* §. 6. n. 2.]

Fœdera pacis quid?

§. 10. *Fœdera pacis sunt, ut: quæ de restituendis captivis, rebus captis & ad securitatem conveniri solent.*

[*Grotius* §. 6. n. 2.]

Fœderum societatis distinctio.

§. 11. *Fœdera societatis* sunt iterum triplicis generis: *aut* enim *ad commercia pertinent, aut ad belli communitatem, aut ad res alias.*

[*Grotius* §. 6. n. 2.]

Fœdera æqualia commerciorum quid?

§. 12. *Fœdera æqualia de commerciis varia esse possunt puta utrinque ne vectigal ullum solvatur, quod in vetere erat fœdere Romanorum & Carthaginensium, excepto eo, quod scribæ & præconi dabatur; aut ne majus solvatur, quam in præsens.*

[*Grotius* §. 6. n. 2.]

Fœdera æqualia belli quænam?

§. 13. *Fœdera æqualia belli itidem variant, puta ut auxilia præstentur paria equitum, navium, sive ad omne bellum, quod Græci συμμαχίαν vocant, sive ad tuendos fines duntaxat, quod ἐπιμαχίαν, sive*

sive ad certum bellum aut in certos hostes, aut in omnes quidem, sed exceptis sociis, ut in fœdere inter Pœnos & Macedonas, quod apud Polybium est: quomodo & Rhodii, Antigono & Demetrio per fœdus auxilia promiserunt in hostes quosvis excepto Ptolemæo.

[*Grotius* §. 6. n. 3.]

Fœdera aliarum rerum quænam?

§. 14. *Fœdera ad res alias pertinentia sunt, ut ne in confinio alterius alter arces habeat; ne subditos alterius alter defendat, ne iter alterius hosti præbeat.*

[*Grotius* §. 6. n. 3.]

Fœderum inæqualium distinctio.

§. 15. *Ex æqualibus qualia sint inæqualia facile est intelligi.*

[*Grotius* §. 7. n. 1.]

Alia fœderum inæqualium distinctio. Fœdera ex parte digniori quænam?

§. 16. *Inæqualia fœdera aut talia sunt ex parte digniori, aut ex minus digna. Ex parte digniori, ut si quis auxilia promittat, nec restipuletur, aut majora promittat.*

[*Grotius* §. 7. n. 1.]

Fœderum ex parte indigniori distinctio.

§. 17. *Ex parte indigniori inæqualia* iterum sunt duplicis generis: *aut e*nim *cum imminutione sunt imperii, aut sine ejus imminutione.*

[*Grotius* §. 7. n. 1.]

Fœdera cum imminutione imperii quaenam?

§. 18. *Cum imminutione imperii, ut in secundo fœdere Carthaginensium cum Romanis, ne cui Carthaginenses bellum facerent injussu Populi Romani. Potest addi huic generi deditio conditionata, nisi quod illa non imminutionem, sed translationem totius imperii continet.*

[*Grotius §. 7. n. 2.*]

NOTA.

Talem conventionem fœderis nomine & *Livius* appellat ut *L. IX. Teates Apuli impetraverunt, ut fœdus daretur, neque ut æquo tamen fœdere, sed ut in ditione Populi Romani essent.*

Fœderum inæqualiũ sine imminutione imperii distinctio. Transitoria quaenam? Manentia quaenam?

§. 19. *Sine imminutione imperii onera aut transitoria sunt, aut manentia. Transitoria, de solvendo stipendio, de mœnibus diruendis, ut locis quibusdam decedatur; ut dentur obsides, elephanti, naves. Manentia ut de imperio & majestate comiter colenda. Huic proximum est, ut hostes & amici habeantur, quos velit partium altera: ne cui exercitui, cui cum altero bellum sit, per fines transitus commeatusve detur. Tum illa minora, ne arces certis locis ædificare, ne exercitum ducere, ne naves habere ultra numerum definitum, ne urbem condere, ne*

ne navigare, ne militem certis locis conscribere liceat, ne socios oppugnare, ne commeatu hostes juvare, ne recipere eos, qui aliunde veniunt, ut fœdera prius facta cum aliis dirimantur.

[*Grotius* §.7.n.3.]

NOTÆ.

I. Horum omnium exempla apud *Polybium, Livium*, & alios videre est.

II. Tantum de fœderum distinctionibus. Obiter addere liceat, quid de illa divisione fœderum sentiendum sit, quam Menippus, Regis Antiochi ad Romanos Legatus, commendavit, referente *Livio L. XXXIV.* tria asserens eorum fœderum, quæ inter se paciscerentur Reges civitatesque, genera: *Unum, cum bello victis dicerentur leges a victore, quo in genere quid victum habere, quo mulctari eum vellet, victoris esse arbitrium. Alterum, cum pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent. Tunc repeti reddique per conventionem res, & si quarum turbata bello possessio foret, eos aut ex formula juris antiqui, aut ex partis utriusque commodo componi. Tertium genus, cum, qui hostes nunquam fuissent, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coirent: Quos nec dicere leges, nec accipere.* Et erant apud Romanos hæc tria fœderum genera. Verum statuit *Grotius* noster hanc divisionem

magis ex temporum usu, ut & ex usu Menippi, quam ex præscripto artis, seu ad rigidas artis leges factam. Monstrat ipse *Grotius* abusum hujus distinctionis, dum nempe Menippus censebat, fœdera inæqualia tantum contrahi inter victores & victos, quod tamen falsum. Cæterum ipsa distinctio petitur ab objecto personali, æque ac Grotiana petita erat ab objecto reali. Personæ enim, quæ fœdus ineunt, aut extra mutui belli statũ vivunt, aut mutuo bello sunt implicitì: Si hoc, aut una pars est victor, altera victa, & hoc erat primum genus Menippicæ distinctionis: aut bello sunt pares, inde alterum genus. Si illud, tertium genus adest.

Fœderis effectus formalis.

§. 20. Effectus formalis ac perpetuus fœderis est obligatio.

NOTÆ.

I. Ideo *Grotius* de obligatione, quæ ex natura fœderum oritur, agere noluit, quia satis ea liquida est ex iis, quæ præcedentibus capitibus de obligatione ex promissis, pactis, contractibus aliisque conventionibus dicta sunt.

II. Multi fœdera ineunt non nisi fallendi gratia. Exemplo esto Octavianus Fregosus, qui objurgatus aliquando a Leone, Pontifice Maximo, cum quo ipsi fœdus erat, quod contra datam fidem Regi Galliæ suppe-

suppetias tulisset, hujus argumenti literas ipsi ad eluendum transmisit: *Grave quidem mihi futurum, me hominibus rationis status rudibus purgare, quod promissis non steterim: At quoniam mihi cum prudente ac præpotenti homine, Papa Romano, res est, quemque non latet, Principi vitio ac injustitiæ non dandum, si qua dilatandi regni aut evidentissimæ utilitatis gratia pacta non servet, nullus dubito, quin me facile excusatum sit habiturus. Lehmannus in Chronico Spirensi lib. 5. c. 60.*

III. Solet sæpe illa incidere quæstio: *si plures bellum gerant, utri potius opem ferre debeat, qui utrique est fœderatus? Grotius* noster respondet cum distinctione, dum nempe ante omnia ad causam belli utriusque respicere jubet, num ea justa sit, an injusta: Triplex namque casus obvenire potest: Primus, ut unus justam, alter injustam causam: Secundus, ut uterque injustam belli causam: tertius, ut uterque justam belli causam habeat. In primo casu, hoc est, si quis fœderatorum justam habet belli causam, alter minime, *Grotius* eum, *qui habet, præferendum* censet, non modo *si cum extraneo res sit*, sed *etiam si cum alio fœderato.* Idem *Oratione de Megalopoli* ostendit *Demosthenes*, Messeniis sociis contra Lacedæmonios item socios opem ferri ab Atheniensibus debere, si ab his incipiat injuria. Huc facit, quod in fidelitate feudali dicitur:

Etsi

Et si scivero, velle te aliquem juste offendere & inde generaliter vel specialiter fuero requisitus, meum tibi sicut potero præstabo auxilium. Addit tamen ipse *Grotius* limitationem: *Sed*, inquiens, *id ita verum, nisi convenerit hoc quoque, ne adversus eum auxilia mittere liceat.* In pactione Hannibalis cum Macedonibus erat: *Hostium hostes erimus, exceptis Regibus, civitatibus & portubus, quibus cum fœdus nobis & amicitia est.* In altero casu, id est, si fœderati inter se committantur causis utrinque injustis, (quod accidere potest,) putat *noster, utraque parte abstinendum esse.* In tertio denique casu, puta si fœderati in alios bellent, justa quisque de causa, *Grotio* judice, *si utrique auxilia mitti possunt, puta in milite aut pecunia, mittenda erunt, ut fit circa creditores personales.* At *si ipsius, qui promisit, præsentia requiritur, quæ individua est*, vult *Grotius*, ut præferatur, cum quo antiquius est fœdus; quod Acarnanes Spartanis dixere apud *Polybium*: eodemque referri potest Consulis Romani responsum Campanis datum: *Amicitias ita instituí par est, ne qua vetustior amicitia ac societas violetur.* Idem dixit Ptolemæus Atheniensibus, *amicis auxilia ferenda contra hostes, non contra amicos*, apud *Appianum in Legationum excerptis.* Adjicit tamen huic suo asserto *Grotius* exceptionem, *nisi fœdus posterius ultra promissionem aliquid*

habet

habet, quod quasi dominii translationem in se contineat, puta subjectionis aliquid. Nam & sic in venditione dixerat priorem præterri, nisi posterior dominium transtulerit, *capite* scilicet præcedenti *12. §. 5. n. 2.* Sc Nepesinis apud *Livium* deditionis quam societatis fides sanctior. Hæc *Grotius*, hanc demum superaddens ἐπίκρισιν: *Distingvunt hæc alii subtilius, sed quæ dixi, ut simpliciora ita veriora arbitror.* Enimvero accuratioris judicii rem esse malumus, num ita de simplici & ex meris naturalis æquitatis terminis, qui, quantum ad præsens, nimis generales videbantur, res decidi possit? & annon potius in quolibet bello, sive defensivo, sive offensivo ad articulos fœderis sit respiciendum, ut ita singulorum fœderum conditiones non nisi ex pactis conventis singulorum æstimandæ veniant? Illud si fieret, naturaliter obtineret, & juxta naturalem statum res expenderetur: At si statum legalem respicias, quoties fœderati hodie inter se committuntur, bella utrinque justa sunt, hoc est, juris gentium effectus præcipuos habent, modo utrinque auctore eo gerantur, qui summum imperium tenet in republica, & gentium ritus adsint, ceu ipse *Grotius L. I. c. 3. §. 4.* explicuit.

IV. Et hæc quæstio occurrit: *Num finito tempore fœdus tacite renovatum intelligi debeat?* Negativam tuetur *Grotius*: *non enim*

enim (quæ ipsius ratio est) *facile præsumitur nova obligatio.* Quod vero addit limitationem, *nisi ex actibus, qui nullam aliam interpretationem recipiunt*, vellemus cupide, ut *ipse* talismodi actus adjecisset, e quibus fœderis tacita renovatio tanquam sat idoneis signis colligi queat. Non enim facile tales occurrent, nec ex quibus benevolentia, ex iis statim tacitum fœdus præsumi debet.

V. Nec inutilis quæstio est: *Num, si pars una fœdus violaverit, possit altera a fœdere discedere?* Responsio tamen communis satisque frequens est, hoc fieri posse. Concinnam rationem *Grotius* reddit: *Nam capita fœderis singula conditionis vim habent,* sicque soluti fœderis culpam sustinent, non qui deserti ad alios se conferunt, sed qui, quam fœdere promiserant opem, re non præstant. Rupto uno articulo tota catena solvitur. Habet tamen, quod primo intuitu vix vidisses, hæc assertio suam restrictionem, quam addit *Grotius*: *Sed hoc*, inquiens, *ita verum est, ni aliter convenerit: quod fieri interdum solet*, ne ob quasvis offensiones a fœdere discedere liceat.

Sponsionis distinctiones.

§. 21. *Sponsionum tot esse materiæ possunt, quot fœderum.*

[*Grotius* §. 16. n. 1.]

NOTÆ.

I. *Distant enim hæc personarum facientium*

potesta-

potestate, hoc est, non ratione objecti, unde rationes distinguendi fœdera petebantur, a fœderibus, sed efficientis ratione differunt.

II. Equidem sponsio etiam latius sumitur, ut significat quamcunq; promissionem. Ita enim *Paulus* JCtus *l. sponsio 7. D. de verborum significatione : sponsio appellatur omnis stipulatio promissioque.* Interim hæc significatio non est hujus loci.

III. Quia & hic & in præcedentibus dictum est, sponsionem nec fieri a summa potestate, nec jussu summæ potestatis, atque inde facile liquet, sponsionem per se non obligare summam potestatem, merito in quæstionem venit: *Annon ea obliget summam potestatem ex notitia & silentio?* Non autem responderi potest, nisi una vel altera distinctione adhibita. Scilicet distincte consideretur 1. *num pure facta sit sponsio, an sub conditione, si rata haberetur a summa potestate.* Si sub conditione facta est sponsio, (olim namque in sponsionibus Ducum Romanorum plerumque adjungebatur illa clausula: *ita id ratum fore, si populus censuisset,*) *hæc conditio non impleta (debent autem conditiones diserte impleri) nullam facit sponsionem.* Quod recte convenit in sponsionem Luctatii cum Pœnis: accedebat, quod ea se populus, cujus injussu facta erat, teneri negaverat: itaque publico consi-

consilio aliud de integro fœdus factum erat. 2. Si pure facta est sponsio, videndum amplius, *an præter silentium summæ potestatis res aliqua accesserit, nec ne.* Si hoc, sponsio summam potestatem non obligat: *nam sine re aut facto aliquo silentium non satis probabilem voluntatis conjecturam suppeditat:* Si illud, hoc est, si actus aliqui accesserint, *qui ad aliam causam probabiliter referri nequeant, tum recte intelligetur actus ratus esse habitus:* quomodo probatum id, quod cum Gaditanis convenerat, notat *Cicero pro Balbo.*

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

An in Principis fœderibus ipse populus subditus iræ divinæ obstringatur, si minus stetur dictis?

§. 1.

PRO NEGANTE SENTENTIA ARG.

PRo negante sententia sequens proferri posse videbatur argumentum:

Si ex alterius contractu nemo obligatur, peccataque suos tenent auctores, sequitur, quod in Principis fœderibus ipse

ipse populus subditus iræ divinæ non obstringatur, si minus stetur dictis.

Prius est verum E. & Posterius.

§. 2. Verum affirmans sententia probari potest sequenti argumento: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA ARG.

Si populi subditi voluntas in Principis fœdere pendet a Principis voluntate, sequitur, in fœdere Principis ipsum populum subditum iræ divinæ obstringi, si minus stetur dictis.

Prius est verum E. & Posterius.

Consequentia patet: nam ipse Princeps iræ divinæ obstringitur, si minus stetur dictis: Si enim in homine privato deforme est, non stare promissis ac conventionibus, multo magis in Principe:

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

Circa minorem conferantur ea, quæ supra *lib. 1. c. 5. §. 4.* ut & *not. 1. p. 543.* diximus.

§. 3. Ad argumentum in contrarium allatum respondetur limitando majorem hoc modo: *Si ex alterius contractu nemo obligatur* nec sua, nec alterius voluntate, *peccataque* aliena voluntate aliis voluntaria *suos tenent auctores*, non item illos, quibus voluntaria sunt voluntate aliena, *sequitur, quod in Principis fœderibus ipse populus subditus iræ divinæ non obstringatur, si minus stetur* RESPONDETUR AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

tur dictis. Sic limitata majore negatur minor. Utut enim fœdera Principis non sunt voluntaria populo subdito voluntate propria, sunt tamen voluntaria voluntate aliena, nempe Principis, quia subditi Principi ut capiti membra subordinantur, maxime in ejusmodi negotiis, quæ concernunt tranquillitatem ac salutem totius Reipublicæ. Nam & Principibus non minus atque universo humano generi, imo magis quam privatis, opus est mutua fide, unde si fidem sueverint fallere, nec tuto illis credetur, quod in maximum detrimentum Reipublicæ cedet, cum Respublicæ sæpius aliorum amicitia auxiliisve opus habeant. Laudatissimus Rex Conradus III. symboli loco habuit: *NON DECET VERBUM REGIUM IMMUTARI.* Alphonsus Rex Neapolitanorum pronunciavit, tantum valere debere ad fidem Principum omniumque summarum potestatum verbum, quantum privatorum jusjurandum. Idem amavit Fridericus Barbarossa apud *Guntherum Ligur. l. 3.* ubi ita loquitur:

- - - - Jus & reverentia verbo
Regis inesse solet quovis juramine major,
Sancta & plena suo sint Regia pondere verba:
Non decet in labiis versari lubrica Regis,
Non decet ore sacro mendacia cudere Regem.

Dicta

Dicta semel nullum patiuntur jure recursum.
Ergo quid instigas jurando jura pacisci?
Pone metum curæ, vel non juratus habebo.

§. 4. Occasio quæstionis exhibebatur a *Grotio* §. 3. n. 1. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæstio II.

Num fœdera licite ineantur cum his, qui a vera religione alieni sunt?

§. 1. Pro negante sententia faciunt sequentia argumenta: PRO NEGANTE SENTENTIA

I. Si prudentis est vitare consortia impiorum, sequitur, multo magis prudentis esse, non inire fœdera cum his, qui a vera religione alieni sunt. ARG. I.

Prius est verum E. & Posterius.

II. Quæcunque fœdera DEUS tam severissime improbavit, ea licite iniri nequeunt. ARG. II.

Atqui fœdera cum his, qui a vera religione alieni sunt, DEus tam severissime improbavit E.

Minor patet *II. Paral. XIX, 2.* ubi *Propheta* ad Josaphatum de Rege Israelis: *ne improbo opitulari, & eos diligere, qui DEUM oderunt? At ob hoc ipsum exarsit in DEI ira.* Idem est, quod, teste *Zonara*,

Gratianus Valenti patruo contra Scythas opem petenti ſcripſit, *fas non eſſe socialia arma cum eo jungere, qui Dei ſit hoſtis.*

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

§. 2. Contraria ſententia in jure naturæ dubitationem non habet, a naturaque ſuggeri videtur, ut quocunque modo vitam tueamur: interim probatur ſequentibus argumentis:

ARG. I. I. Quodcunque jus ita omnibus hominibus commune eſt, ut religionis diſcrimen non admittat, eo omnino licet, cæteris paribus, inire fœdera cum his, qui a vera religione alieni ſunt.

Atqui jus naturæ ita &c. E.

ARG. II. II. Si nulla poteſt oſtendi circumſtantia, quæ intrinſece & per ſe fundet turpitudinem fœderis ut ſic cum his, qui a vera religione alieni ſunt, ſequitur, talismodi fœdera per ſe licite iniri poſſe.

Prius tamdiu eſt verum, donec intrinſeca aut univerſalis pravitas fœderis monſtretur ex circumſtantia, quæ per ſe eam fundet E.

Major patet: Studio autem ſingulari dicitur: quæ per ſe fundet turpitudinem fœderis ut ſic: multa enim per ſe licita fiunt per accidens illicita. Ita e. gr. fœdus religioni nociturum non eſt licitum, non tamen omne fœdus cum his, qui a vera religione alieni ſunt, initum religioni nocet: nam

cave

caveri poteſt, ne nimia commixtio contagium adferat infirmis, quam ad rem utile erit ſedes diſtingui, ſicut Iſraëlitæ ſeorſim ab Ægyptiis habitarunt.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata reſponderi facile poteſt, modo ea attendantur, quæ *præcedenti* §. pro vera ſententia dicta ſunt, & quidem

AD I.

Ad I. reſpondetur negando conſequentiam majoris. Non ſtatim prudentiæ monita ſunt legis naturæ præcepta: & illa ipſa monita, ut moralia pleraque, multas habent exceptiones. De eo ſaltem nunc quæſtio fuit, an intrinſece & per ſe turpe ſit fœdus cum his, qui a vera religione alieni ſunt, initum. Largimur facile, quod licet ex fœdere tali profanæ opes magnum ſint habituræ incrementum, omnino abſtinendum ſit extra ſummam neceſſitatem, quodque ſi aliunde adverſus vim injuſtam princeps ſe tueri queat, fœdus tale omnino illicitum ſit. Non enim jus quodvis ſufficit ad id committendum, quod veræ religioni ſi non directe, indirecte tamen nociturum probetur. Et ſane optandum eſſet, ut multi hodie Principes ac populi in animum admitterent liberam & piam vocem Fulconis Archiepiſcopi quondam Remenſis, Carolum Simplicem ſic admonentis: *Quis non expaveſcat vos inimicorum DEI amicitiam velle, ac in cladem & ruinam nominis Chriſtiani*

pagana arma & fœdera suscipere detestanda? Nihil enim distat, utrum quis se paganis societ, an abnegato DEO idola colat. Exstat apud *Arrianum* dictum Alexandri: *graviter eos delinquere, qui adversum Græcos Barbaris militarent contra Græcorum jura.* Prædicatur pietas Emanuelis Ducis Sabaudiæ, qui Cyprum ope Turcæ recuperare cum posset, noluit. Gloriosissimus Imperator Carolus V. ægerrime tulit, cum intellexisset, Franciscum I. Galliæ Regem cum Turciæ Imperatore fœdus contraxisse, proindeque illum non minus quam Turcam ipsum pro communi Christianorum hoste habendum in *Recess. Spirens. de anno 1544. §.* und demnach. *versic.* und dieweil/ & §. und so achten wir/ constituit. Dicitur ipse, palpitante adhuc pauxillum spiritu, sibi parentasse hocce ferali ejulatu: *Perii, heu! perii, quod volui esse fœderatus ei, qui est hostis Christiani nominis!* Sed ex his omnibus nondum colligi sufficienter potest, fœdera cum his, qui a vera religione alieni sunt, per se & prorsus illicita esse, inprimis si sint defensiva, vel etiã offensiva, si nempe summa necessitas urgeat & adversus vim injustissimam veræ ac Christianæ religionis assertor aliter se defendere nequeat. Ita Christiani Cæsares ab ejusmodi fœderibus abstinuerunt, quotiescunque necessitas visa est flagitare, ut ex multis historiis liquidum est. Fridericus II.

Impe-

Imperator non dubitavit, Saracenorum armis adversus vim Paparum sese defendere, frustra illis rigentibus.

Ad II. respondetur, negando propositionem majorem, si ita formetur: Quicquid DEUS severissime improbavit, hoc per se illicitum. Allatum *Scripturæ sacræ* dictum quod attinet, DEUS non improbavit fœdus illud propter adversæ partis contrahentis ἀπιστίαν, sed propter qualitatem illam pravam, quæ Josaphatum ad fœdus ineundum permoverat. Nam quod ex ipsa natura fœderis hoc non venerit, vel hinc evincitur, quod graviter increpitus est Josaphatus, etiam diris additis, eo nomine, quod commercii causa societatem iniisset cum Ochozia Rege Israëlitarum similem ei, quam David & Solomo inierant cum Hiramo, quos eo nomine partim non reprehensos, partim laudatos fuisse constat. Et certe distincti generis quæstiones sunt, quando de naturæ jure, & quando de jure divino quæritur. Quamvis extra dubitationem positum sit, jure quoque divino licita fuisse fœdera. Ante Mosis legem licuit, ut exemplo suo nos docet Jacob cum Labane fœdus iniens *Gen. XXXI, 44.* Neque id lex per Mosen data mutavit, eoque populus Israëliticus cum omnibus vicinis populis (solis exceptis septem populis divina sententia damnatis, cujus sententiæ executores e-

RESP. AD ARG. II.

rant delegati Israëlitæ, nam his in idololatria perstantibus & imperium detrectantibus parcere vetabantur, quibus itidem decreto divino additi sunt Amalecitæ) jussus est amicitiam colere. Idem pluribus exemplis e Sacris confirmat *Grotius* noster *integro §. 9.* qui omnino inspiciatur. Add. *numerus tertius & quartus paragraphi 3.*

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occasionem quæstionis exhibet *Grotius §. 8. 9. 10. 11. & 12.* & sane digna erat ventilatione quæstio, eoque magis, si in memoriam revocemus tot fœdera Imperatorum aut Regum Christianorum aut cum non Christianis, aut cum non sane Christianis facta, ut Constantini cum Gothis & Vandalis, Justiniani cum Langobardis: cum Saracenis, Alanis, Gepidis, Francis, Svevis, Vandalis Theodosii, Honorii, Leonis, Heraclii, Basilii, Isaacii, Angeli, Palæologi: cum Mauris Regum Hispaniæ Alfonsi Hispalensis, Ramiri, Alfonsi Casti, Sanctii Castellæ, Ferdinandi cognomine Sancti: Petri Legionis Regis: Alfonsi Castellæ Regis prudentissimi: cum Tartaris Rodolphi Habspurgensis: cum Turcis Julii II. Pontificis.

Quæstio III.

An sponsor omnem fidem liberaverit, si operam omnem dedisset, ut id, quod spopondit, fieret?

§. 1.

§. I.

PRo affirmante sententia sequentia facere videntur argumenta: PRO AFFIRMANTE SENTENT.

I. Si, qui factum alienum promisit, non tenetur ad id, quod interest, modo facere non omiserit, quod ex sua parte ad id factum obtinendum facere poterat, sequitur, quod etiam sponsor omnem fidem liberaverit, si operam omnem dedisset, ut id, quod spopondit, fieret. ARG. I.

Prius est verum E. & Posterius.

II. Per quemcunque non stetit, quin præstaretur, ille omnem fidem liberavit, si operam omnem dedisset, ut id, quod promisit, fieret. ARG. II.

Atqui per sponsorem non stetit, quin id, quod spopondit, præstaretur E.

Sponsor omnem fidem liberavit, si operam omnem dedit, ut id, quod spopondit, fieret.

Major probatur, quia ad impossibile nulla obligatio.

III. Quicunque sub conditione promisit, aut convenit cum altero, is non adimpleta citra sui culpam conditione non obligatur. ARG. III.

Atqui omnis sponsor eo ipso quod sponsionem fecit, sub conditione spopondit E.

Major patet, quia nulla promiſſio aut conventio conditionata obligat, niſi adimpleta conditione: Unde nemo eorum, qui promiſerunt aut convenerunt, tenebitur ex promiſſo aut conventione facta ſub tali conditione, quæ impleta non fuit, ut tamen ipſe, quantum in ſe, nihil omiſiſſet, quod ad ejus complementum facere poſſet.

Minor probatur, quia quilibet ſponſor aut ſub expreſſa, aut ad minimum tacita, conditione ſpopondiſſe præſumendus eſt, ita id ratum fore, quod ſpopondiſſet, ſi principalis, ad quem tempus non ferebat rem, deferri, cenſuiſſet.

PRO NEGANTE SENTENTIA

§. 2. Negativa ſententia probatur ſequenti argumento:

ARG. I. I. Omnis conventio abſoluta ſimpliciter obligat.

Atqui ſponſio eſt conventio abſoluta E. & per conſequens ſponſor nondum, omnem fidem liberavit, etſi operam omnem dediſſet, ut id, quod ſpopondit, fieret.

Major patet.

Minor probatur, quia nulla poteſt oſtendi conditio, ſub qua ſponſor ſaltem ſe obligaſſe dicendus ſit.

ARG. II. II. Si ſponſor omnem fidem liberaſſet, hoc ipſo, quod operam omnem dederat, ut id, quod ſpopondit, fieret, ſequitur, quod obligatio a ſponſione ſit ſeparabilis.

Con-

Consequens est absurdum E. & antecedens.

Consequentia probatur, quia sponsor, voluisset simpliciter spondere, obligare tamen se noluisset.

Absurditas consequentis est manifesta. Nam ut obligatio a promissione, contractu, fœdere, aliis conventionibus inseparabilis est, ita quoque necessarius effectus sponsionis credi debet.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

ARG. I.

Ad I. negando consequentiam majoris. Nam hujus negotii, quale sponsio est, natura obligationem inducit strictiorem: Ei quippe contractus inest; at qui contrahendo aliquid de suo dat aut promittit, is vicissim præstari reipsa sibi aliquid vult: Est igitur contra utriusque partis, cum sponsoris, tum ejus, cui sponsio facta est, intentionem, si non amplius sponsorem obligatum dicere velis, quam quemcunque alium, qui factum alienum promisit. Ita sane *jure Civili*, quod facti alieni promissiones repudiat, promissio ratam rem haberi ad id, quod interest, obstringit. Quidni igitur sponsione sponsoris bona primum ad id, quod interest, & si ea non sufficiant, corpus ad servitutem obligari dicamus, si rem ex genuinis Principiis æstimare velimus. Fabius olim Maximus cum pactum quoddam ejus cum

cum hostibus factum Senatus improbasset, fundum suum ducentis millibus vendidit, & fidei satisfecit, ut est apud *Diodorum Siculum* & *Valerium Maximum.* Samnites vero Brutulum Papium induciarum ruptorem simul cum bonis suis dedendum recte censuerunt, ut *Dion* testis est.

RESP. AD ARG. II. Ad II. respondetur negando iterum majorem propositionem ob rationem præcedenti responsione datam. Non enim ipse principalis, cujus factum absque injussu ipsius spondebatur, ullam in partem obligatur. Bene enim Romanis Posthumius: *Hosti nihil spopondistis: civem neminem pro vobis spondere jussistis. Nil ergo vobis nec nobiscum est, quibus nihil mandastis; nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egistis.* Bene idem: *Injussu populi nego, quicquam sanciri posse, quod populum teneat:* & hoc non minus recte: *si quid est, in quod obligari populus possit, in omnia potest.* Sunt quidem, qui ajunt, captiunculam hanc fuisse Romanorum, qui pacto stare noluerint. Ita enim scribit *Vellejus L. 2. c. 1. Numantia Pompejum, magni nominis Virum, ad turpissima deduxit fœdera, nec minus turpia & detestabilia Mancinum Hostilium Cos. Sed Pompejum gratia impunitum habuit, Marcinum verecundia: quippe non recusando perduxit huc, ut per feciales nudus ac post tergum religatis manibus dederetur hostibus. Quem illi recipere*

cipere negaverunt, ſicut quondam Caudini fecerunt, dicentes: Publicam violationem fidei non debere lui unius ſanguine. Sed nulla fuit fidei publicæ violatio nec in Caudina, nec in Numantina ſponſione. Quin potius Romani prudenter a Ducibus pacta componi noluerunt, ne hi neceſſitate adducti, ut ſunt momenta ac vices belli infamia turpiaque pacta inirent, ceu ſupra *p. 1041.* dictum eſt. Ergo nec ad id, quod intereſt, nec ad reſtitutionem Romani tenebantur, cum quibus ſi negotium ſibi eſſe voluiſſent Samnites, retinere exercitum apud Furculas Caudinas debuiſſent, & Romam legatos mittere, qui cum Senatu ac Populo de pace ac fœdere agerent, ut quanti ipſis eſſet exercitus incolumitas id ipſi æſtimarent. Tum demum ſi pactis ſtatum non eſſet, potuiſſent dicere, quod & ab ipſis & a Numantinis dictum ajebat *Vellejus*, publicæ violationem fidei non debere lui unius ſanguine. Quod ſi fide ſponſorum (ii erant Conſules duo, Quæſtores duo, Præfecti IV, Tribuni XII, narrante *Appiano*, hi omnes dediti ex Caudino ſponſu) & ſexcentorum, quos imperarunt, obſidum fuerunt contenti Samnites, habent, quod ſibi imputent: Idem de Numantinis dictum eſto.

Ad III. reſpondetur negando propoſitionem minorem. Ad probationem dicimus, quod ſponſio ſub expreſſa conditione facta RESP. AD. ARG. III.

non

non ſit ſponſio: nam qui ſpopondit ſub hac expreſſa conditione, ſi rata haberetur a principali, is ita ſe geſſit, ut nihil abſolute loquendo ſpoponderit, ſi conditio non impleatur: At quando dicebatur, quod ſi expreſſa conditio non adſit, is, qui ſpopondit, præſumendus ſit tacita conditione ſpopondiſſe, ita ſcilicet id, quod ſpopondiſſet, ratum fore, ſi principalis, ad quem tempus non ferebat rem deferri, cenſuiſſet; hoc eſt, quod negatur. Nemo enim pro principali poteſt ſpondere. Ita Angli belli gerendi cauſa profecturi ad exteros, Regi ſuo ſancte promittunt & conceptiſſimis verbis, ſe nullas conditiones pacis cum hoſte firmaturos citra Regis ac Procerum voluntatem, *Froſſard.* Numne ſi poſtea ſpondeant, eos ſub tacita conditione pro Rege ſpopondiſſe dixeris?

Occasio quæstionis. §. 4. Occaſionem ſat amplam *Grotius* præbuit *§. 3. n. 3. & §. 16.*

CAPUT XVI.

De

INTERPRETATIONE inprimis PROMISSORUM, PACTORUM, CONTRACTUUM, JURAMENTORUM, FOEDERUM, SPONSIONUM, LEGUM.

§. 1.

§. 1.

INterpretatio est declaratio veri ac genuini sensus. *Interpretatio quid?*

NOTÆ.

I. Ideo *Grotius* hic de interpretatione agere voluit, quia si ulla in re morali aut civili, maxime in promissis, pactis; contractibus, juramentis, fœderibus, sponsionibus, de quibus hactenus prolixam tractationem instituerat, doctrina hermenevtica opus est.

II. Distingui alias solet inter veram interpretationem & falsam interpretationem: verum falsa interpretatio absolute loquendo non est interpretatio. Nam, ceu mox ostendemus, sensus est significatio vere intenta ab enunciante: At falso interpretari est significationem non intentam ab enunciante pro sensu enunciationis venditare, quod idem est ac non sensum pro sensu vendere, id quod pluribus in hujus tractationis progressu explanabitur.

III. Interim non confundi debent vera interpretatio & certa interpretatio: nam potest locũ habere interpretatio vera, quæ tamen non sit satis certa, sed saltem probabilis: Et potest probabilis interpretatio dari, quæ tamen non sit vera. Non ergo omnis interpretatio vera est certa, nec omnis interpretatio probabilis est vera.

§. 2.

Discrimen significationis verborũ a sensu, itẽ expositionis ab interpretatione.

§. 2. Aliud est significatio verborum, aliud vero sensus: Sic ergo aliud est expositio (verborum), aliud interpretatio.

NOTÆ.

I. Eo rectius & cautius hæc distinguenda veniunt, quo imprudentius & turpius a non paucis confundi videas.

II. Et certe pluribus modis inter se differunt hæc duo: Significatio verborum & sensus. Liceat præcipua indicare discrimina: (1.) Significatio verborum datur etiam extra omnem enunciationem ac quæstionem: At prorsus impossibile est, sensum dari extra omnem propositionem aut quæstionem. Ita qui dictionaria & lexica evolvit, significationes verborum invenit, sensum autem si quis quærere vellet in nudis vocabulis extra omnem enunciationem aut quæstionem positis, certe laterem lavaret. (2.) Non ergo ubi significatio verborum datur, ibi sensus datur, quamvis ubi sensus datur, ibi detur verborum significatio: Nempe ibi demum datur sensus, ubi subjectum & prædicatum locum habent; Subjectum autem & prædicatum non habent locum nisi in enunciationibus & quæstionibus. (3.) Unde sensus semper arguit quandam significationem verborum, sed significatio verborum non statim importat sensum:

ſum: Ita nullum ſenſum eſſe diximus in nudis vocibus extra omnem enunciationem aut quæſtionem poſitis. Id propter Logici diſtingvunt inter vocem & terminum, cum omnis terminus ſit vox, ſed non omnis vox terminus: Termini enim ſunt voces, e quibus propoſitiones aut quæſtiones conſtant. (4.) Si terminis Philoſophorum diſcrimen ſignificationis verborum a ſenſu exponere liceat, ſignificationem verborum diſtinctam diceremus a ſenſu ut materiale ab eo, cujus materiale eſt. Cujuslibet enim enunciationis aut quæſtionis ſenſus in duobus quaſi conſiſtit, quorum unum materiæ, alterum formæ reſpondet. *Materiæ* rationem habet ſignificatio vocum, e quibus prædicatio conſtat: Intentio loquentis aut ſcribentis intrinſeca quaſi forma & anima ſenſus eſt, quia ſenſus enunciationis aut quæſtionis procedit in eſſe ſuo ab intentione loquentis aut ſcribentis. (5.) Hinc quod amplius notare libet, fieri ſolet, ut quando voces, quæ ingrediuntur quæſtionem aut enunciationem, plura ſignificant, plures ejusdem quæſtionis aut enunciationis poſſint eſſe ſignificationes, ut tamen non niſi unica cujusvis vocis in quæſtione aut enunciatione poſitæ ſignificatio intendatur a quærente aut enunciante, adeoque unus idemque ejusdem quæſtionis aut enunciationis maneat ſenſus. Nam, ut dictum eſt,

ſenſus pendet ab intentione quærentis aut enunciantis. Sumamus exemplum rude & facile: Ita ſi quis dicat: Unum idemque numero, quod ante fores meas eſt tibique monſtrare cupio, eſt gallus: hujus quidem propoſitionis duæ poſſunt eſſe ſignificationes, prima, quando gallus gallinaceus; altera, quando homo e Gallia oriundus ſignificatur: Jam ſi utraque ſignificatio ſimul ſenſus eſſet, utique ſane hæc propoſitio ſimul vera & falſa eſſet, quo nihil abſurdius.

III. Itaque cenſura digni ſunt, qui inter *ſenſum literæ* & *ſenſum literalem* diſtingvunt: Illum appellant propriam enunciationis aut quæſtionis ſignificationem, ſi ſpectetur præciſa intentione enunciantis aut quærentis, hoc eſt, ejus qui format enunciationem aut quæſtionem: Hunc nuncupant ſignificationem prædicationis, ſive ſit propria, ſive impropria, ut ab eo, qui formavit enunciationem aut quæſtionem eſt intenta. Item iſti, qui ſenſum literalem volunt dupliciter accipi, nunc ut opponitur *ſignificationi impropriæ*, nunc ut *ſignificationi non intentæ*. Rectius enim & cum judicio rem ponderanti patebit facile, nec ſenſum literæ, nec ſenſum literalem, quatenus opponitur impropriæ ſignificationi, proprie & accurate loquendo ſenſum eſſe, ſed confundi vocum ſignificationem cum ſenſu, quæſtionis aut propoſitionis ſignificationem cum ejusdem ſenſu.

IV.

IV. *Sensus* etiam *mentis* vocabulo nuncupari solet.

§. 3. *Rectæ interpretationis mensura est collectio mentis ex signis maxime probabilibus.* *Quænam sit mensura recta interpretationis?*

[Grotius cap. 16. §. 1. n. 2.]

NOTÆ.

I. Is nempe novit artem interpretandi, qui novit erudite ac solide respondere ad quæstionem: *Unde scis, hunc esse sensum verborum propositionis aut quæstionis, & non alium?* hoc est, unde scis, hanc esse significationem verborum, ex quibus propositio aut quæstio constat, & non aliam fuisse intentam ab eo, qui sensa animi sui certis verbis indicare voluerat?

II. Commodissima ac receptissima signa mentis, h. e. sensus, sunt verba.

III. Studio simul & enunciationis & quæstionis mentionem fecimus, siquidem & enunciationis & quæstionis sensus colligitur, nullaque datur enunciatio, quæ nulli respondeat aut respondere quæstioni possit. Accedit, quod eadem verba sint, quibus quæstio, & quibus enunciatio quæstioni respondens absolvitur. Nam quæstio & enunciatio saltem in hoc differunt: quæstio qua talis nihil affirmat, nihil negat, omnis autem enunciatio est vel affirmativa vel negativa; quæstio qua talis nec vera est, nec

falsa: omnis vero enunciatio est vel vera, vel falsa.

IV. Recte igitur inquirendum est & in verborum significationem, quamque varia ac multiplex sit verborum, ex quibus enunciationes constant, significatio, & quænam significatio in sermone proposito ex mente sermocinantis obtineat, aut obtinere debeat? Id propter (quod obiter & tanquam aliud dicentes notamus) omnino laude digni videntur isti, qui terminorum in ea disciplina, quam præ cæteris excolere satagunt, frequenter occurrentium significationes usu receptas sibi apprime familiares ac perspectas reddunt, priusquam ad altiora tendant. Unde enim fit, quod tam multi non πεπαιδευμένοι terrentur, arbitrati, in clarissima Philosophiæ luce omnibus tenebras offundi, nisi quia statim ad ardua non pauci tendunt, utut nondum in minimis, tamen necessario prærequisitis rudimentis versati sint? Idem officium cum laude disputaturis incumbit, ne dum in ipso conflictu ad manus deveniendum est, ut fieri assolet ab imperitis militibus, arma quærantur, quæ dudum parata esse debuerant, & quibus utendum erat. Egregio exemplo esse potest integer satisque elegans titulus *in Digestis de verborum significatione*, quem si vel obiter quis inspiciat, viderit facile, quantæ utilitatis sit, significationem verborum

rum sæpius in Jurisprudentia occurrentium sibi notam reddidisse.

§. 4. *Signa maxime probabilia*, ex quibus mens colligitur, *sunt duum generum: verba & conjecturæ aliæ.* *Signa interpretationis quotuplicia?*

[*Grotius §. 1. n. 2.*]

NOTÆ.

I. Utriusque generis signa aut *seorsim*, aut *conjunctim* considerantur.

II. Ut rectius in verborum significationem inquiri possit, quasdam verborum distinctiones eo facientes, indeque ortas interpretationis regulas consultum erit adducere.

§. 5. Verba I. alia sunt *popularia*, alia *technica*. Illa sunt passim vulgari consvetudine trita: hæc certæ disciplinæ aut facultati propria sunt. *Verborum distinctio.*

[*Grotius §. 2. & 3.*]

NOTÆ.

I. Sunt, qui distingvunt vocabula popularia iterum in popularia stricte sic dicta & classica: hæc in classicis autoribus inveniuntur, illa alias vulgari teruntur consvetudine.

II. Technica vocabula a *Grotio artium vocabula appellantur*, artis voce pro disciplina sumta: Ita *n. 30. Prolegom. Grotius* artis vocabulo iteratis vicibus utitur.

Regula 1. §. 6. Hinc sequentes duæ regulæ notari merentur: Prima: *In interpretatione promissorum, pactorum, contractuū, legū, si nulla sit conjectura, quæ ducat alio, verba popularia intelligenda sunt ex proprietate, non grammatica, quæ est ex origine, sed populari ex usu, quem penes arbitrium est & jus, & norma loquendi.* Uno vel altero exemplo hanc regulam illustrare facile est: Ita *stulto perfidiæ effugio usi sunt Locri, cum polliciti se pactis staturos, quamdiu terram hanc insisterent & capita humeris gestarent, terram calceamentis injectam, & alliorum capita humeris imposita abjecerunt, quasi eo modo religione*, qua Siculis se obstrinxerant, *possent exsolvi*, quæ historia apud *Polybium L. XII.* extat. Simile apud *Thucydidem L.V.* quod *Bœoti urbem polliciti reddere, non stantem sed eversam reddidere.* Item, *quod Mahometes Sultanus, Eubœa capta, eum dissecuit, cui caput incolume fore promiserat.*

Regula 2. §. 7. Secunda regula: *In artium vocabulis, quæ populus vix capit, adhibenda erit artis cujusque prudentum definitio:* ut *quid sit Majestas, quid parricidium*, quid

quid adulterium, quid natura turpe? sic *si in pactis de exercitu dictum fuerit, definiemus exercitum esse eam militum multitudinem, quæ palam fines hosticos ausit invadere, ut ita pro viribus hostium æstimetur, quæ copiæ exercitum faciant.* Pari modo *de classe erit æstimandum.* Sic *arx est locus, qui arcere hostilem exercitum ad tempus possit.*

[*Grotius* §. 3.]

NOTÆ.

I. Lubet obiter tangere quæstionem: an doctrinæ aut eruditæ disputationis gratia quæstionem propositurum oporteat terminos, e quibus formatur quæstio, sumere in ea significatione, quam usus probat? Constans quidem & communis cordatorum Virorum hæc fuit sententia, sed forte aliam vocem hodie audias, quod quisque pro philosophandi libertate terminos accipere possit in ea significatione, quæ sibi placuerit, adeo ut quisque teneatur quoad nudam intelligentiam accipere verbum aut phrasin in ea significatione, quam alter expresse definiverat: Liceat interim quasdam rationes e præcipuis adferre, quibus ostendatur, terminos non esse accipiendos ut libet, sed ut usu licet. Urgeri (*a*) poterat jus præscriptionis, quo termini technici, hoc

est, certis disciplinis ac facultatibus proprii seipsos tueri queunt. Multis enim retro seculis plurimi termini, qui hodie a novitatum amantibus rebaptizantur, suas significationes obtinuere, quis igitur eos e possessione extrudet? (β) Inter regulas humanæ societatis est, abstinendum a verbis esse, etiam quæ facile in alienum sensum, multo magis quæ in sensum nunquam auditum, nunquam intentum possunt accipi. Utique enim verba sunt signa sensus. (γ) Si termini populares ex usu populari, classici ex classicorum usu suam significationem habent, quidni idem in technicis terminis cujusvis disciplinæ prudentum usus communis obtineret. (δ) Cui usui? magisne juvabitur eruditio, si novis veterum terminorum acceptionibus crucem figas lectoribus, quam olim exædificari potuit Babylonica turris, cum tamen semper tandem recurrere necessum habeas ad communem & receptum loquendi usum? (ε) Sicut entia non sunt multiplicanda præter necessitatem, ita nec vocabula, præsertim in Philosophia morali, ubi periculosius errari contingit, maxime in Theologia, ubi caute admodum loquendum est, & ut animos, ita & sermones eosdem esse convenit, juxta illud:

Qui fingit nova verba, simul nova dogmata fingit.

Sæpe fit, ut minus cauti non curent & observent

ſervent aliorum machinationes, dum bona fide credunt, tantum novos modos loquendi adhiberi, utut interea rebus ipſis bellum indicatur. (ζ) Adeſt communis eruditiſſimorum ac celeberrimorum Doctorum conſenſus, quem una cum aliis rationibus oſtenſum videre eſt *in diſſertatione de ſtatu controverſiæ* ſub moderamine noſtro hanc in rem habitâ.

II. Eum, qui citra omnem neceſſitatem novos terminos morales fingit veteribusque novas ſignificationes imponit, nullibi, etſi minus commodæ aut impertinentes ſignificationes fuerint, accuſari poſſe niſi in judicio Grammaticali, non in Logico, multominus in Morali, a ſolidam doctrinam Logicam ac Moralem rectius æſtimantibus nunquam facile admittetur: Moralium namque Philoſophorum termini non ſunt grammaticales, ſed utitur Philoſophia Moralis ſuis terminis, quod omnium diſciplinarum ac facultatum eſt: Annon vero contra artis Logicæ regulas eſt citra omnem neceſſitatem uſum, qui optimus loquendi magiſter eſt, ſequi nolle, totque abuſus in Philoſophiam moralem introducere?

§. 7. Verba (enunciationis) ſecundo alia *evidentia* ſunt, alia *obſcura*. *Alia verborum diſtinctio.*

[*Grotius* §. 4.]

NOTA.

Obſcuritas verborum oritur vel ex homonymia, vel ex amphibolia. Ex homonymia, ſi in una voce ſenſus plures eſſe poſſint. Ex amphibolia, ſi in vocum complexione plures ſenſus eſſe queant. Utraque obſcuritas obtingere poteſt, ubi verba aut verborum complexio ſunt πολύσημα, id eſt, plures ſignificationes recipiunt.

Regula 3. §. 8. Inde tertia regula: *In verbis evidentibus non eſt recurrendum ad conjecturas.*

[*Grotius* §. 4.]

Regula 4. §. 9. Quarta regula: *Verborum evidens obſcuritas cogit recurrere ad conjecturas.*

[*Grotius* §. 4.]

NOTA.

Interdum ipſæ conjecturæ ita evidentes ſunt, ut ſponte ſe ingerant etiam contra receptiorem verborum ſignificatum. De his melius conſtabit ex mox *ſeqq.* quando ſcilicet locos, ex quibus voluntatis conjecturæ promuntur, tacturi ſumus.

Alia verborum diſtinctio. §. 10. Verba (enunciationis) tertio alia ſunt *abſurda*, alia *non abſurda*: Illa abſurdum ſenſum pariunt: hæc nullam manifeſtam abſurditatem indicant. [*Grotius* §. 4.]

§. 11.

§. 11. Regula quinta: *In verbis non absurdis non temere conjecturæ quærendæ sunt.* Regula 5.

[*Grotius §. 4. n. 1.*]

§. 12. Regula sexta: *In verbis absurdis conjectura assumta opus est:* Ita *ferrum deponere jussi satis fecerunt, si gladium deponant, non & fibulas, quod Pericles argutabatur.* Regula 6.

[*Grotius §. 4.*]

§. 13. *Loci, ex quibus voluntatis conjecturæ promuntur, præcipui sunt: ex materia, ex effectu, ex conjunctis.* *Quinam præcipui loci conjecturarum?*

[*Grotius §. 4. n. 2.*]

NOTA.

Ut certi loci dialectici ac analytici dantur, ex quibus peti possunt argumenta dialectica & analytica, quibus ad cujusvis facultatis quæstiones respondeatur; sic locis etiam hermenevticis opus est, ut decenter ac plene respondeatur ad quæstionem: *Unde scis hunc esse sensum & non alium?* Et optandum sane esset, ut cum dialectices & analytices, tum hermenevtices solida dogmata intra plurium animos reciperentur, nullum dubium est, fore ut multi & minoribus sumtibus & feliciori successu ad solidiorem eruditionem pertingant. Specimen perbreve, nec tamen inutile ejusmodi loco-

locorum hermenevticorum *Grotius* noster hic relinquere voluit.

Locus materiæ. §. 14. Ex loco materiæ sequens argumentum desumitur: *Verba eum in sensum sunt intelligenda, qui materiæ, de qua sermo est, congruit:* Ita verbum *donare sumitur pro transigere ex negotii qualitate.* Sic *armorum vox, quæ modo belli instrumenta, modo milites armatos significat, pro materia aut hunc, aut illum in modum erit interpretanda.* Ita *homines qui reddere promisit, vivos non mortuos reddere debet, contra quam cavillati sunt Platæenses.* Et *exitus ex urbe liber intelligi debet, ita ut & iter tutum sit, contra quam fecit Alexander.* Et *pars dimidia navium in divisione integrarum intelligi debet, non sectarum, contra quam Romani Antiocho fecerunt.* [*Grotius* §. 5.]

Locus effectus. §. 15. Ex loco effectus sequens argumentum peti potest: *In ambigua voce ea potius accipienda est interpretatio, quæ vitio caret.* Ita *non admittenda Brasidæ cavillatio, qui pollicitus agro Bœoto se decessurum, negabat agrum Bœotum esse, quem exercitu insideret, quasi de bellica*

lica possessione, non de finibus antiquis ea vox intelligenda esset, quo sensu inanis fuerat pactio.

[*Grotius* §. 6.]

§. 16. Ex loco conjunctorum sequentia argumenta depromi solent: I. *In dubio voluntas creditur sibi fuisse consentiens.* Seu: *Accedendum ei, quod minus ambiguum est, omisso eo, quod est obscurius.* Sic *apud Homerum, quod dictum erat inter Paridem & Menelaum, ut victori Helena cederet, ex posterioribus ita erit exponendum, ut victor is demum intelligatur, qui alterum occideret.* II. *Si certo constet, qua præcise causa voluntas dicentis mota fuerit, verba ita interpretanda sunt, ut huic rationi omnino conveniant.* Hoc modo *donatio ob nuptias facta vim non habebit, si nuptiæ secutæ non sint.* *Locus conjunctorum.*

[*Grotius* §. 7. & 8.]

NOTÆ.

I. Conjuncta sunt *aut origine, aut etiam loco.* Illa sunt, *quæ ex eadem voluntate proficiscuntur, etiamsi alio loco & occasione dicta:* Et in eis prior regula valebat: Ita puto prius quidem convenisse inter Paridem & Menelaum, *ut victori Helena cederet*, additam

tam vero deinceps fuisse alio tempore expressam conditionem, *ut victori, qui interfecisset victum, Helena cederet*, & ita posterius pactum priori derogasse *Grotius* censet.

II. Conjuncta loco sunt, quæ ex eadem voluntate proficiscuntur, eodem loco & occasione dicta: In his posterior regula obtinebat. Eadem maxima eleganter usus Dn. *Pufendorffius lib. 5. c. 12. §. 10. p. 720.* casum ab *Autore ad Herennium l. 1.* propositū nervose decidit. Casus hic est: *Lex* erat, *qui propter tempestatem navim reliquerunt, omnia perdant: eorum navis cæteraque sint, qui in navi remanserint.* Magnitudine tempestatis perterriti omnes navim reliquerāt, & in scaphā conscenderant, præter unum ægrotum, qui propter morbum exire & fugere non potuerat. Ita enim laudatus *Pufendorffius: Heic sane ratio legis fuit, ut qui ob navim servandam vitam suam periculo exposuit, aliquo præmio gaudeat. Quod ægrotus hic prætendere non potest, qui neque eo fine in navi remansit, neque ad eam servandam quicquam contulit.*

III. *Rationem legis cum mente* (sensu) *multi confundunt*, sunt tamen sat manifesta utriusque ab invicem discrimina. Nam primo differunt ut signum & signatum: ratio namque legis est *unum ex indiciis, quibus mentem venamur.* Secundo, *sæpe rationes*

sunt

ſunt plures, quibus tanquam cauſis voluntas enunciantis fuit mota, ut tamen unicus ſit enunciationis ſenſus. Tertio, interdum nulla ratio dari poteſt legis, ut tamen ſenſus legis detur, deque eo adhuc ſatis conſtet, quia quandoque *præter rationem voluntas ſemet ex vi libertatis ſua determinat, quod ad obligationem producendam ſufficit.*

§.17. Verba quarto alia *habent ſimul laxiorem & ſtrictiorem ſignificationem*, alia minime: Ita exempli gratia, *ſæpe nomen generis uni ſpecierum præſertim excellentiori peculiariter adhæreſcit*, ut: in vocibus *cognationis & adoptionis*, in voce actionis, belli; item *nomina maſculina pro communibus ſumi ſolent, ubi deſunt communia.* *Alia verborum diſtinctio.*

[*Grotius* §. 9.]

NOTÆ.

I. Confunduntur a multis ſignificatio propria cum ſtricta, impropria cum laxa, cum tamen plane inter ſe differant: nam utraque ſignificatio unius ejusdemque vocis, cum ſtrictior, tum laxior, poteſt adhuc eſſe propria: id quod plurimis exemplis doceri poſſet: Ita ens proprie ſignificat ſubſtantiam & accidens, in laxiori tamen ſignificatione notat accidens, in ſtrictiori ſaltem ſubſtantiam, unde *Ariſtoteles* reſpectu ad ſtrictio-

ſtrictiorem ſignificationem habito accidens vocat non ens. Sic reſpublica in laxiori ſignificatu monarchiam & ariſtocratiam comprehendit, in ſtrictiori apud *Ariſtotelem* ſolam popularem formam eamque rectam deſignat.

II. Utriusjusdam vocabuli ſignificatio alia popularis, alia technica eſſe poteſt: Ita fieri quandoque ſolet, ut una ſit ſtrictior, altera laxior: Ita exempli gratia, ſtrictior ſignificatio vocis motus eſt popularis, quia vulgo pro motu locali ſumitur, Phyſicis longe latius patet. Eodem modo mors in *jure civili* ad deportationem producitur, cum apud populum aliud, nempe tantum ſeparationem animæ a corpore ſignificet. Sic in *Metaphyſicis* cauſa efficiens vocatur cauſa per veram & realem actionem, ſed in *Moralibus* etiam per omiſſionē actionis quid dicitur cauſa efficiens.

Peculiares Regulæ interpretationis.

§. 18. Huc ſpectant peculiares regulæ ad interpretationem promiſſorum, pactorum &c. apprime facientes: (α) *In favorabilioribus, ſi is, qui loquitur, jus intelligat, aut peritorum juris conſilio utatur, verba laxius ſumenda ſunt, ut etiam includant ſignificationem artis, aut quam lex dedit.* Seu, ut vulgo effertur, favores ſunt ampliandi.

Ita

Ita exempli gratia, si præmium promissum fuisset ei, qui primus vallum hostis conscendisset, & vero duo simul vallum superassent, omnino æquitas stricta videtur exigere, ut si mille imperiales promissi fuissent, unicuique dimidium promissi, sicque quingenti imperiales cedant. Nam quia promissum virtutis militaris præmium erat, res favorabilis promittebatur, sicque laxior significatio primi obtinebat, prout nempe significat eum, quem nemo antecedit, ut sic uterque conscendentium primus fuerit. In strictiori enim significatu primus is dicebatur, qui omnes antecedit. Unde in strictiori significatu neuter erat primus, quia neuter in singulari primus erat. In laxiori vero uterque primus erat, cum utroque nemo fuisset prior. Favor ergo erat ampliandus, & sic promissum præmium dividendum. Interim merito laudatur liberalitas Scipionis, Cæsaris, Juliani, quando his, qui pariter muros ascenderant, solida præmia tribuerunt. (β) *In odiosis strictior significatio admittenda est,* seu, ut vulgari

locutione fertur, odia sunt restringenda: Exempli gratia: *In donatione & juris sui remissione verba, quantumvis generalia, restringi solent ad ea, de quibus verisimiliter est cogitatum.* Sic *auxilia promissa ab una tantum parte intelligentur deberi impendiis ejus, qui postulabit.*

[*Grotius* §. 12.]

NOTÆ.

I. Hic juvat recte nosse, quid favorabilia sint, quid odiosa? *Favorabilia sunt, quæ æqualitatem in se habent, & quæ communem spectant utilitatem, quæ quo major est atque latior, eo major est promissi favor,* ut *eorum, quæ ad pacem faciunt, major, quam ad bellum, & belli ob tuitionem suscepti major quam aliis de causis.* Econtrario *odiosa sunt, quæ partem alteram tantum aut plus altera onerant, quæ pœnam in se continent, quæ actus faciunt irritos, & quæ de prioribus aliquid immutant.*

II. Dantur etiam *media* inter favorabilia & odiosa, quæ itidem vocantur *mixta,* utpote *mutantia quidem priora, sed pacis causa, eaque pro magnitudine boni aut mutationis, modo favorabilia, modo odiosa censentur, ita tamen ut cæteris paribus favor censeatur potior.*

III.

III. Exemplis pluribus ac illustribus *Grotius* noster hanc rem declaravit *§. 13. & seqq. usque ad 19.*

§. 19. Verba enunciationis quinto alia sunt significationis formalis seu expressæ, alia vero *significationis* interpretativæ seu *præsumtæ*. Expressa significatio est, quam ipsa verba præ se ferunt. Præsumta seu interpretativa significatio est, quam verba explicite præ se non ferunt, ut tamen ea aliunde præsumi possit. Ita exempli gratia *sit pactio, ne quis locus muris cingatur*, quam significationem verba explicite præ se ferant, quisque primo intuitu cernit, cum ea satis evidens sit: Faciamus vero pactionem *factam* fuisse *eo tempore, cum non aliud esset muniendi genus, satisque constare probibendi muros unicam fuisse causam, ne muniretur is locus*, sic verba pactionis præter expressam significationem omnino habebunt etiam interpretativam, nempe hanc, *ne is locus aggere cingatur*. *Alia verborum distinctio.*

NOTÆ.

I. Sicut significationem verborum & sensum ab invicem differre diximus *in præcedentibus*, ita de significatione verborum ab

enunciante intenta propositam distinctionem acceptam volumus, & sane fieri potest, ut a voluntate enunciantis & expressa, & simul præsumta significatio pependerit.

II. Potest quidem in laxiori significatu omnis significatio ab altero intenta dici præsumta, in quantum omnino ex alterius verbis præsumenda est expressa quoque significatio; interim in strictiori sensu præsumta ea dicitur, quando sola verba ad præsumtionem non sufficiunt.

III. De cæteris fieri potest, ut significatio, quam verba præ se ferunt, plane non sit intenta ab enunciante, & saltem ipse significationem interpretativam intenderit.

Præsumta significatio quotuplex?

§. 20. Præsumta seu interpretativa significatio est duplex: *vel extendens vel coarctans.* Extendens significatio est, qua plus quam verba explicite præ se ferebant, significatur: exemplum dabatur *præcedenti* §. 19. Coarctans significatio est, qua minus quam verba explicite præ se ferebant, significatur: Ut: *Promisi advocationem, postea apparuit per illã causam præjudicium in patrem meum quæri. Promisi me peregre una iturum, sed iter infestari latrociniis nunciatur,* utut igitur verba

ba præ se ferant promissionem sine omni conditione, restringens tamen significatio obtinet salva naturali æquitate.

[*Grotius* §. 20. n. 2.]

§. 21. Ad interpretationem extendentem, ut recte fiat, sequenti regula opus est: *Salva veritate significationem extendere volenti constare debet rationem, sub quam venit casus, quem interpres vult comprehendere, esse causam unicam & efficacem, quæ enunciantem moverit, eamque rationem ab eo consideratam in sua generalitate, quia alioqui enunciatio futura fuisset iniqua aut inutilis.* Repetatur exemplum §. 19. positum. Ita *vulgo solet exemplum afferri de conditione, si posthumus sit mortuus ab eo scripta, qui posthumum omnino expectabat, ut sententia dispositionis producatur*, sicque significatio verborum extendatur *ad eum casum, si is posthumus natus non esset, quia constet voluntatem loquentis motam consideratione non extituræ prolis, quod ipsum non apud JCtos tantum, sed & apud* Regula.

pud Ciceronem & Valerium Maximum invenire est.

[*Grotius §. 20. n. 2.*]

NOTA.

Plura satisque luculenta exempla apud *Grotium* nostrum videantur §. *20. n. 4.* & §. *21.*

Restringens interpretatio quotuplex?

§. 22. Restringens interpretatio præsumta iterum duplex est: *aut* enim *ex defectu petitur originario voluntatis, aut ex casus emergentis repugnantia cum voluntate.*

[*Grotius §. 22.*]

Defectus voluntatis originarius quotupliciter intelligatur?

§. 23. *Defectus voluntatis originarius intelligitur* triplici modo: (1.) *ex absurdo, quod alioqui evidenter sequeretur:* Fundamentum hoc est, quia *nemo credendus est velle absurda:* Exemplum habetur *l. Olympico 41. D. de servitutibus prædiorum urbanorum:* Quispiam Olympico habitationem & horreum, quod in ea domo erat, quoad viveret, legavit, juxta eandem domum hortus & cœnaculum, quod Olympico legatum non est, fuerunt: ad hortum autem, & cœnaculum semper per domum, cujus habitatio relicta erat, aditus fuit. Quæsitum est, an Olympicus

cus aditum præstare debeat? Affirmavit *Scævola.* (2.) *ex cessatione rationis, quæ sola plena & efficaciter movit voluntatem:* Fundamentum consistit in eo, quod *res in lege, promissione,* pacto &c. *contenta, cui ratio talis additur, aut* quando *de ea* satis jam *constat*, non amplius *nude consideretur,* sed quatenus sub ea ratione *venit.* Exemplum est in *l. adigere 6. §. quamvis 2. D. de jure Patronatus,* nam ibi patronus prohibetur adigere jurejurando libertum, ne uxorem ducat, aut liberos tollat, addit vero *Paulus JCtus: Quamvis nulla persona lege excipiatur, tamen intelligendum est, de his legem sentire, qui liberos tollere possunt. Itaque si castratum libertum jurejurando quis adegerit, dicendum est, non puniri patronum hac lege.* Nam ratio legis erat, ne dum patronus avaritiæ suæ velificatur, multiplicatio sobolis impediretur, quæ a castrato nulla potest expectari. (3) *ex materiæ defectu.* Fundamentum inde depromi potest, quia *materia, de qua agitur, semper intelligenda est obversari animo loquentis, etiamsi verba latius pateant:* e. gr. si feudum con-

cessum sit alicui pro se & descendentibus masculis, non intelliguntur nepotes ex filia, quia natura feudi, quæ fœminas & descendentes ex illis plane excludit, repugnat.

[*Grotius* §. 22. 23. 24.]

Defectꝰ voluntatis ex casus emergentis repugnantia quotupliciter colligatur?

§. 24. Defectus voluntatis ex casus emergentis repugnantia cum voluntate *aut colligitur ex naturali ratione, aut ex alio signo voluntatis.*

[*Grotius* §. 26. n. 1.]

Ex naturali ratione quot modis voluntas dijudicetur?

§. 25. Ad dijudicandam voluntatem ex naturali ratione sufficientia indicia requiruntur: Et quidem primum ac *certissimum indicium est, si quo casu sequi verba illicitum esset, id est, pugnans cum naturalibus aut divinis præceptis:* Exempli gratia: *qui promisit depositum gladium reddere, non reddet furenti, ne aut ipsi periculum creet, aut aliis innocentibus.* Sic *nec reddetur res deposita ei qui deposuit, si dominus eam repetat.* Secundum *indicium est, si verba sequi, non quidem per se & omnino illicitum esset, sed æque rem æstimanti nimis grave atque intolerabile: (sive absolute spectata conditione humanæ naturæ, sive comparando personam & rem, de qua agitur,* cum

cum ipso fine actus.) Sic *qui rem ad dies aliquot commodavit, intra eos dies repetere eam poterit, si ipse valde egeat, quia actus tam benefici ea est natura, ut non credendus sit quisquam ad magnum suum incommodum se voluisse obligare.* Sic *qui auxilium fœderato promisit, excusabitur, quamdiu ipse domi periclitatur, in quantum copiis opus habet.* Sic *concessio immunitatis vectigaliũ & tributorum intelligetur de quotidianis & anniversariis, non de iis, quæ summa necessitas exigit, & quibus carere respublica non potest.*

[*Grotius* §. 26. & 27.]

NOTÆ.

I. Facile datur assequi, cur sufficientibus indiciis ad colligendum defectum voluntatis originarium ex casus emergentis cum voluntate repugnantia opus sit, quia utut casus nec prævideri omnes possint, nec exprimi, idque propter libertas quædam eximendi casus, requiratur, quos qui locutus est si adesset, eximeret, si tamen temere quis id tentaret, id sane esset dominum se facere actus alieni.

II. Insigniter meritoque suo *Aristotelis* Philosophiam, quantum ad præsens, *Grotius* noster commendat, dum §. 26. *n. l.* sic

tans vincit jubentem: e. gr. non licet furari suem & carnem donare pauperibus. Sic *inter eas pactiones, quæ modo dictis qualitatibus pares sunt, præfertur, quæ magis peculiaris est & ad rem propius accedit:* e. gr. Lex una est: nullus peregrinus tempore obsidionis prodeat ad civitatem defendendam, sin faxit, capite luat. Sed sit lex altera lata: Quisque hostem in propugnaculo stantem adoriatur. Hoc in casu posterior lex priori præferri debet, sicque intelligenda venit prior lex: nullus peregrinus tempore obsidionis prodeat ad civitatem defendendam, nisi in extremo sint omnia periculo, adeo ut hostes potiantur propugnaculis & cives ultima exspectent.

[*Grotius* §. 28. & 29.]

NOTÆ.

I. De verbis directe pugnantibus egimus præcedenti §. 4.

II. Per verba alio loco posita, quæ quidem directe non pugnant, ut tamen per incidentem casum peculiarem & velut insperato ex ipso rerum eventu inter se committantur, *Grotius* videtur intelligere duas propositiones, ut duo pacta, duas leges &c.

quæ

quæ inter se non pugnant, diversis quoque temporibus utrique satisfieri potest, nunc tamen utrique simul satisfieri nequit, quando casus adest, in quo satisfactio utrique præstanda in idem temporis momentum incidit.

CAPUT XVII.

De DAMNO PER INJURIAM DATO ET OBLIGATIONE, QUÆ INDE ORITUR, item DE JUSTITIA REPARATRICE.

§. I.

Damnum quid?

D*Amnum est, cum quis minus habet suo.*

[*Grotius* §. 2.]

NOTÆ.

I. *Damnum a demendo dictum* vult *Grotius* noster §. 2. *n. 1.* quam derivationem etiam laudat *Paulus* JCtus *l. damnum 3. D. de damno infecto*, dum ait: *Damnum & damnatio ab ademptione & quasi deminutione patrimonii dicta sunt.*

II. Equidem varia sunt damnorum genera, de quibus acturi sumus *libro tertio capite undecimo*, hoc interim loco *Grotius* noster

ster noluit agere de damno nisi per injuriam dato. Id quod expressis verbis innuit, dum statim §. 1. scribit: *Veniamus ad id, quod ex maleficio naturaliter debetur.*

§. 2. Damnum per injuriam dare, diciturs is, qui liberâ suâ voluntate alterum invitum ac immerentem lædit. *Damnum per injuriam dare quid?*

NOTA.

Hac de re *sequentis libri c. 11.* ceu modo indicavimus, agendi plenior occasio dabitur.

§. 3. Damnum injuria datum nunc pro actione, nunc pro statu sumi potest: Illo modo notat læsionem inviti ac immerentis a libere volente factam: Hoc modo notat statum, quo per injuriam quis minus habet suo. *Damni distinctio.*

NOTÆ.

I. *Grotius* non actionem, sed potius statum eo nomine indicare voluit. Conf. *lib. 1. c. 1. §. 3. not. 1. & seqq. p. 2. & seqq.*

II. Istud, quod diximus, melius liquet ex ipsius *Grotii* verbis, dum sic scribit: *Veniamus ad id, quod ex maleficio naturaliter debetur. Maleficium hic appellamus culpam omnem, sive in faciendo sive in non faciendo, pugnantem cum eo, quod aut homines communiter, aut pro ratione certæ qualitatis facere debent.* Quæ sic explicanda Moralistarum

starum stylo censemus: Qui damnum injuria dat alteri, is male facit seu delinquit, perpetuum autem consequens morale delicti est culpa, uti quidem verum dicit respectum in genere morum, vi cujus moraliter agenti peccatum suum (commissionis vel omissionis) imputari queat. Culpam sic sumtam *Moralistæ* vocant *culpam Theologicam:* nam datur etiam culpa, quæ nullum crimen arguit, quam *culpam Juridicam* vocant. De his omnibus & *hujus libri capite vigesimo*, & *sequentis capite undecimo*, quantum ad nostri instituti rationem sufficere poterit, tractationem instituemus.

Sui distinctio. §. 4. *Suum* (cujus in definitione damni fiebat mentio) varias admittit distinctiones: Et quidem 1. suum dicitur aliud, quod homini *competit ex mera natura:* e. gr. *natura homini suum est vita, non quidem ad perdendum, sed ad custodiendum, corpus, membra, fama, honor, actiones propriæ:* aliud, quod *ipsi competit accedente facto humano, puta dominio, aut pacto, sive ex lege. Dominio & pactis quomodo suum quid cuique sit*, ex maxima hujus secundi libri huc usque tractati parte constare potuit, *tum quoad res, tum quoad jus in actiones alienas:* Simili modo *ex lege jus*

suum

suum cuique oritur, quia idem aut plus lex potest, quam in se ac sua singuli. Sic *pupillus jus habet exactam quandam diligentiam exigendi a tutore, respublica a magistratu, nec respublica tantum, sed & cives singuli, quoties lex id expresse, aut per sufficientem consequentiam significat.*

[*Grotius §. 2. n. 1.*]

§. 5. *Suum* 2. nunc potest accipi in *laxiori* minusque usitato, nunc in strictiori ac usitatiori significatu: Illo modo non solum facultatem, sed & *aptitudinem* notat: e. gr. hoc modo sua dici potest eleemosyna, quam pauperi ex misericordia solvere teneor. Hoc modo solum *facultatem* arguit: e. gr. sua dicitur pecunia, quam creditori ex contractu debeo. *Alia sui distinctio.*

[*Grotius §. 2. n. 2. & §. 3.*]

NOTÆ.

I. Repetantur hic ea, quæ *§. 16. not. 1. 2. & 3. p. 38. & seqq.* dicta sunt.

II. In præsenti *suum* in strictiori significatu sumitur, id propter etiam *suum* ita sumtum *Grotius suum propriissime* appellat.

§. 6. *Suum* 3. aliud est *res*, e. gr. ager, aliud est *fructus rei*, e. gr. frumentum, *Alia sui distinctio.*

tum, aliud *spes*, ut *in semente spes messis.*

[*Grotius* §. 4. & 5.]

NOTA.

Admodum stricta est vocis *res* significatio, ut in præsenti sumitur.

Damni alia distinctio. §. 5. Agnoscit etiam damnum varias distinctiones: Nam 1. aliud est *damnum ejus, quod debetur ex mera natura:* ut: damnum corporis, membrorum, honoris &c. aliud est *damnum ejus, quod debetur accedente facto hominis aut legis:* e. gr. damnum patrimonii, quod pupillus ex supina tutoris negligentia patitur.

[*Grotius* §. 2.]

Damni alia distinctio. §. 8. Damnum 2. aliud est *laxius ita dictum*, ut comprehendit *minus proprie tale:* Ita *damnum patitur pauper, cui dives pecunia sua non succurrit præ tenacitate;* aliud est in strictiori significatu tale, quando scilicet, quis minus habet suo, hoc est, stricto & *proprio* jure sibi debito: ita damnum patitur dives, cui fur pecuniam abstulit.

[*Grotius* §. 2.]

Alia. §. 9. Damnum 3. aliud est *in re*, ut quando quis caret agro suo: aliud est

est *in rei fructibus*, ut quando quis caret frumento: aliud *in spe*, ut quando quis excidit spe messis suæ.

[*Grotius* §. 4. & 5.]

§. 10. Injuria, qua damnum datum est, *naturaliter parit duplicem obligationem:* Una est effectus formalis justitiæ reparatricis, nempe *obligatio ad reparationem damni:* Altera est effectus formalis justitiæ punitricis, videlicet obligatio ad pœnam. *Duplex ex injuria obligatio.*

[*Grotius* §. 1.]

NOTÆ.

I. De injuria perfecta & proprie tali sermo est: nam *ex sola aptitudine, quod jus minus proprie dicitur, non oritur restitutionis obligatio, quia id alicui* rigorose ac proprie loquendo *suum non est, ad quod aptus est:* *Grotius* §. 2. n. 2. e. gr. quando Respublica alicui mandavit muneris collationem, si indignus præ digno ab ipso eligatur, non habet indignus, quod conqueratur de injuria sibi illata, dum repulsam tulit, quia *jus proprium ad munus non habebat.*

II. Potest quis habere *jus improprium* & simul *jus proprium*, sed diverso respectu: Ita e. gr. licet dignus non habeat jus proprium ad munus, habere tamen potest *jus proprium* petendi munus juxta alios: *in-*

quo jure si per vim aut dolum impediatur, jam non totius rei expetitæ, quia non habebat jus proprium ad munus, *sed incerti illius damni æstimationem exigere poterit*, quandoquidem habuerat verum & proprium jus ad petitionem hujus muneris.

III. Multi confundunt justitiam reparativam cum punitiva, ac utriusque discrimen, quantum ad præsens, paucis indicari potest. Scilicet injuria, qua damnum datum est, punienda est, damnum, quod injuria datum est, reparandum est: Naturaliter quippe justum est,& ut injuria puniatur, & ut damnum, quod injuria datum est, resarciatur. Hoc discrimen fundamentum in eo habet, quod fieri potest, ut quis alteri damnum injuria dederit simulque superiorem habeat, in quantum ergo alteri damnum dedit, in tantum alteri obligatur ad damni reparationem: In quantum vero superiorem habet, cui quæsitum sit jus puniendi ipsum, in tantum superiori obligatur ad pœnam. *Grotius* quidem noster putat, per naturam posse etiam æqualem, qui damnum injuria dedit, ab æquali, cui damnum injuria dedit, puniri, quam tamen opinionem sequenti *capite vigesimo hujus libri* repudiare conabimur. Huc faciunt, quæ *l. 2. c. 1. quæst. 8. §. 3. p. 604. disseruimus.*

IV. Videri hanc in rem possunt *in decre-*

tali-

talibus titulus de injuria & damno dato, & *Digestis ad L. Aquiliam* & vicinæ *rubrica*.

§. II. Obligatio ex damno injuria dato tanta est, *ut* non modo *de actu suo*, qui damnum injuria dedit, *teneatur*, sed *simul* etiam *de his*, quæ *illum ex actus vi sunt consecuta*: Exempli gratia: *Ariarathes Cappadocum Rex eo, quod Melani amni exitum per lasciviam obstruxerat, cum ejus perrumpentis impetu elatus Euphrates rapta parte Cappadocum terræ, magna & Galatis & Phrygibus damna intulisset, permisso Romanis judicio, talentis trecentis dispendium sarcivit.* Sic *homicida injustus*, hoc est, qui dolo malo alteri vitam eripuit, *tenetur solvere impensas, si quæ factæ sunt in medicos, & iis, quos occisus alere ex officio solebat, puta parentibus, uxoribus, liberis dare tantum, quantum illa spes alimentorum, ratione habita ætatis occisi, valebat.* Similiter *qui mutilavit, tenebitur ad impensas & ad æstimationem ejus, quod jam, qui mutilatus est, minus poterit lucrari.* Sic *adulter & adultera tenentur non tantum indemnem præstare maritum ab alenda prole, sed & legitimis liberis rependere,*

Quousque extendatur obligatio ex damno injuria dato?

si quod damnum patiuntur ex concursu ita suscepta sobolis ad hæreditatem. Sic *qui virginem imminuit vi aut fraude, tenetur ei rependere, quanti minoris ipsi valet spes nuptiarum, imo & ducere tenetur, si ea promissione corporis usuram impetraverit.* Sic *fur & raptor tenentur rem subtractam reddere cum suo incremento naturali, & cum sequente damno aut cessante lucro:* & *si res perierit, æstimationem non summam, non infimam, sed mediam.* Sic *qui contractui aut promissioni causam dedit dolo, vi aut metu injusto, tenetur eum, qui cum actum est, in integrum restituere, quia ille jus habuit, tum ne deciperetur, tum ne cogeretur, illud ex natura contractus, hoc ex naturali etiam libertate.*

[*Grotius* §. 12. 13. 14. 15. 16. 17.]

NOTÆ.

I. In *Senecæ* quadam controversia hæc materia tractatur in specie platani incensæ, ex qua domus arserat, ubi hanc ponit sententiam: *Etiamsi partem damni dare noluisti, in totum quasi prudens dederis, tenendus es. Ex toto enim noluisse debet, qui imprudentia defenditur.*

II. Bene interim id, quod juris naturalis

Iis est, distinguendum est ab eo, quod juris est voluntarii: Ita juris naturalis est, ut, si damnum injuria datum est, id resarciatur, ceu modo allatis exemplis ostendebatur, at jure voluntario sæpe res aliter se habet. Ita gentium jure *sicut introductum est, ut bella omnia summæ potestatis auctoritate utrinque gesta & indicta pro justis habeantur quoad effectus externos:* ita & hoc ut talis belli metus hactenus pro justo habeatur, *ne quod ita obtentum est, repeti possit.* Sic *quod Polybio videtur justam fuisse Carthaginiensibus causam belli Punici secundi, quod Romani ab ipsis mercenariorum seditione occupatis bello denuntiato Sardiniam insulam & pecuniam expressissent, habet naturalis æquitatis aliquam speciem, sed a jure gentium* voluntario *abit.* Ita si fur fustigatione aut suspendio punitus fuerit, juxta *jus Saxonicum* nulla domino debetur restitutio, *Carpzovius practica criminalis parte secunda, quæstione 80. numero 110.*

§. 12. Causa damni injuria dati multas quoque subit distinctiones, e quibus duas sequentes adferre lubet: 1. Causa damni injuria dati alia est immediata, alia est mediata; Illa dicitur *is, qui per se &* ἀμέσως (immediate) *damnum dat* injuria: e. gr. qui immediate & per se homicidium, furtum, *Causæ damni injuriæ dati distinctio.*

 latro-

latrocinium patrat: Hæc vocatur is, qui per alium & ἐμμέσως damnum dat injuria.,,

[*Grotius* §. 6.]

NOTÆ.

I. Causa damni injuria dati qua talis semper est causa voluntaria seu libera, nam per causam damni injuria dati qua talis intelligitur is, qui injuria damnum dat, nemo autem injuria damnum dat, nisi libera sua voluntate causa damni sit.

II. Ambiguitas adhuc quæri potest in terminis: *Causa immediata, causa mediata*: nam 1. causa immediata damni injuria dati dici potest is, qui ita damnum injuria dat, ut nulla plane alia causa principali mediante id faciat, sive ista alia causa principalis sit agens liberum sive agens necessarium: ita e. gr. qui manibus suis gladioque injuste occidit alterum, dici potest causa damni injuria dati immediata, quia nulla alia causa principali mediante fit cædes, gladius enim est saltem causa instrumentalis: hac ratione causa immediata dici nequit damni injuria dati, qui causa fuit voluntaria combustæ domus, cujus tecto ignem, ut incendio periret, subjecerat: item qui irritavit rabiosum canem, ut prætereuntem momordisset. 2. Causa immediata damni injuria dati præcise spectari potest, ut negat interme-

termediam causam principalẽ liberam, sive alias sit causa mediante alia principali, sive minime: Hoc posteriori sensu etiam incendiarius potest dici causa immediata damni injuria dati ex incendio, item qui canem irritaverat, causa immediata damni injuria dati ex morsu.

III. Magis ad posteriorem causæ immediatæ significationem videtur respexisse noster *Grotius*, id quod ex exemplis novæ subdistinctioni causæ voluntariæ mediatæ in primariam & secundariam subjectis forsan datur colligere. Sic enim ille §. 6. *Tenentur autem, præter ipsum, qui per se & ἀμέσως damnum dat, alii quoque faciendo aut non faciendo.* Quasi diceret: Is, qui damnum injuria dat, est causa voluntaria, vel immediata, vel mediata: id quod liquet ex voce *tenetur*: nam obligatio non cadit nisi in agens libera voluntate præditum. Ubi obiter addimus, neminem esse causam voluntariam mediatam damni mere non faciendo: ad minimum enim vera & realis intentio sicque vera & realis actio adfuit, per quam vera causa in genere efficientis diceretur. *Faciendo alii primario, alii secundario*: Hoc est, causa per veram & realem actionem mediata damni injuria dati alia est primaria, alia secundaria: *Primario, qui jubet, qui consensum requisitum adhibet, qui adjuvat, qui receptum præstat, aut qui alio*

modo in ipso crimine participat. Secundario, qui consilium dat, laudat, assentatur. Non faciendo, item primario aut secundario: hoc est, causa per veræ & realis actionis omissionem mediata damni injuria dati iterum est vel primaria vel secundaria: *Primario, qui cum ex jure proprie dicto debeat vetare præcepto, aut opem ferre ei, cui fit injuria, id non facit. Secundario, qui aut non dissuadet cum debeat, aut factum reticet, quod notum facere debebat.*

IV. Quæstio sæpius proponi solet: *quo loco teneatur mandans, quove mandatarius de damno injuria dato? Grotius* noster secutus plerosque *Moralistarum* primum locum tribuit mandanti, dum sic differit: *Tenentur autem primo loco ii, qui imperio aut alio modo aliquem impulerunt ad factum: his deficientibus patrator facinoris: & post eum cæteri.* Quæ verba sic intelligimus: Si nulla causa mediata damni injuria dati adsit, maxime & primo omnium causa immediata tenetur, & post eam aliæ causæ concomitantes, si forte adsint. Non enim hoc credimus voluisse *Grotium*, quasi tum demum causa immediata damni injuria dati teneatur, quando mediata causa deficiat, nam ipse præcedenti §. 6. contrarium videtur asseruisse, quod scilicet etiam non deficiente causa mediata nihilominus immediata causa teneatur, dum expresse scripserat: *Tenen-*

Tenentur præter ipsum, qui per se & ἀμέσως damnum dat, alii quoque &c. Econtrario *JCti* communiter primo loco teneri censent mandatarium, qui scire debuit mandatum rei turpis non obligare. Interim videtur, quod tamen salvo meliori judicio adjicere liceat, ac si saltem apparens sit contradictio inter *Moralistas* ac *JCtos*, dum illi internum animi tribunal, hi externum forum instruunt, ut utriusque partis sententia stet salva. Argumento hujus rei est, quod qui primum locum mandatario adjudicant, hoc imprimis urgent, quod plerumque obscurius, aut saltem altioris indaginis sit mandatum in delictis, facinus autem perpetratum certum, ut ideo si patrator certus sit, magis hic, quam alius, de quo non ita constet, primo loco teneatur. Et ita sane est, in *foro civili* ad externa & quæ in sensus incurrunt, aut alias faciliorẽ probationem admittunt, primo respicitur loco: Internum seu conscientiæ forum intimiora dijudicat. Forsan ad utriusque partis conciliationem faciet quoque distinctio, ita ut primo loco in statu naturali teneatur mandans, mandatarius autem primo loco teneri putetur in statu legali.

§. 13. Causa damni injuria dati 2. alia est totalis, alia est partialis: Illa est *qui momentum attulit ad totum da-* *Causa damni injuria dati alia distinctio.*

 mnum:

mnum: hæc dicitur, *qui momentum attulit ad partem damni.* Exempli gratia, qui alteri mandavit cædem, is totius damni ex mandata cæde secuti causa, sicque totalis causa est: contra qui alteri mandavit, ut tertium verberibus probe exciperet, nullatenus verò in periculum vitæ adduceret, is si alter eum lethaliter verberasset, in tantum causa esset damni, quantum momenti attulisset ad verbera, non in quantum ea fuissent lethalia.

[*Grotius* §. 10.]

NOTA.

Interprete indiget *Grotius*, dum §. 10. scribit sequentia: *Sæpe accidit in agentibus vel negligentibus secundarii ordinis, interdum etiam qui sunt ordinis primarii, ut etiam sine eorum actu aut neglectu is qui damnum dedit certus fuerit id ipsum dare: quo casu illi, quos dixi, non tenebuntur. Quod tamen non ita intelligendum est, ut si alii defuturi non fuerint, puta qui suaderent, aut qui juvarent, non teneantur qui svaserint, aut juverint, si absque ope consilio qui dedit damnum daturus id non fuisset. Nam & illi alii, si svasissent aut adjuvissent, tenerentur:* Videri quippe poterat ac si ea ratione omnino extingvat & invalidet *Grotius* causam restitutionis

tionis istam, quam §. 7. constituerat in laude, dum & ad reparationem damni obligatum censuit laudantem, hoc est, eum, qui laude extulerat factum, quo alter alteri damnum injustum parabat inferre. Nobis salva accuratioris interpretis censura videtur *noster* hoc voluisse, non quod laudans nunquam teneatur, sed quod laudans tunc non teneatur reparare damnum, si sufficientissime docere posset, futurum fuisse, ut immediata causa eodem plane modo idem damnum dedisset, si vel maxime factum futurum a nemine laudatum fuisset. Non ergo vult *Grotius*, quod laudando liceat augere alterius malitiam, nec in dubium vocat, puniri posse eum, qui laudavit, qui mandavit, si etiam absque mandato mandatarius delictum fuisset perpetraturus, qui consilium dedit & furem docuit, qua parte ædium paterfamilias injuriæ pateat, cum in præsenti de obligatione ad pœnam *Grotius* noluerit quicquam agere; sed quod tali in casu, quando quis mandatum vel consilium dat, laudat, assentatur, ubi alter jam ante animo destinaverat damnum injuria dare, is, qui mandatum vel consilium dedit, laudavit, assentatus est, obligari ad reparationem damni nequeat, quia consilium, mandatum, laus vel assentatio hac in parte nullum habet effectum in ordine ad damnum injuria datum, non quia non sequatur

tur damnum injuria datum, ſed quia ex ipſis (mandato, conſilio, laude vel aſſentatione) tanquam cauſis non ſequitur. Damnum enim alter proprio motu daturus erat, ſi vel maxime ad iſtud neque mandatum aut conſilium neque laus aut aſſentatio acceſſiſſet. Paucis, ſi recte aſſequimur mentem *Grotii*, hoc vult, quod nõ ſemper, qui mandat, conſiliũ dat, laudat, aſſentatur, ſit cauſa mandati, laudati damni, quia nimis ſerum fuerat mandatum, conſilium &c. Conferatur B. *Slevogtii* ingenioſa *diſſertatio de cauſa Moral. th. 27.* Sed de his pluribus agetur ſequenti *capite 21. de pœnarum communicatione.* Nam quod ipſius *Grotii* judicium eſt, *ferme iisdem modis in delicti partem quis venit, quo in damni dati: non tamen ſemper ubi damni obligatio eſt, etiam delictum eſt, ſed tum demum ſi qua malitia notabilior acceſſerit, cum ad damni dati obligationem ſæpe qualiscunque culpa ſufficiat, L. II. c. 21. §. 1. n. 1.* Eo etiam, quæ quæſtionum titulo forte hic ventilationem merebantur, referemus, unicam non adeo vulgarem, nec inutilem, aut plane ingratam quæſtionem hic tractaturi.

Qua-

Quæstio.

An retorsio injuriarum sit medium, quo privato naturaliter liceat uti ad reparationem damni injuria dati adversus honorem & famam?

§. I.

PRo negativa facere putantur sequentia argumenta: PRO NEGATIVA SENTENTIA

I. Quodcunque invito nequit eripi, adversus hoc damnum injuria dari nequit, adeoque frustra quæritur medium ad istiusmodi reparationem faciens. ARG. I.

Atqui honor aut fama invito nequit eripi E.

Damnum adversus honorem aut famam dari nequit, adeoque retorsio injuriarum non est medium, quo naturaliter liceat uti ad reparationem damni adversus honorem aut famam injuria dati.

II. Nulla vindicta privata naturaliter est licita. ARG. II.

Omnis retorsio injuriæ a privato facta est vindicta privata E.

III. Quodcunque medium frustra adhibetur, de eo frustra quæritur, an eo natura- ARG. III.

tura-

turaliter liceat uti ad reparationem damni adversus honorem aut famam injuria dati.

Atqui retorsio injuriarum a privato frustra adhibetur E.

Major patet, quia natura rationalis nihil constituit frustra.

Minor probatur, quia si Titius Sempronium vocet adulterum, & Sempronius vicissim Titium latronem, hæret tamen adhuc niger titulus in Sempronio.

Arg. IV. IV. Quo quis efficitur offendens, hoc non est medium privato naturaliter licitum ad reparationem damni adversus honorem aut famam dati.

Atqui retorsione injuriarum a privato facta ipse efficitur offendens E.

Major patet, quia innocentis est semet defendere, non offendere.

Minor probatur, quia retorquere injuriam adversus offendentem est telum, quo ipse feriebat, in pectus ferientis repercutere & quia telum injuria erat, idem est ac injurianti proprio telo nocere.

Arg. V. V. Omnis justa defensio a privato illata debet esse necessaria defensio.

Retorsio injuriarum a privato facta non est necessaria defensio E.

Major patet, quia moderamen inculpatæ tutelæ non est vis privata, absque qua privatus

vatus vim sibi intentatam declinare potuisset, ideo requiritur ad moderamen inculpatæ tutelæ, ut periculum defensoris aliter fuerit inevitabile, hoc est, ut vis non potuerit aliter; quam privata defensoris vi repelli.

Minor probatur, quia periculum non est in mora, sicque necessaria defensio dici nequit, quando quis injuriam retorquet.

VI. Si vulnere accepto naturaliter non licet privato vulnus infligere ei, a quo vulnus acceperat, sequitur, quod naturaliter licita non sit privato retorsio injuriarum. ARG. VI.

Prius est verum E. & Posterius.

Consequentia patet: Quid enim aliud est retorquere injuriam adversus injuriantem, quam vulnerantem vulnerare?

§. 2. Verum nondum possumus adduci, ut credamus retorsionem injuriarum esse per se ac sua natura turpem, loquimur enim de retorsione injuriarum, ut sic & quousque verba retorquentia ad injuriam arcendam sufficiunt. Argumentum esto sequens: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA

Si retorsio injuriarum datur, quæ ad reparationem damni adversus honorem seu famam injuriis dati sufficit, & tamen nulla circumstantia in talismodi retorsione ostendi potest, quæ per se fundet turpitudinem, sequitur talismodi ARG.

modi

modi retorsionem injuriarum esse medium, quo privato naturaliter liceat uti ad reparationem damni injuria dati adversus honorem seu famam.

Prius tamdiu est verum, donec talis circumstantia monstretur, id quod nunquam futurum esse certo confidimus E.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA NEGANTIS SENTENTIÆ.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata brevissimis respondetur, & quidem

RESP. AD ARG. I.

Ad I. prænotando, quod honor aut fama dupliciter spectari possit: 1. *fundamentaliter*, h. e. ex parte fundamenti, & sic propriissime sic dictus honor aut fama nihil aliud est, quam ipsa honestas morum vitæque probitas. 2. *formaliter* inque relatione ad quoddam extrinsecum, nempe istud, quod virtuoso alius debet ob morum honestatem vitæque probitatem: hinc est quod honor in *Scholis* opinio dicitur de aliena virtute sat idoneis signis declarata. Jam si priori modo consideretur honor aut fama, conceditur minor, quod nemini invito honor aut fama possit eripi, sicque conceditur totum argumentum, cum nihil faciat contra affirmantem sententiam: Si vero posteriori ratione spectetur honor aut fama, sic minor evadit falsa. Nam si honor aut fama, sic nihil aliud est quam opinio, quam de virtute tua habent alii homines, sane fieri potest, ut qui injuriis te proscideraat, sic quasi ex aliorum animis te deleverit, in quos re-

torsio-

torsione injuriarum decenter & legitimo modo facta te veluti restituis.

Ad II. respondetur latere ambiguitatem in voce: *vindicta privata*. Nam si privata vindicta sumatur pro tali actu, quo quis privato ausu alterum punit, sicuti multi vindictam & pœnam pro terminis pari passu ambulantibus habent, sic major vera est, sed minor falsa. Quod si privata vindicta ex usu loquendi recepto apud Moralistas & *JCtos* dicatur quoque violenta sui defensio aut reparatio, sic major falsa est: nam etiam privato in certo casu licet se suaque vindicare sine judice. RESP. AD ARG. II.

Ad III. respondetur prænotata distinctione inter actum physice spectatum & consideratum in genere morum. Quod injuria, qua quis afficiebatur, physice infecta reddi nequeat, certum est, sed hoc nihil facit ad præsens, quia jam sermo est de morali abolitione injuriæ. Negatur ergo propositio minor. Quippe nullum dubium est, quin per injuriarum retorsionem ab injuriato, ceu vocatur, factam injuria verbalis, quam injurians evomuerat, moraliter tolli possit, sicque effici, ut honor injuriato debitus conservetur. Quod in probatione dicebatur, si Titius Sempronium vocet adulterum, & Sempronius vicissim Titium latronem, hærere tamen adhuc nigrum titulum in Sempronio; Ad hoc pri- RESP. AD ARG. III.

mo dicendum, quod si Titius a Sempronio vocatus fuisset adulter, eumque vicissim adulterum aut latronem dixisset, talis actus nequaquam veniat retorsionis nomine. Secundo, quod si intra retorsionis justos limites Titius sese continuisset, sic omnino niger titulus desiisset.

RESP. AD ARG. IV. Ad IV. respondetur negando minorem. Negandum sane, quod omnis retorsio injuriæ sit injuria, quodque retorquere injuriam idem sit, quod offendere malumque turpe malo turpi rependere. Nam hoc de tali saltem retorsione injuriæ intelligendum venit, quando quis animo injuriandi retorquet injuriam: Secus vero se res habet, quando, cæteris quoque paribus, retorsio injuriæ fit animo defendendi honorem, eumve reparandi. Idem non minus vere quam eleganter docet *Aristoteles I. Rhetor. c.2.* quando ait: *Referentes injuriam non afficiunt injuria, sed vindicant injuriam* h. e. defendunt famam suam. Add. *V. Moral. Nicom. c. 15.* Nulla quippe turpitudo ostendi potest, modo retorquens intra justæ retorsionis terminos sese contineat, h. e. æqualitatem servet inter injuriam & retorsionem, ne scilicet plus contra injuriantem moliatur, quam ad moralem injuriæ abolitionem & reparationem sui honoris satis est, ut quando in continenti ad convitiantem dicit: Tu mentiris, tu es mendax, vel si nimis

atrox

atrox ſit convitium, ſceleſte mentiris. Quod in probatione urgebatur, quaſi retorquere injuriam idem ſit ac injuria, qua quis nocere voluerat, injurianti nocere; ad hoc reſpondetur, hæc duo non eſſe confundenda: injuria nocere, &, injuſte nocere. Nam licet ſano ſenſu retorquens injuriam noceat injuria ei, adverſus quem retorquet, dum nempe eo ipſo injuriantis malitiam detegit, non tamen injuſte nocet, adeoque injuria, h. e. injuſtum, damnum non dat. Imo non tam retorquens nocet injurianti, quam potius hic per retorquentem ſibi ipſi. Cæterum ſimilitudo a telo petita nimis claudicat. Non enim retorſione fateri veritatem eſt injuſte vulnerare injuriantem.

Ad V. reſpondetur negando propoſitionem majorem. Ad famæ juſtam defenſionem ſufficit honeſta commoditas, quod ſcilicet quis ſatis commode periculum famæ ſalvis moralium officiorum regulis a ſe ſic avertere poſſit. Satis eſt, quod retorſio injuriarum in genere morum æqualis alii famæ defenſioni eſſe queat. Quid quod ſæpius ſic longe commodiori via damnum honoris aut famæ reparetur, vel alia via reparari nequeat? Quando in probatione majoris urgebatur, moderamen inculpatæ tutelæ non eſſe vim privatam, absque qua privatus vim ſibi intentatam declinare potuiſſet: ad hoc reſponderi poteſt, ſi per RESP. AD ARG. V.

moderamen inculpatæ tutelæ intelligatur moderamen inculpatæ tutelæ per excellentiam ac primario tale, hoc est, justa defensio vitæ, sic certe, si defensor aliter scivisset vitæ suæ periculum declinare, & tamen invasorem occidisset, æqualitatem jure naturæ præceptam violasset: at retorquens injuriam licet aliter scivisset famam reparare, non tamen id propter violasset æqualitatem, si ex pluribus licitis mediis ad reparationem honoris sui facientibus hoc præ illo elegisset: si vero per moderamen inculpatæ tutelæ quælibet justa defensio intelligatur, cadit adhuc major, nihilque ad rem facit frustra allata probatio.

RESP. AD ARG. VI. Ad VI. respondetur negando consequentiam ejusque probationem. Vulnere, quod ei, qui vulneraverat, infligitur, vulnus prius inflictum curari nequit; at per retorsionem injuriæ damnum honoris reparatur, periculum avertitur, vulnus honoris sanatur.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasionem quæstionis quodammodo exhibet *Grotius* noster, quando §. 22. scribit: *Damnum etiam adversus honorem & famam datur, puta verberibus, contumeliis, maledictis, calumniis, irrisu, aliisque similibus modis. In quibus non minus quam in furto atque aliis criminibus vitiositas actus ab effectu discernenda est. Nam illi pœna respondet, huic damni reparatio, qua fit culpæ con-*

confessione, exhibitione honoris, testimonio innocentiæ, & per ea, quæ his similia sunt: quanquam & pecunia tale damnum rependi poterit, si læsus velit, quia pecunia communis est rerum utilium mensura. Ubi *Grotius* bene constituit obligationem duplicem, quam naturaliter parit damnum injustum adversus honorem, unam nempe, quæ tendit ad reparationem damni; alteram, quæ ad pœnam. De priori hic agere *Grotius* voluit, hujusque occasione eam quæstionem nobis placuit expendere, quam cum ex *naturæ legibus*, tum *civilibus* accuratius decisam qui videre gestit, adeat summi JCti, DN. *Struvii* nobilissimum *de vindicta privata tractatum.*

CAPUT XVIII.
De
LEGATIS AC LEGATIONUM JURE.

§. 1.

Legatus est persona publica ad negotium publicum expediendum solenniter missa a summo imperante, in quantum summam potestatem mittendi habet, ad summum imperantem. *Legatus quid?*

NOTÆ.

I. Ita enim *Grotius: Primum sciendum est, qualecunque est hoc jus gentium de quo videbimus ad eos legatos pertinere, quos mittunt, qui summi imperii sunt compotes inter se. Nam qui extra hos legati sunt provinciales, municipales, atque alii, non jure gentium, quod inter gentes est diversas, sed jure civili reguntur.* Ex quibus verbis non obscure colligere est, quod legatus exacta definitione indigitari nequeat, cum sit ex communium πρός ἕν numero. Nam si usus loquendi ferret, quisque a quolibet ad negotium gerendum missus censeri posset legati nomine: Unde primario legatus de persona publica & a summo imperante missa dicetur: Itaque facile judices, quid discriminis intercedat inter nuncium & legatum, cum nuncius non tantum publice a magistratum gerente, sed & a quolibet privato absque omni solennitate & pompa mittatur, quod legato ignominiosum creditur. Pariter commissarius & deputatus (si rigorem locutionis sectari velimus) differunt a legato, quia possunt etiam mitti a judiciis inferioribus. Sic distingui solet inter legatum & delegatum, quia consvetudine loquendi effectum est, ut delegatus sit, cui non nisi ex cognitione superioris jurisdictio seu potestas cognoscendi causas privatorum demandata est.

II.

II. Quamvis vero usus loquendi exigat, ut primario & absolute nomen legati mereatur persona publica & a summo imperante missa, notandum tamen amplius est, quod non de quavis publica persona & a summo imperante missa nomen legati æqualiter dicatur: Nam magis meretur nomen legati ejusmodi persona, quæ ad alium summum imperantem, quam quæ ad subditos ac privatos mittitur, cum hujusmodi persona potius censeatur nomine commissarii aut deputati.

III. Imo nec de quavis publica persona & a summo imperante ad summum imperantem missa sine inæqualitate notio legati prædicatur: Nam magis competit nomen legati ejusmodi personæ, si ob publicũ negotium mittatur, quam si privati negotii causa id fiat. Inde olim inter se distinguebantur orator & legatus: Orator quippe non tantum de rebuspublicis, sed & privatis disserere solet, legatus contra non nisi de publicis agit: usus tamen loquendi obtinuit, ut hodie legati oratores passim vocentur, secus ac olim tulit loquendi consvetudo.

IV. Alias magis remotas legati significationes adducere nullum otium est: sic legati nomine insigniri olim solebat apud Romanos Magistratusmunere fungens, is cui data erat, quam primum modo provinciam suam ingrediebatur, jurisdictio: & cum

plerumque hic esset persona militaris, jungebantur ei assessores juris peritissimi. Hujusmodi legati erant: Legatus Cæsaris, Legatus Proconsulis, cum alias magis proprie dictus legatus jurisdictionis expers sit. Pariter hodie faciliori ratione obsides legatorum nomen sustinere possent, cum mitior & multo melior eorum sit status, olim quippe sat misera & periculis plena erat eorum conditio, captivisque non erant multum dissimiles, nec testamenti factio ipsis competebat: At nunc corpora eorum æque ac legatorum sacrosancta habentur multisque legatorum privilegiis gaudent, ut tamen eorum potestas veniendi, abeundi, agendi, vivendi, magis arctioribus inclusa limitibus maneat, quam proprie dictorum legatorum.

V. Mos obtinuit, ut nonnulli qui propriissime dicti legati sunt, eo tamen nomine hodie non censeantur. Nam recentissimo usu illi solum legati audiunt, qui majoris censentur dignitatis, alii vero a summis imperantibus publicorum negotiorum causa missi, ablegati duntaxat, alii residentes, alii agentes nuncupantur. Ita Legati Pontificis, si non sunt Cardinalitiæ dignitatis, dicuntur Nuncii Apostolici, si sunt Cardinales jam creati, vocantur Legati a latere: si nondum quidem sunt Cardinales, proxime tamen spem habent, salutantur Nuncii

cum

cum poteſtate Legati a latere. Et hæc de notione legati dixiſſe ſufficiat.

§. 2. Legatio eſt ſolennis miſſio perſonæ publicæ ad negotium publicum expediendum a ſummo imperante, in quantum ſummam poteſtatem mittendi habet, ad ſummum imperantem facta. *Legatio quid?*

NOTA.

Repetantur ea, quæ ad §. 1. notata ſunt. Nec difficile erit diſtinctionē inter legationem ſolennem & minus ſolennem aſſequi.

§. 3. Generales quæſtiones de legatis ac legationibus ſunt: 1. quis poſſit mittere legatos? *Ii, qui ſummi imperii ſunt compotes inter ſe:* Tales ſunt in Monarchia Princeps, in Ariſtocratia Proceres, in Politia populus, vel, ſi ipſi non conveniant, Tribuni plebis. *Cauſa efficiens legationis.*

[*Grotius* §. 2.]

NOTA.

De iis legatis, qui mero jure civili reguntur, ut de provincialibus, quorum in *Digeſtis* ſæpius mentio fit, item municipalibus, nunc non agitur. Merito interim veneramur ſummi *Conringii* conſilium, qui hanc quæſtionem ex conſvetudine aut præſcriptione temporis non infeliciter dijudicari cenſet.

Causa materialis legationis.

§. 4. 2. Quis possit legari? Ponderandæ sunt mittendi dotes animi, corporis, fortunæ diligentissime.

NOTÆ.

I. Præcipua animi requisita sunt: ut sit fidelis, prudens, fortis & constantis animi, sobrius & castus, non adeo obscurus, multo minus infamis, Politices & historiarum ad scopum collimantium notitia instructus, eloquens &c. Corporis, ut sit sano & valido corpore, præsertim si fiat legatio ad loca dissita, ut recta gaudeat membrorum conformatione, quia deformes, historia teste, nisi excellens fuerit eruditio & dexteritas, ludibrio sunt habiti &c. Fortunæ, non sit pauper, quia paupertas suspectum solet reddere.

II. Quæstio moveri solet: An ad legati munus suscipiendum quis possit cogi? Affirmant celeberrimus *Conringius* & alii, ratio est, quia nec alia quævis vacatio civi in republica bene constituta pro suo lubitu permitti potest. Idem statuitur, pœnis scilicet ad officium legati quempiam cogi posse per *l. sciendum 4. §. ordine 5. D. de legationibus*. Item, quia publica a privatis non possunt facile declinari.

Causa formalis legationis.

§. 5. 3. Quomodo fiat legatio? Modus exprimebatur præcedenti §. *2*.

§. 6.

§. 6. Quibus ex causis fiat legatio? Reipublicæ nempe maxime interest, ut cum eo, cũ quo vel ipse summus imperans non vult vel non potest agere, per alium agatur. *Causa finalis legationis.*

NOTA.

E levissimis unam esse non putat magnus *Conringius*, quod raro conducibile sit reipublicæ & statui communi, magnates & principes ipsosmet esse diu coram & in familiari conversatione, idque quia facillime etiam levi de causa aut novum odium potest exoriri, aut acceptum vulnus recrudescere, vel alias unus alterve nimis familiariter se gerens alteri contemtui esse. Recenset ipse ex *Cominæo* sex insignia exempla ejusmodi colloquiorum, quæ mutuo contemtui & odio causam dederint: 1. Henrici Castiliæ Regis & Ludovici XI. Galliæ, ubi hic arbiter erat inter Reginam Arragoniæ & Henricum. 2. Caroli Burgundionis & Friderici Cæsaris. 3. Edvardi Angliæ Regis & Caroli Sororii. 4. Caroli hujusdem & Palatini Rheni. 5. Archiducis Austriæ Sigismundi & Caroli. 6. Regis Ludovici & Edvardi prope Picenium oppidum. Reipublicæ quoque interest, ne vires subditorum enerventur, aut inanibus sumtibus Principum æraria exhauriantur. Fieret autem talis profusio, si Principes ipsi semper in con-

conventibus coram ſeſe ſiſterent, præſertim hiſce temporibus, ubi nemo alteri luxu & pompa vult cedere. Legatus ſane ſæpe & plura poteſt ex voto expedire, & multo minore cum ſumtu, quam ſi ipſe dominus adeſſet, domini mittentis exiſtimatione nihilominus manente ſalva. Interea vir ſummus non improbat omnem ipſorum Principum conventum, imo fatetur eo interdum plus effici poſſe quam legationibus. Nam ex hiſtoriis patet, ſæpe unico belligerantium ducum colloquio, milite ab utraque parte jam tum in procinctu & acie ſtante, pacem fuiſſe initam, quod per ſolos miniſtros & legatos pluribus annis fieri non potuiſſet. Unde quæ hactenus dicta ſunt, intellecta voluit de frequente diuturna & nimium familiari converſatione, quæ raro ſine alterius inſigni & ſæpe prodiga jactura fieri ſolet.

Legatorum diſtinctio.

§. 7. Legati 1. alii ſunt mandatarii, ſtrictius ſumta hac voce, alii liberi ſeu plenipotentiarii.

NOTA.

Illorum legatio eſt ſaluberrima, quamvis legati talismodi contra arcana mandata Principem ſuum obligare poſſint, quo de *Grotius* noſter egit ſupra *c. 11. & 12.* & nos ex eo: horum noxia & periculi plena. Semper vero conſultum cenſet ſæpius celebratus

tus *Conringius*, ut ſcripto committatur poteſtas.

§. 8. Legati 2. alii ſunt *temporarii* ſeu ad certum tempus tales, alii *aſſidui* ſeu quaſi perpetui. *Alia legatorum diſtinctio.*

[*Grotius* §. 3. n 2.]

NOTÆ.

I. Legatis quaſi perpetuis quam parum faveat *Grotius* noſter, docet hiſce verbis: *Optimo jure rejici poſſunt, quæ nunc in uſu ſunt legationes aſſiduæ, quibus quam non ſit opus, docet mos antiquus, cui illæ ignoratæ.* In quo alios habet conſentientes. Priſci moris fuit, referente *Procopio*, ſpecie honoris ſic obſervare legatos, ut ne frigidam quidem guſtarent ſine interventu eorum, qui cuſtodes iis appoſiti erant. C. Æquilius, autore *Plutarcho*, in Senatum Romanum prodiens, magiſtratus increpavit, quod tamdiu ſine ullo effectu Græcorum Philoſophorum legatio in urbe maneret. *Gentilis L. II. c. 12.* notat, Henricum Septimum Angliæ Regem prudentiſſimum nunquam paſſum eſſe ordinarios legatos in regno ſuo morari. Laudanda interim modeſtia ſtyli Grotiani, quam penitus exuit *Paſchalius*, dum nimis incontinenti calamo ſcribit de legatis ordinariis: *Nihil eſt tam clauſum, quod iſti Legati non recludant, nihil tam abditum, quod non perrumpant, nihil tam*

invi-

invium, quod ipsis non sit pervium; habent suos inspectores, qui omnia resciunt, omnes rumorum ventos colligunt: advertunt quid usspiam agrum, quæ pars imperii labascat, quæ quamvis firma quati possit, quantum habeas opulentiæ, domi quam præstes prudentiam, militiæ quam virtutem. Proinde cognitum habent, timendus sis an contemnendus. Hæc ille. Cæterum utut *Grotius* noster, si hoc vult, quod jure gentium Princeps non teneatur continuum observatorem actionum suarum in aula sua tolerare, nihil veritati detraxisse videatur, tamen si usu receptum sit, quemvis residentem non recusare, non liquet, cur non de gentium jure signum hostilis animi talis legati assidui, seu, ut hodie vocatur, residentis recusatio haberi queat. Nec desunt celeberrimi viri, qui antiquis temporibus legatorum diuturniorum usum non penitus incognitum fuisse censent, sicuti narrante *Plutarcho* legati Atheniensium duos annos Demetrio adhæserunt. Leo, *Demosthene* teste, cum Timagora quadriennium in legatione fuit. Legatio Romana apud Antiochum, durante bello Macedonico, commorata fuit, ceu *Zonaras* tradit. Gentium fœderatarum legationes diuturniores Romæ mansisse, testis est *Livius*. Videatur *Richardus Zoncheus de legati delinquentis judice competente, cap. 4. p. m. 68.* ubi simul judicat, quod legatos talismodi

ad-

admittere quandoque consultum ac necessarium sit, si nempe inter Principes frequentiora intercedant negotia, ut commodius & utilius sit tales legatos habere, quam jugiter legatos mittere. Quod etiam *Gentilis* judicium est.

§. 8. Jus legationis consistit in *sanctimonia legatorum*: *Juris* quippe *gentium* voluntarii est, *primo, ut legati admittantur, deinde ne violentur.* *Jus legationis quodnam?*

[*Grotius* §. 3. *n.* 1.]

NOTÆ.

I. Sanctum dictum est a sagminibus, herbis, quas legati Populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret, sicut Legati Græcorum ea ferebant, quæ vocabantur Cerycia. *Richardus Zoucheus diss. cit. c. 8. p. m.* 113.

II. Insignia hujus rei testimonia singulari studio collegit *Grotius* §. 1. & *annotatis ad eundem* §. Idem insigniter confirmat lex *si quis* 17. *D. de legationibus*, sic enim ibi *Pomponius*: *Si quis legatum hostium pulsasset, contra JUS GENTIUM id commissum esse existimatur: quia sancti habentur legati: & ideo, si cum legati apud nos essent gentis alicujus, bellum cum eis indictum sit: responsum est liberos eos manere. Id enim JURI GENTIUM conveniens esse: itaque eum, qui legatum pulsasset, Quintus Mutius dedi hostibus, quorum erant*

erant legati, solitus est respondere &c. Rationes mox peculiari quæstione examinabimus, quibus *sancta inter gentes jura legationum* suadeantur, probentur, defendantur. In antecessum hoc dixisse sufficiat: Sanctimoniam legatorum jubent *publica utilitas & necessitas*, nullus enim alias esset bellorum aut dissidiorum finis; *dignitas*, sustinet enim legatus personam principis: *communis gentium consensus*, nam *sanctum populis per secula nomen.*

III. Sunt celebres Viri, qui legationum *jura & privilegia*, quæ in solamen laborum legatis cedunt, iisque *jure naturæ & gentium* conveniunt, quadruplicia constituunt: 1. *Jus admissionis*, ut admittantur a Principe, ad quem missio fit. 2. *Jus inviolabilitatis*; Principum enim, ad quos mittuntur legati, est curare, ne violentur. 3. *Jus audientiæ*, (ceu vocant) ut audiantur cumque iisdem agatur. 4. *Jus dimissionis*, ut tuto & honeste dimittantur. Quæ sententia cum *Grotii* bimembri distinctione re ipsa convenit, rem distinctius proponit.

Juris legationis distinctio.

§. 9. Legationis jus distinguitur in principale & accessorium. Principaliter sanctæ sunt *personæ legatorum*: *Comites quoque & vasa legatorum sui generis sanctimoniam habent, sancta vero*

sunt

ſunt acceſſorie, & proinde quatenus legatis videtur.

[*Grotius* §. 4. & §. 8.]

NOTÆ.

I. Huc facit reſponſum *Ulpiani*, qui in *l. Lege Julia 7. D. ad legem Juliam de vi publica* reſpondet *lege Julia de vi publica teneri, non modo qui legatos, ſed & qui comites eorum injuria affecerunt.*

II. Ex ſanctimonia igitur perſonæ legati ſanctimonia comitum & bonorum æſtimanda ac judicanda venit, ſicut alias acceſſorium ſequi ſuum principale dicitur, ut tamen res maxime ad arbitrium legati ſpectet, ceu in antiquo *fecialium carmine* erat: *Rex, faciſne me tu Regium nuncium populi Romani Quiritium? vaſa comitesque meos?*

III. *Itaque ſi quid comites legati gravius deliquerint*, e. gr. ſi miniſtrum Regis, ad quem miſſus erat legatus, occiderint, *poſtulari a legato poterit, ut eos dedat. Vi enim abſtrahendi non ſunt: quod cum factum eſſet ab Achæis in Lacedæmonios quosdam, qui cum legatis Romanis erant, vociferati ſunt jus gentium lædi.* Ita de Bomilcare, qui cum Jugurtha Romam veniens, ibi ex mandato ejus Maſſivam Maſſiniſſæ nepotem obtruncari fecerat, ſcribit *Salluſtius*: *Fit reus magis ex æquo bonoque, quam ex jure gentium. Bomilcar comes ejus, qui Romam fide publica*

venerat. Ubi jus gentium ab æquo & bono, hoc eſt, juris naturalis æquitate diſtinguitur, quod ita ad eundem locũ interpretatur *Aſcentius Badius: Æquum & bonũ poſtulat, ut qui publica fide ſunt inviolabiles, ne ipſi alios impune violent: Jus autem gentium poſtulabat, ut Jugurthæ comes ob fidem publicam tutus & inviolatus eſſet, & ſi Romæ interim deliquiſſe inveniretur, non ibi, ſed in locum Numidiam ſcilicet, ubi fides publica ei data eſt, remitteretur, & ibi ſatisfacere requireretur.*

III. Quod ſi dedere comites ita delinquentes nolit legatus, eadem ſcilicet facienda erunt, quæ de legato in mox ſequenti quæſtione a nobis enucleanda dicentur.

IV. Plura de ſanctimonia hac acceſſoria videantur apud *Grotium* notatu dignis teſtimoniis ſimul confirmata *§. 9. & 10.*

V. Tanta certe eſt legatorum ſanctimonia, ut violatio legati ſit vere juſtifica belli cauſa, ſicuti bellorum, quæ ob male habitos legatos ſuſcepta ſunt, plenæ ſunt profanæ hiſtoriæ. Exſtat & in *ſacris libris* memoria belli, quod eo nomine David geſſit adverſus Ammonitas.

VI. Pluribus hanc inſignem de legatorum legationumque jure materiam qui expendere noſtrumque defectum ſupplere voluerit, adeat nobiliſſimam magni *Conringii* de legatis & clariſſimi *Zoucbei* peregregiã *de Legato delinquente* diſſertationem.

§. 1

§. 10. Causa juste denegatæ admissionis legati triplex est: Una potest esse *ex eo, qui mittit*, ut si ab hoste armato veniat: Hanc ob causam *Melesippus Lacedæmoniorum legatus auctore Pericle dimissus est extra fines agri Attici; Senatus Romanus negavit se Carthaginiensium legationẽ admittere posse, quorum exercitus esset in Italia; Persei legatos non admiserunt Achæi; Totila legationem rejecit Justinianus, & Gothi, qui Urbini erant, Belisarii oratores.* Item, si a scelerata mittantur gente, *sicuti Cynethensium ut gentis sceleratæ legatos undique pulsos narrat Polybius.* Altera causa potest esse *ex eo, qui mittitur:* Exemplum est in *Theodoro, qui* ἄθεος *vocabatur, quem a Ptolemæo ad se missum audire Lysimachus noluit, idemque aliis evenit peculiaris odii causa.* Tertia causa potest esse *ex eo, ob quod mittitur:* ut, *ubi causa mittendi* aut *suspecta est*, ut *Rhabsacis Assyrii legatio ad populum concitandum merito suspecta erat Ezechiæ*, aut *non ex dignitate aut temporibus conveniens:* Sic *Ætolis denuntiarunt Romani, ne quam legatio-*

Causa juste denegatæ admissionis quotuplex?

nem mitterent, nisi permissu Imperatoris: Perseo ne Romam mitteret, sed ad Licinium: & Jugurthæ legatis edictum intra decem dies Italia excederent, ni regnum & regem deditum venissent. Ita *Carolus Quintus Imperator legatos Galliæ, Venetorum & Florentinorum, ad bellum sibi indicendum missos deduci jussit in locum, qui a comitatu suo abesset triginta milliaria.*

[*Grotius* §. 3.]

NOTA.

Nam quod *Donatus* dicit *ad prologum Hecyræ: Oratorem audire oportere jus gentium est*, & Hanno Senator Carthaginiensis, dum apud *Livium* in Annibalem sic invehitur: *Legatos ab sociis & pro sociis venientes bonus Imperator noster in castra non admisit, jus gentium sustulit*, hoc non ita crude intelligendum est: *non enim omnes admitti præcipit GENTIUM JUS, sed vetat sine causa rejici.*

Quæstio.

Num legati delinquẽtis, qui duplicem personam, & sui privatam, & publicam sui Principis sustinet, judex competens, sit iste princeps, ad quem missus est?

§. 1.

§. 1. Pro affirmante sententia videntur facere sequentia argumenta: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

I. Si judex competens legati delinquentis non esset Princeps ad quem missus est, sic sanctimonia legati delinquentis esset sceleris sanctimonia. ARG. I.

Consequens est absurdum E. & antecedens.

Consequentia patet, quia de legato scelerato quæstio agitur, cujus certe sceleribus patrocinium quæreretur.

Absurditas consequentis ponitur extra dubitationem.

II. Perfidum fides publica non protegit. ARG. II.

Legatus delinquens est perfidus E.

III. Quo judicio Princeps mittens, si in territorio Principis, ad quem legatum miserat, delinqueret, exemtus non esset, eo nec exemtus est Principis legatus delinquens. ARG. III.

Atqui Principis, in cujus territorio delinqueretur, judicio exemtus non esset Princeps alienus ibidem delinquens E.

Major patet, quia legatus sustinet personam Principis.

IV. Privati in alieno territorio peccantis judex competens est territorii dominus. ARG. IV.

Atqui legatus in territorio Principis ad quem missus est delinquens, est privatus E.

Minor probatur, quia legatus est mandatarius legantis. Bene *Octavianus Magius*

L. I. p. 49. de Legat. Mandatum est ipsa mens & voluntas Principis in rebus gerendis & in negotiis exequendis, ipsaque Legati norma. Et *Brunus*: *Vim omnem legatus habet a mandato.* Quoties igitur legatus sine Principis mandato delinquit, non legatus delinquit, sed privatus, quia non ut publicus mandatarius delinquit.

PRO NEGANTE SENTENTIA

§. 2. Opposita sententia est *Grotii* longeque verior, priusquam vero ea probetur, lubet sequentia in antecessum notare. Et quidem 1. distinguit *Noster* inter jus naturale & jus gentium voluntarium, vultque inviolabilitatem legati non esse juris naturalis, sed juris gentium voluntarii. Sic enim iste § 4. n. 2. *Jus hoc* legationis *non ut jus naturale ex certis rationibus certo oritur, sed ex voluntate gentium modum accipit*, id est, ex voluntario gentium jure, quod per se ad mutuam gentium inter se societatem pertinet. Mox pergit: *Potuerunt autem gentes aut omnino cavere legatis aut cum certis exceptionibus; nam & hinc utilitas stat pœnæ in gravia delinquentes, & inde utilitas legationum, quarum mittendarum facilitas securitate quanta potest esse maxima optime promovetur. Spectandum ergo quousque gentes consenserint, quod ex solis exemplis evinci non potest. Exstant enim satis multa in partem utramque. Recurrendum igitur tum ad sapientum judicia, tum ad conjecturas. Judicia* due

duo habeo maxime illustria: Livii alterum de legatis Tarquinii, qui proditionem conciverant Romæ, dicentis: Quanquam visi sunt commisisse ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit. Salustii alterum ita ajentis: Fit reus magis ex æquo bonoque quam ex jure gentium Bomilcar comes ejus, qui Romam fide publica venerat. Conjectura hinc quoque stat: verius enim est privilegia ita intelligenda, ut aliquid tribuant contra jus commune. Quod si legati ab injusta tantum vi tuti essent, nihil in eo magni esset, nihil præcipui. Adde, quod securitas legatorum utilitati, quæ ex pœna est, præponderat. Nam pœna haberi potest per eum, qui legatum misit, volentem: & si nolit ab ipso exigi bello, tanquam criminis approbatore. Tota igitur quæstio est non de jure naturæ, nam merum naturæ jus patitur pœnas exigi, ubi reperitur, qui deliquit, sed de jure gentium voluntario, *quo vetari multa solent, quæ jus naturæ permittit.* Quod interim non ita accipiendum est, quasi nulla juris naturalis ratio in legatorum inviolabilitate sit habenda. 2. Distinguit *Grotius* inter delictum leve & grave: Illud tale vocat, *quod contemni posse videatur,* hoc *atrocius n.5. ejusd.* §. Non enim quæstionem de leviori delicto intellectam vult, de quo sic judicat: *si tale sit delictum, quod contemni posse videatur, aut dissimulandum erit, aut e finibus jubendus excedere lega-*

tus, quod Polybius ei factum narrat, qui Romæ obsidibus fugiendi causam præbuerat. Ita Honorius II. Romanus Pontifex Cardinalem in Angliam legatum misit ad cognoscendum ordinis sacerdotalis statum, isque celebre Antistitum conventum Londini egit, in quo inter cætera severiter corrigenda, acriter invectus est in sacerdotes, qui in libidinis infamia essent: hoc cum nonnullos tangeret, qui odorati erant illum hominem quoque impurum fuisse, eum cœperunt ita observare, ut paulo postea in peccato deprehenderetur. Quo probro ille legatus affectus domum abiit, cum nihil aliud passus esset, quam quod inimicis obtrectandi ridendique aliis sui ordinis doloris & ignominiæ materiam præbuisset. Fecit idem Stephanus Poloniæ Rex Moscis, ut est apud Thuanum; Elisabetha Scoto, & Hispano.
3. Atrox delictum iterum subdividi potest in privatum & publicum: Illud est, quod primario & directe vergit in privati injuriam, ut homicidium. Hoc directe statum aut Majestatem imperantis lædit: ut: conjuratio in Principem, ad quem legatus est missus. In puncto publici delicti concedit *Noster*, legatum violari posse a Principe, ad quem missus est, non tamen titulo pœnæ aut ut a Judice, sed titulo præcautionis & ut a defensore. Sic enim verba habent: *Uti jura humana omnia ita sunt comparata, ut non*

non obligent in summa necessitate, ita idem de hoc quoque præcepto sanctimonia legatorum obtinebit. Verum is apex necessitatis non est in sumtione pœnæ, multo minus in loco, tempore ac modo sumendæ pœnæ, sed in præcautione gravis mali præsertim publici. 4. Atrocius delictum publicum est vel tale, quod arguit periculum imminens, ut quando legatus ad proditionem aut seditionem inclinat animos subditorum, quando conjurat ipse aut conjurantibus consilio adest: vel tale, ubi periculum præsens est, ut quando durante legatione vim armatam adversus principem vel ipse intentat vel per comites suos contra statum publicum armatos. *Quare,* pergit *noster, ut obviam eatur imminenti periculo, si alia nulla est ratio idonea, & retineri & interrogari legati poterunt.* Ita *consules Romani Tarquinii legatos deprehenderunt, literarum inprimis habita cura, ut Livius loquitur, ne interciderent.* Pelopidas, teste *Plutarcho,* in vincula conjectus ab Alexandro Pheræo, quod legatus cum esset, Thessalos ad libertatem concitaret. *Quod si vim armatam intentet legatus, sane occidi poterit, non per modum pœnæ, sed per modum naturalis defensionis.* Sic *Fabios, quos violatores juris humani Livius vocat, Galli occidere potuerunt.* Ita *fecialis ab Eurystheo missus, quia vi ageret, a populo Atheniensi interfectum narrat Philostratus, & cum ille, ut est apud*

Euripidem, diceret: Tun' fecialem cadere huc missum audeas? hoc responsum tulit: Ni fecialis dexteram a vi temperet. Vult ergo *Grotius* legatum delinquentem a principe, ad quem missus est, vi prohiberi posse in casu publici delicti, *ad avertendum periculum imminens, non autem vitato jam periculo in facti pœnam, n.7.* 5. Distinguit *Grotius* inter legatum, quem princeps admisit, & quem noluit admittere. Ita enim ipse §.5. *Ea vero, quam dixi, lex de vi legatis non inferenda, intelligenda est eum obligare ad quem missa est legatio, atque ita demum si admisit, quasi scilicet ab eo tempore tacita pactio intercesserit. Cæterum denuntiari & potest & solet, ne mittantur legati, alioqui pro hostibus fore:* ut *Ætolis a Romanis est denuntiatum:* & *olim a Romanis Vejentibus edictum, ni facesserent urbe, daturos quod Lars Tollumnius dedisset:* & *Romanis a Samnitibus, si quod adiissent in Samnio concilium haud inviolatos abituros.* 6. Distinguit *Grotius* inter principem, ad quem legatio missa est, & tertium quempiam principem, a quo legatus nec missus, nec ad eum missus est. *Non pertinet ergo hæc lex ad eos, per quorum fines non accepta venia transeunt legati. Nam siquidem ad hostes eorum eunt, aut ab hostibus veniunt, aut alioqui hostilia moliuntur, interfici etiam poterunt,* quod *Athenienses fecerunt legatis inter Persas &*

Spar-

Spartanos, Illyrii legatis inter Essios & Romanos: multoque magis *vinciri*, quod *Alexander in eos, qui Thebis & Lacedæmone ad Darium missi erant, Romani in legatos Philippi ad Annibalem*, Hispani in Gallorum ad Turcam legatos, Maximilianus, teste *Crantzio*, in Flandriæ civitatum legatos ad Gallum. Huc ergo redit status quæstionis: *An salvo gentium jure voluntario legatus delictum gravius patrans in territorio principis, ad quem missus & a quo admissus est, puniri ab eo principe possit?* Negantem sententiam probamus sequentibus argumentis: *Status quæstionis.*

I. In cujus potestate non est legatus peccans, ab eo nequit puniri. Arg. I.

In principis, ad quem missus est, potestate ejusmodi legatus peccans non est E.

Major probatur, quia pœnas infligere, non est nisi superioris qua talis, est enim pœna ultimum in coactione: coactio autem non competit nisi superiori τῇ ὑπερεχούσῃ ἐξουσίᾳ, quo de pluribus agetur *capite sequenti vigesimo*. Ut ergo is, qui plane non est superior, hoc est, in neminem imperium habet, plane nullum jus puniendi habet: Ita nec is, qui superior est, hoc est, habet imperium in alios, habebit jus puniendi eos, in quos interim nullum imperium ei quæsitum est.

Minor

Minor patet, quia legatus gerit vicem sui principis, ad quem missus est, hoc est, juris gentium fictione habetur pro persona mittentis. *In Legato*, inquit *Livius*, *est majestas publica*. Et de Popilio, legato quodam, *Cicero : Senatus faciem secum attulerat, auctoritatem Reipublicæ.* Ita Arsaces Rex Parthorum Orabazum, legatum ad Syllam, quod in colloquio locum honoratiorem ei cesserat, ultimo supplicio affecit. Est hæc communis *Politicorum* sententia. Sicut igitur princeps mittens non est in potestate principis, ad quem mittitur: ita nec quasi princeps, hoc est, principis legatus. Bene *Gentilis lib. 1. c. 20. In persona, quæ principem refert, ipse princeps subditur, si ea subdatur.*

Arg. II. II. Absens & exlex a principe, extra cujus territorium vivit cujusque legibus non tenetur, puniri nequit.

Ejusmodi legatus peccans est absens & exlex E.

Major patet, quomodo enim obligabitur ad pœnam civilem, qui lege civili & potestate puniendi solutus est? Eadem ratione nullum jus pœnæ quæsitum erit principi in eum, qui & extra ipsius territorium constituitur & ab ipsius legibus liber est.

Minor probatur; Sicut enim juris gentium fictione legatus habetur pro persona mittentis, ita simili fictione constituitur extra territorium ejus principis, ad quem missus

missus est, civilique jure populi, apud quem vivit, non tenetur.

III. Quem fides publica protegit, inviolatus relinqui debet. ARG. III.

Ejusmodi legatum peccantem fides publica protegit E.

Major est evidens, quia fidem publicam violare non injustum tantum est, sed & impium omnium confessione. Nam fidei publicæ nomen & hostes hostibus reconciliare potest.

Minor probatur, quia admissio quasi contractus est, quo legatus suam salutem credidit ei, ad quem missus est, alter vero securitatem sive expresse sive tacite pollicitus est.

IV. Ex quo gentes in nimis gravia pericula veniunt, & absque quo ipsa pax vix est, ut aliter coëat, aut certa maneat, omnino juris gentium religione defenditur. ARG. IV.

Atqui ex licentia violationis ejusmodi legati peccantis gentes in nimis gravia pericula veniunt & absque inviolabilitate ejus ipsa pax vix est, ut aliter coëat aut certa maneat E.

Major propositio est liquida. Nam ex respectu communis gentium societatis jus gentium voluntarium ortum est.

Minor probatur, quia nullum fere negotium nominari potest, quod majoris utilita-

tis

tis ac necessitatis, hoc est, magis salutare ac necessarium esse possit, quam legationum. Quod sermo singulis, legatus est Rebuspublicis: nam ut illius beneficio voluntatem & affectus nostros alii aliis patefacimus, ita hujus ministerio principum consilia ac mutua desideria ultro citroque communicantur. In ore legati est aversos Principes conciliare, arma compescere, bello sedato pacem ac concordiam stabilire, nunquam reconciliatorum Principum ac populorum fidem ac amicitiam servare. Paucis: tantum est momenti in legationibus, ut nulla penitus rerum administrandarum perfecta ratio hoc sublato munere constare possit. Imperiorum quippe causæ & negotia, quæ ab ipsis imperantibus immediate expediri aut plane nequeunt aut sine gravi periculo sæpe expediri non possunt, (cum, ceu supra *p. 1131.* monebatur raro conducibile sit reipublicæ & statui communi Magnates & Principes ipsosmet esse diu coram & in familiari conversatione cum aliis Principibus aut imperantibus. Imo quid fiet cum integris populis imperantibus? populus namque ipse ad alium populum, quoties cum ipso negotium intercedit, non poterit migrare) aut literis, aut nunciis gerenda erunt & expedienda: Ecquis vero non videt literis publicæ securitati ac tutelæ non satis consuli, quando negotia, quo reconditiora majo-

majori fide ac silentio degenda, eo literis concredita facilius eliminantur, & in eorum, quos minime expedit nosse, manus incidunt, alias etiam intercipiuntur. Nec obscurum esse potest, quod occurrant interdum quædam adeo impedita atque implicata, ut per literas neque expediri commode, neque ut rei, de qua agitur, magnitudo postulat, facile explicari disceptarive possint. Quædam etiam inter agendum accidunt vel agentibus in ipso tractatu emergunt, quæ ut provideri humanitus nequeunt, ita nec præscribi, in quibus omnibus quod literis non valent, legatorum ministerio conseqvuntur populi populorumque rectores, & tutissime simul ac plenissime perficiunt: quam vero necessarium est legationis munus, quam saluberrimum ac arduum, tam periculo plenum opus erit aleæ, tam minoris utilitatis momentique, si jurisdictioni principis, ad quem legatio missa est, legatus ipse subesse debeat; locabitur valde in lubrico salus legatorum, sicque mittentium Principum populorumque salus, si actuum suorum rationem alii reddere debeant, quam a quo mittantur. Nam cum plerumque diversa sæpe & adversa sint consilia eorum, qui mittunt legatos, & qui accipiunt, vix est, ut non semper aliquid in legatum dici possit, quod criminis accipiat speciem. Et quanquam quædam sunt ita ma-

nifesta,

nifesta, ut dubitationem non habeant, cit tamen ad æquitatem & utilitatem universalis periculum universale. Midus igitur potius erit legatus ad eum misit, cum postulato, ut eum puniat audat, quomodo Gallos postulasse legiut sibi dederentur Fabii. Quod si neuis, qui misit legatum, præstiterit, ab ipsogi bello tanquam criminis approbatpoterit. Non enim est, quod dicatur sunum, nempe legatum, statim punfuisse, quam bello multos involvi: nais, qui legatum misit, factum ejus prlegati pœna bello hos non eximet.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrariumlata nunc respondetur, & quidem

RESP. AD ARG. I.

Ad I. respondetur negando conseqtiam & probationem ejus. Mittere legacrimen atrocius & ad publicum malumctans patrantem ad eum, qui misit, postulato, ut eum puniat aut dedat, nosanctum habere scelus legati, aut scelejusmodi patrocinium quærere.

RESP. AD ARG. II.

Ad II. respondetur sano sensu conposse totum argumentum. Hoc enim ono conceditur legatum delinquentem esse immunem a pœnæ reatu. Aliud verlegatū puniri posse, imo & debere, alieum puniri posse & debere ab eo, ad qmissus est. Legatus expectationem Prpis, a quo admissus est, fallere potest, fi

su

ſuam, quam non interponit, frangere non intelligitur, & proinde ſi legatus deliquerit, id a principe, qui pro eo fidem interpoſuit, potius quam ab ipſo exigendum erit: Et cum is alteri principi ſatisfacere teneatur, merito ejus legatus ipſius judicio permittendus eſt.

Ad III. reſpondent nonnulli celebres Politici negando conſequentiam majoris. Nempe volunt plus in principem, quam in legatum perduellem licere. Rationes has urgent: 1. quia jus gentium magis proſpiciat legationib9 utpote frequentioribus & maxime neceſſariis, quam principum inter ſe congreſſibus, qui ſint plerumq; voluntatis, non neceſſitatis, & rarius uſurpentur, æq; ac *Jure Romano* Tribunitia poteſtas majori ſecuritate munita fuerit, quam conſularis. 2. quia legati a principe admiſſi ſecuritas fide publica nitatur, quæ jure gentium interpoſita intelligatur, principis vero in alterius territorio pendeat ab ejus humanitate tantum & juſtitia communi. 3. quod legatus ad ſuum principem remiſſus ab eo puniri vel dedi poſſit, ut puniatur, princeps autem ad ſuos dimiſſus ordinarie, a quo puniri vel dedi poſſit, neminem habeat. Deducit has rationes *Zoucheus* in *diſſert. de legati delinquentis judice competente c. 4. p. m. 64. & ſeq.* Quia vero jam non eſt quæſtio, cui plus ſecuritatis in alieno territorio indul-

Resp. ad Arg. III.

tum videri possit, num principi, an p
pis legato, respondemus potius ad
mentum simpliciter negando minorem
positionem. Nam quia æquali in æq
jus imperii quæsitum non est, adeoq; n
pœnæ, sponte cadit tota minor prop

RESP. AD ARG. IV. Ad IV. respondetur per privatum
ligi aut simpliciter privatum, aut qui i
to casu se gerit per modum privati.
us, minor est falsa: est enim legatus
ca persona. Si posterius, major fallit.
persona legati a persona hominis n
dividua, quare si quid agat legatus p
mandatum & in eo delinquat, prin
domino suo est obnoxius.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasio quæstionis habet
5. & 6. quam egregie auxit Cl. *Rich*
Zoucheus laudata *dissertatione de leg*
linquentis judice competente, qua sente
Grotianam ornate & dilucide exposuit
pendit, & quæ contra eam dicta fuer
prolixius solvere sategit, dignus om
qui legatur.

CAPUT XIX.

De

JURE SEPULT
RÆ ALIISQUE QUIBUSD
QUÆ EX JURE GENTIUM V
LUNTARIO DEBENTUR.

§. 1.

Ex jure gentium, quod ex voluntate ortum habet, debetur & corporum mortuorum sepultura, hoc est, non prohibere, quo minus sepeliantur mortui, cum & hostibus publicis deberi sepulturam omnes gentes sentiant, adeo ut ob negatam sepulturam bellum juste suscipi censuerint veteres consensu magno. *Jus sepulturæ quid?*

[*Grotius c. 19. §. 1. 2. 3. & 5.*]

NOTÆ.

I. *Grotius* noster copiosissimum testimoniorum ac exemplorum numerum mirando studio collegit, quo assertionem hancce stabiliret: nos interim in præsenti anxie soliciti non erimus, num inter juris gentium voluntarii recte & propric sic dicti capita jus sepulturæ mereatur referri? id quod tantum abest ut asseramus, ut ne quidem hocce jus peculiare caput juris gentium apud nostrum auctorem videatur facere. Crederes forte citius ipsum huncce communem gentium morem, cum a tot celebribus scriptoribus juris gentium nomine censeatur, quod instar legis sit, noluisse penitus tacere. Ipse enim *noster* officium sepeliendi non tam homini, id est personæ, quam humanitati, id est, naturæ humanæ, præstari *§. 2. n. 6.* docet, sicque pro publica humani-

tate venditat. Et certe occasionem autori nostro præbuit inspectio Chrysostomi, qui post legatorum jura hanc consvetudinem gentium commemoraverat.

II. Inquirit *Grotius* simul in causam moris hujus introducendi, ut corpora humo tegerentur; Ipseque quatuor recenset opiniones, de quibus ipse videatur.

III. Digressionem simul ad alias quæstiones facere voluit auditu non injucundas, nec vero inutiles. Et quidem primo quærit: an in ullo casu liceat seipsum citra magistratus humani publicam auctoritatem Deique expressam voluntatem interficere? Affirmativa est nostri *Grotii*, cujus ratio moralis includi potest sequenti argumento: Quod Deus vult, ut fiat ab homine, hoc fit ab homine salvo jure naturæ. Atqui Deus vult, ut in certo casu homo citra publicam magistratus humani auctoritatem vel instructionem se interficiat E. Major patet, quia Deus alias fieret causa peccati. Minor probatur, quia fieri potest, ut quis videat se deinceps victurum in probrum ipsius Dei. Quia igitur non nobis sed Deo in vitam nostram jus est, præsumta Dei voluntas mortis anticipandæ consilium absolvit. Negativa interim est verissima & a nobis probatur sequentibus argumentis: 1. Si homicidium est ex sua natura turpe, sequitur, quod etiam omnis occisio sui ipsius ci-

tr

tra publicam magiſtratus auctoritatem Deique expreſſam voluntatem ſit illicita. Prius eſt verum E. & poſterius. Conſequentia probatur, quia qui ſeipſum ita occidit, hominem occidit, à quo nunquam odium, ſed potius amorem, & plerumque nimium expertus eſt. 2. Si nemo habet jus in vitam ſuam, ſed Deo jus in vitam noſtram eſt, ſequitur, quod citra magiſtratus publicam auctoritatem Deique expreſſam voluntatem nemini ſeipſum interficere liceat. Prius eſt verum E. & poſterius. 3. Quicunque non vult honeſte vivere, cum poſſit, ille agit contra jus naturæ. Atqui qui citra magiſtratus publicam auctoritatem & Dei expreſſam voluntatem ſeipſum interficit, is non vult honeſte vivere, cum poſſit E. Major vix indiget probatione, quia jus naturæ præcipit continuam vitam honeſtam. Minor patet: nam homini invito nemo poteſt honeſtatem eripere, cum honeſtas cujusvis pendeat ab ipſius libero arbitrio. Si igitur illa vis eſt honeſtatis, ut nunquam tibi, quamdiu vivis, invito eripi poſſit, nullum dare poteris caſum, ubi citra magiſtratus auctoritatem Deique expreſſam voluntatem liceat ſeipſum interficere. 4. Recte *Ariſtoteles: Mori fugiendæ moleſtiæ ergo, non hominis fortis ſed timidi eſt: mollities enim eſt fugere vitam, quia laborioſa eſt & non ſuſtinere, quia moleſta eſt.* Vid. *L. III. c. 11. Eth.*

Ad argumentum pro affirmante sententia allatum respondetur negando propositionem minorem ejusdemque probationem. Nam si attendamus, quid sit præsumtio, nempe fatente ipso *Grotio*, collectio alienæ voluntatis ex signis maxime probabilibus, facile liquet ipsi naturæ præsumtionis repugnare hoc assertum: Longe enim probabilius est, Deum, qui sanctissimus est ac omnipotens, infinitæ sapientiæ ac justitiæ, nolle, ut quis seipsum interficiat, ne vivat in Dei probrum, cum nihil Deo probrosum esse possit. Nec unquam media Deo desunt, quibus vindicet eos, qui sanctissimo Numini probrum intentant. Et quid clarius certiusque esse poterat juris naturalis & divini præcepto: non fac homicidium, quod sane præceptum juris naturalis a Deo nobis inditum contrariæ præsumtioni nullum locum relinquit. Cæterum ad exempla e *Sacris* allata, ut Samsonis, Saulis, Razis Hierosolymitani Senatoris, aliorum quod attinet, ad ea eruditissime Dominus *Zieglerus* JCtus respondit in suis animadversionibus. Dignissima omnino est, quæ commendetur, Dni. *Samuelis Rachelii*, celeberrimi JCti Doctorisque Moralis, prolixa & plane egregia *dissertatio de morte voluntaria*. De eo interim, num quis sententiam mortis a judice latã, si expressa magistratus voluntas adsit, in certo casu salvo naturæ jure in semetipso

possit

possit exequi? sequenti *20.cap.* occasio agendi dabitur. Deinde hanc quæstionem movet *Grotius*: num insigniter facinorosis denegari juste possit sepultura? *Grotius* putat adesse dubitandi causas, & valde dubitat, an mos laudandus sit hodiernus, quo videmus quorundam damnatorum corpora diu in publico conspectu relinqui, ipse tamen regulæ suæ de sepeliendis mortuis exceptionem eorum, qui ipsi sibi mortem consciverant, non invidet. *Nec*, inquit, *id mirum, cum in hos aliud supplicium constitui non possit, qui mortem pro supplicio non habent.* Enim vero utut non miremur *Grotium* huic favisse opinioni, utpote qui immane quantum virtutis nomine laudat imperium magistratus humani sine morte cujusquam, & saltem non injustas penitus vocat pœnas capitales sequenti *capite 20. §. 12.* nihil tamen causæ videmus, cur *Grotium* hic κατὰ πόδα sequi omniaq; exempla eorum, qui insepulti in historiis abjecti leguntur, injustitiæ aut inhumanitatis damnare velimus. Nam quod ipse *Grotius* nobis suggerit, si αὐτόχειρες, quia mortem pro supplicio non habent, sepulturæ jactura puniri possunt, ut a voluntaria morte absterreantur, quidni in eos & mortis & simul denegatæ sepulturæ supplicium statui posset, in quibus libido peccandi adeo altas egit radices, ut supplicio mortis iis similes non de-

terreantur, nisi superaccedat aperta atque conspicua denegatæ sepulturæ pœna, quæ ad exemplum pertinet, ut quando de patibulis pendent, aut rotis imponuntur.

Alia quædam juris gentium voluntarii.

§. 2. *Sunt & alia quædam, quæ ex jure gentium voluntario debentur, ut longo tempore possessa, successiones ab intestato, & quæ ex contractu quantumvis inæquali veniunt.*

[*Grotius* §. 6.]

NOTÆ.

I. Ea exempla ideo hic adfert *Grotius* noster, quia in *præcedentibus capitibus* hinc inde de iis actum fuerat. Nec est quod objiciatur, quasi ea omnia juris naturalis sint. *Nam quanquam*, ut scite *noster* respondet, *ex jure naturæ ortum aliquatenus habeant, accipiunt tamen ex humana lege firmitatem quandam sive adversus conjecturæ incerta sive adversus exceptiones quasdam, quas alioqui ratio naturalis videtur suggerere. Sed de his supra obiter a nobis de jure naturæ agentibus ostensum est.*

II. Plura juris gentium voluntarii capita magis distincte enodabuntur sequenti *III. Lib.* Non enim existimandum est, ac si omne jus gentium voluntarium *hisce duobus capitibus*, hoc scilicet & sequenti, absolvere *Grotius* noster voluerit: Et licet *sequenti libro* maximam partem de iis juris gen-

gentium voluntarii debitis, quæ bellorum publicorum auctoribus incumbunt, egerit, hoc tamen non subeat mirari, cum occasione bellici juris quæcunque juris gentium voluntarii doctrinæ incidere solebant, tractare voluerit, ut ipse *L. I. c. 1. §. 1.* testabatur.

CAPUT XX.

De POENIS EARUMQUE MERITIS, ubi simul de MERITO IN GENERE AC DEMERITO, item de MORALI IMPUTATIONE, CULPA ET REATU, ut & CULPÆ ET REATUS ABOLITIONE agitur.

§. 1.

Poena distinguitur 1. in pœnam verbalem & pœnam realem: Pœna verbalis est *ea, quæ verbis fit, castigatio*, adeoque nihil aliud est quam vituperium, uti notat testimonium turpitudinis actui morali adhærentis: ita *Pœna distinctio.*

Amicum castigare ob meritam noxiam,
Immune est facinus, verum in ætate utile.

Minus vero proprie pœna verbalis censetur pœna, imo proprie nulla est pœna, quia qua talis *nihil continet coactionis*. Pœna realis absolute dicetur pœna, hujusque loci & considerationis est.

[*Grotius c. 20. §. 7. n. 2.*]

NOTÆ.

I. De pœna ejusque jure acturis varias in antecessum notare distinctiones convenit: Etenim nequit pœna commode definiri, quia itidem in numero eorum, quorum natura est, ut definiri nequeant, hoc est, communium πρὸς ἕν, continetur.

II. Eleganter *Diodorus Siculus in excerptis Peirescianis: Laus est quasi quoddam virtutis præmium nullo constans sumtu: Vituperium vero est pœna vitii absque vulnere.*

III. Videtur, ac si *Grotius* noster quamvis verbalem castigationem pro vera pœna ac proprie sic dicta habuerit, quod vix poterit admitti.

Alia pœnæ distinctio. §. 2. Distinguitur 2. pœna in privatam & publicam: Pœna publica est, *quæ fit ab eo, qui superior est*, ut quando magistratus facinorosum punit. Pœna privata est, quæ fit ab eo, qui superior non est, ut quando in solitudine,

ne, ubi continue judicium cessat, innocens nocentem punit.

[*Grotius* §. 3.]

NOTÆ.

I. Ita distinguit *Grotius*, qui putat, etiam salvo jure naturæ jus pœnæ alicui quæsitum esse posse in alium, quo ipse non est superior, modo non sit æque nocens, qui jus pœnæ affectat, quam sententiam, quia *Grotius* ex professo multis in paragraphis & docere conatus est, & repetit, prima statim quæstione examinare, contrariamque tueri conabimur veritatis gratia. Nam si in ullo alio certe in hoc capite in non paucis modestiam dissensionis nostræ docere tenebimur, id quod eo minus nobis vitio vertetur, quia in pluribus *Grotium* habebimus præeuntem, qui in egregio tractatu, cui titulus: *Defensio fidei catholicæ de satisfactione Christi adversus Faustum Socinum, Senensem*, multa defendit mascule, postea Socinianorum affectui serviens frigide deseruit, ut merito exclamemus: en quantum mutatus ab illo! Cum enim *Johannes Crellius*, *Socini* hyperaspistes, publicæ luci commisisset *responsum ad* nostri *Grotii librum*, vidit autem hæc *Crellii* responsio publicam lucem anno hujus seculi vigesimo tertio, huic nihil quicquam reposuit *Grotius*, imo per ejus excessum anno quadragesimo quin-

quinto omnis omnino vindiciarum expectatio decollavit.

II. Sicuti nulla datur societas sine imperio, sic etiam in omni societate jus pœnæ locum invenit. Interim quia maxime & primario imperium in civitate imperium dicitur, ideo simpliciter pœnæ dicentur, quas magistratus civilis sumta notione magistratus in sensu Philosophico, plane securi de ejus acceptione apud Romanos JCtos recepta, infligit delinquentibus, ut pœnas, quibus e. gr. maritus uxorem, parens filium, dominus servum afficiunt, non nisi secundario & cum addito pœnas vocemus. Eo respexerunt *Moralistæ*, quibus placet distinctio inter pœnam (publicam pœnam) & castigationem (pœnam privatam).

Alia pœnæ distinctio.

§. 3. Distingui 3. solet inter pœnam justam & injustam. Justa pœna definitur pœna delinquenti qua tali debita, e. gr. rota latronis, gladius homicidæ justa pœna est. Injusta pœna sic communiter delineatur, quod sit pœna alteri non debita.

NOTA.

Injusta pœna non est pœna, (quia (α) in quantum injusta, non pertinet ad virtutem moralem, ad quam omnino pœna spectat. (β) Ea ratione pœna injusta est pœna, qua jus injustum sibi titulum juris vendicat.

(γ) Pœ-

(γ) Pœna injusta semper in tantum culpam excludit, in quantum injusta audit: ubi autem culpa non est, ibi nec eatenus, quatenus culpa abest, pœna locum habet, ut mox pluribus dicetur.

§. 4. Distinguitur 4. pœna in pœnam culpæ propriæ & pœnam culpæ alienæ. Pœnam culpæ propriæ vocant, quam quis luit sua culpa: e. gr. quando perduellis & feudo suo & omni dignitate & ipsa quoque vita privatur. Pœnam culpæ alienæ nominant, quam quis luit culpa alterius: e. gr. quando posteri culpa ejus, qui contra suorum scientiam & voluntatem crimen læsæ Majestatis commiserat, feudo multisque aliis dignitatibus carere tenentur. *Alia pœnæ distinctio.*

NOTA.

Pœna culpæ alienæ proprie & in rigore Philosophico non est pœna, si præcise spectetur ex parte ejus, qui liber est a culpa, seu qui alterius culpam luere censetur, ut sequenti *capite 21.* ex *Grotio* nostro declarabitur.

§. 5. Videamus pœnam distingui apud plures in pœnam reparatoriam, expiatoriam, assecuratoriam & medicinalem seu emendatoriam. *Alia pœnæ distinctio.*

NO-

NOTÆ.

I. Tenendum, quod una eademque pœna ſingulas quatuor denominationes pro diverſa ratione quandoque ſubeat. Ponamus exempli loco ſequentem caſum: Titius verbis contumelioſis iisdemque ſat atrocibus, non erubuit proſcindere Sejum, qui rem defert ad Magiſtratum, ut in Titium tantam calumniam vindicet. Faciamus igitur Titium calumniatorem a Magiſtratu eo adigi, ut non ſine inſigni dedecore teneatur calumniam revocare & palinodiam canere, qua ſane retractatione Sejo fama reſtituitur, illudque damnum, quod Titius Sejo ejusque exiſtimationi intulerat, reparatur, & hoc dicunt *pœnam reparatoriam*. Dicunt quoque *pœnam expiatoriam* alio ſenſu, in quantum ſcilicet Titius in foro civili, poſtquam pœnam pertulerat, non amplius injuriarum reus peragitur, nec juſte peragi poteſt. Porro quandoquidem Sejus & alii boni honeſtique viri eo ipſo, quod Titius pœnas pendit, injuriarum ſecuri fiunt, ſpemque concipiunt fore, ut ne denuo Titius cuiquam contumelioſe faciat injuriam, ſic *pœnæ*, ceu vocant, *aſſecuratoriæ* notioni locum relinqvunt; Quod ſi denique attendamus, voto Magiſtratus reſpondere eventum, ipſumque Titium emendaſſe vitam ſuam, deſtitiſſe a calumniis, nec ulterius

rius famam Seji aliorumve allatrare, jure optimo *pœna emendatoria* seu medicinalis denominabitur.

II. Datæ distinctionis fundamentum eruitur ex duplici ad delictum & damnum habitudine: Nam quoties fit, ut a delinquente alteri damnum illatum sit, istudque reparatur auctoritate Magistratus in ordine ad damnum præteritum, notio *pœnæ reparatoriæ* obtinet: Si Magistratus caveat, ne is, qui læsit, lædenti amplius noceat, qui certe futuri damni metus non inanis fuerat, ratione damni futuri *pœna* statuitur *assecuratoria.* Pariter quando cognoscimus, quod is, qui deliquerat, præteriti delicti eo in foro, in quo sustinuit pœnam, iterum nequeat argui, sic in ordine ad delictum præteritum *pœna* suo modo *expiatoria*, aut ut alii malunt loqui, reconciliatoria dicetur: Si tandem consideremus, quomodo delinquens aut delinquenti similes emendentur, ut periculum a futuris delictis Reipublicæ imminens evitetur, in ordine ad futurum delictum *pœna emendatoria* locum invenit.

III. Melius vix datur assequi doctrinam adductæ distinctionis, quam si quis secundum *Analytices* præcepta decenter instituta comparatione singulorum modo enumeratorum membrorum, *cuinam ex dictis absolute, quibus vero minus proprie pœna no-*

tio,

tio attribuatur ? dispiciat. Ita sumamus exemplum *pœnæ reparatoriæ:* Titius abit in forum, atque Sempronium furti arguit: Judex cognoscit factum Semproniumque furem eo adigit, ut centum imperiales Titio ablatos teneatur restituere, hancce restitutionem auctoritate judicis a Titio volente nolente factam vulgo nominari *pœnam reparatoriam* constat: sed quis quæso formaliter & absolute pœnam diceret, cum sane hac ratione malum quilibet pateretur, qui depositum reddit, aut aliam quamcunque rem suo restituit domino. Repetantur ea, quæ *capite decimo hujus libri* de bonæ & malæ fidei possessore diximus, quod una utriusque ex re possessa sit obligatio, scilicet tendens ad rei restitutionem.

IV. Capiamus exemplum *pœnæ expiatoriæ:* Accius continentis linguæ pœnam tulit, judicemque sibi adeo reconciliavit, ut Mævius læsus nullam amplius pœnam a judice queat poscere, inde apud Vulgus Accii pœna nomen *pœnæ expiatoriæ* invenit. Sed facillimum est animadvertere, quod in eo formalis ratio pœnæ nequaquam consistat, quoties delinquens soluta pœna non amplius ejusdem pœnæ reus tenetur. De expiatione quando loquimur, eam spectatam volumus in ordine ad forum civile: Longe aliter sese res habet, si ad tribunal divinæ justitiæ respiciamus, ut quando nostrates

ſtrates *Theologi* docent, quomodo Deus ſinat damnatos expiare peccata æternis ſuppliciis in gehenna. Item quod mellitiſſimus Salvator noſter ſua paſſione ac morte peccata noſtra expiaverit, modo vera fide Chriſti expiationem nobis, (ut loqvuntur) appropriemus, qua de re agere noſtrum nunc non eſt, nec ad *morales Scholas* pertinet.

V. Arripiamus exemplum *pœnæ aſſecuratoriæ:* Fabius Lucio ex mera petulantia levem impegit colaphum, nuncque percuſſionis pœnam dependit, inde evenit, ut Lucius ſecurus fiat a metu ulterioris percuſſionis, hancque Fabii *pœnam aſſecuratoriam* cum aliis cenſeat. Sane per hoc, quod pœna Fabio inflicta Lucio ſecuritatem præſtet, pœna non eſt, cum alias in ſecuritate formale pœnæ conſtituendum eſſet, quod annon inepte fieret, judicent qui poſſunt.

VI. Qvum igitur ex his ita conſideratis non obſcure, ut opinamur, liqueat, quod *pœna reparatoria, expiatoria, aſſecuratoria,* formaliter pœna non ſint, conſequitur ſane (hoc ſuppoſito, quod ſufficiens membrorum diſtinguentium enumeratio facta fuerit, quodque detur aliquid, cui primario & per prius nomen pœnæ competat) *pœnam emendatoriam* ſeu medicinalem primario ac ſecundum prius pœnam eſſe, ut καт᾽ ἐξοχὴν pœna audiat juxta *Analyticorum* axioma:

Commune πρὸς ἕν per se positum stat in ... mosiori significatu.

Causa finalis pœna. §. 6. Causa finalis pœnæ est v... moralis emendatio. Nam si quærat... Cujus gratia pœna sit vel infligat... respondetur: in vitæ moralis em... dationem.

NOTÆ.

I. Fere definitionem pœnæ, quæcun... tandem illa sit, utilius faciliusque perc... rit, qui in causas pœnæ paulo curiosius... quirit: hujus rei gratia lubet causas p... in antecessum expendere.

II. Et quidem cùm a fine potissimæ... monstrationes in *Moralibus* petantur, pr... loco *causæ finalis* speculatio nobis se ... Excipi vero contra positam assertionem... poterat: si sæpe pœna eum, cui inflig... tollit e societate, imo viventium num... sequitur, non esse perpetuum & essen... pœnæ, ut in vitæ moralem emendatione... sit, vel infligatur. Ad hoc ut respondea... 1. velim ponderetur probe, delinquen... esse in societate, quod pes vel manus e... corpore. Egregie Princeps & subditi ... tatem veluti mysticum quoddam co... constituunt, ut Princeps capitis, subdi... liorum membrorum rationem obtinea... Sicut enim corpus ægrotat, manu vel ... ægrotante: Ita propter commissum ...

ctum male ſe habet ſocietas in hocce pravo membro, perſonam delinquentis intellige. Itaque

- - - - - immedicabile vulnus
enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Licet igitur ipſe delinquens non emendetur, ſufficit, alios delinquenti ſimiles a peccatis abſtrahi, eorundemque libidinem peccandi coërceri ac tolli. 2. Quid? quod delinquens, etſi vel e ſocietate jubeatur exeſſe, vel funditus extirpetur, adhuc emendatus dici poſſit, non in ſenſu ajente quidem, tamen negante: Efficitur eo ipſo, ut quando relinquere tenetur ſocietatem, non amplius peccet in ſocietate, aut quando penitus ſuſtollitur, nulla deinceps vexetur peccandi libidine. Et huc facit, quod *Grotius* noſter §. 7. *n.3.* differit, dum ait: *Hoc puniendi genus ad mortem pertingere non poteſt, niſi eo modo, quem reductivum vocant, quo negationes reducuntur ad rerum oppoſitarum genera. Nam ſicut Chriſtus dixit, melius quibusdam futurum fuiſſe, id eſt, non tam male, ſi nati nunquam eſſent, ita ingeniis inſanabilibus melius eſt, id eſt, minus eſt malum, emori quam vivere, quando certum eſt vivendo pejores evaſuros.* Quomodo *ſuppurato melius eſt uri quam ſic manere, ita improbe mori quam vivere, ait Jamblichus.* Et

Galenus: Expedit mori ita corruptis animo, ut ad sanitatem perduci nequeant.

III. *Grotius* noster causam finalem pœnæ, ut præsentis considerationis est, *utile* constituit, dum inter alia §. *4. n. 2.* sic disserit: *Homo ita homini alteri ipsa consanguinitate alligatur, ut nocere ei non debeat, nisi boni alicujus consequendi causa.* Item *n. 3.* verbis *Senecæ* sibi placet, *ad vindictam veniendum non quasi dulce sit vindicare, sed quasi utile.* Mox sequenti §. *5. n. 1.* hæc scribit: *Dictat ratio homini nihil agendum, quo noceatur homini alteri, nisi id bonum aliquod habeat propositum.* Tandem *n. 4.* ita concludit: *Liquet ergo ab homine hominem non recte puniri tantum puniendi causa, quæ ergo utilitates rectam faciant pœnam, videamus.* Et §. *6. n. 2.* docet: *In pœnis respici aut utilitatem ejus, qui peccarit, aut ejus, cujus intererat non peccatū esse, aut indistincte quorumlibet.* Videatur prolixe a §. *4.* usque ad §. *10.* Enimvero non liquet, cur finem pœnarum ponere debeamus utile, & non potius honestum, secuti *Philosophum* totque magni nominis Doctores alios, ipso *Grotio* in suis *Prolegom.* ad id instigante. Non enim pœnis emendandi veniunt delinquentes, quia utile, sed quia honestum est, cum utilitas non sit mater justi, sed honestas mater utilis. Equidem verum est, pœnam utilem esse, sed ita ut simul maneat honesta,

hone-

honestate semper existente justissima & infallibili regula dictæ utilitatis, quamcunque tandem subtilitatem doctrinæ de eo, quod in pœnis utilitatis est, quispiam venetur. Relinquimus ergo, quod primario & maxime pœnæ finis sit honestas.

IV. His fundamentis instructus forsan levi opera cognoscet, quod neque triplex causæ finalis pœnæ partitio Grotiana, nec variæ aliorum auctorum distinctiones nostræ sententiæ præjudicent, modo observetur, & quod de fine ultimo ac absolute tali nobis sermo sit, & quod plures fines subordinati hoc ipso minime excludantur. Ita licet dicatur, delinquentis causa pœnam imponi, quo is corrigatur: læsi causa, vel ut damnum illi, quantum fieri potest, resarciatur, ne malis sua licentia sit lucrosa & bonis damnosa, vel ne conditio læsorum deterior sit conditione delinquentium, vel ut lædentis pœna læsis solatio sit: aliorum civium causa, ut exemplo & metu pœnæ deterriti, vel meliores reddantur vel boni maneant: Magistratus causa, ut legum ejusdemque auctoritas, in quam peccatum fuerat, conservetur: totius societatis civilis causa, ut tranquillitas & pax publica vigeant, simulque gratia Divini Numinis augeatur &c. Manet tamen ultimus finis honestum. Et utilia illa non habent finis rationem, nisi quatenus in iis ratio honesti quæritur.

Plura de fine pœnarum qui cupit cognoſcere, adeat *Grotium* noſtrum *citato capite*, in quo hanc materiam præ cæteris tractavit, *Johannem Althuſium tractatu de pœnis cap. 1.* & *Alfonſum a Caſtro Zamorenſem tractatu de poteſtate legis pœnalis L. I. c. 3.*

Cauſa efficiens pœnæ.

§. 7. Cauſa efficiens pœnæ eſt Magiſtratus, isque ſolus.

NOTA.

Quod Magiſtratus ſit cauſa efficiens, ex definitione Magiſtratus cuivis conſtare debebat, cum contradictionem implicet, jurisdictionem (ſumto hoc termino in ſenſu philoſophico, ceu *Grotius* quoque accipiebat *L. I. c. 3. §. 1.* ut *p. 372.* indicavimus) dari absque jure pœnæ: Quod autem ſolus Magiſtratus ſit cauſa efficiens, ex eo cognoſcitur, quia ſi alii præter Magiſtratum jus pœnæ competeret, ille quoque jurisdictionẽ ſibimet vindicare poſſet, quod certe ſalva Magiſtratus auctoritate nequit admitti. Equidem *Grotio* aliter videbatur, ſed de eo *nota 1.* ad præcedentem §. 2. *p. 1163.* diximus.

Subjectum pœnæ.

§. 8. Materia in qua ſeu ſubjectum pœnæ eſt delinquens.

NOTÆ.

I. Dicitur: delinquens. Nam delicti eſſentiale & perpetuum conſequens eſt culpa: ubi autem culpa, ibi quoque reatus. Ergo ubi delinquens, ibi reus.

II. De

II. De delicto, item culpa & reatu mox pluribus agetur in hoc ipſo capite.

§. 9. Materia circa quam, ſeu objectum pœnæ, ſunt delicta. *Objectum pœnæ.*

NOTÆ.

I. Quippe ad delicta poteſtas puniendi extrinſece terminatur.

II. Nec eſt, quod urgeatur, proprie non delicta, ſed delinquentes puniri, ſicque non illa, ſed hos objectum pœnæ eſſe, cum vera prædicatio nõ ſit: delictũ punitur, ſed plane impropria prædicatio & ἀφιλοσόφως prolata: Annon enim (quod reſponſi loco eſto dictũ) per hoc aliquid eſt objectum, quando actus potentiæ extrinſece ad illud terminatur: exempli gratia objectũ viſionis paries, amoris Deus? Jam vero ad delictum extrinſece terminatur pœna: Cur ergo delictum non haberi pro pœnæ objecto poſſet? Neque vero ſtatim adducimur, ut pro falſa vel impropria (licet toto cœlo differant: prædicatio falſa & impropria prædicatio, nec ab illa ad hanc aut ab hac ad illam conſequentia valeat) prædicationẽ hanc (delictum punitur) habeamus, interim eam pro extrinſeca prædicatione habentes. Multum quippe diſcriminis intercedit inter prædicationem impropriam, falſam, & extrinſecam: Ita nec viſio eſt in pariete, nec amor in Deo, ſicque paries viſus, Deus amatus,

tus, extrinsece, proprie tamen & vere denominantur.

III. Materiam ex qua rigorose philosophando pœna non admittit, interim secundum analogiam eidem tribui solet. Non enim quempiam, qui aliquantisper in *Moralistarum* lectione versatus est, facile fugit, qua ratione inter materiale & formale rei moralis distingui soleat: Ita exempli gratia: materiale injuriæ vocant damnum, formale constituunt in eo, quod a sciente & volente fiat præter voluntatem & meritum ejus, qui istud patitur. Idem modus distinguendi occurrit in præsenti, ubi materiale pœnæ dicimus malum triste, *Grotius* malum passionis vocat, non quod istud malum semper sit passio, sed quia licet actio sit, cum molestia tamen conjungitur, idque propter ad passiones referri potest: Ita exempli gratia, multi eo ipso pœnam sustinent, quando aggerem extruere, terram fodere, lapides cædere, carrum trahere tenentur, qui actus eatenus mala passionis sunt, quatenus non fiunt absque molestia.

IV. Cur malum passionis materiale pœnæ dicatur, causa est, quia multa dantur mala passionis, quæ tamen non statim sunt pœnæ, exempli gratia modo recensitas actiones non semper pœnas dixeris. Sic faciamus Titium rusticum & Sempronium

male-

maleficum ad idem opus e. gr. ad exſtruendum aggerem obligatos eſſe, illum quidem, quia ſub principis id jubentis poteſtate eſt, hunc, quia ad iſtud opus condemnatus fuerat, idem pœnæ materiale datur ex parte utriusque actus, ut tamen hæc exſtructio ſolius malefici pœna ſit.

V. Digna eſt doctrina de materiali pœnæ, quæ accuratius notetur, quippe cujus neglectus parit pœnæ veræ & pœnæ apparentis confuſionem: videntur enim multa mala pœnæ, quamvis revera non ſint. Ita e. gr. quando vir illuſtris perduellis factus eſt, ipſeque ſimul & poſteri feudo carere jubentur, ut tamen poſteri in culpa non ſint, carentia feudi & parentis & poſterorum pœna apud vulgus audit: Sic quando majores privilegiis abutuntur iisque eam ob cauſam privantur, non raro amiſſionem privilegiorum, quæ nempe culpa majorum perdita ſunt, dici pœnam poſterorum audias. Rurſus quando Titius promiſit pro Cajo delinquente, & nunc pro eo pecuniam tenetur ſolvere, communiter ſolutio pecuniæ pœna Titii cenſetur pro Cajo ſoluta. Ratio, ob quam multa mentiuntur pœnæ ſpeciem, in promptu eſt; quia idem utrobique materiale pœnæ datur, hocque ideo, quia quandoque peccata ejus conditionis ſunt, quæ attrahunt peccanti abſentiam boni, absque quo peccato ſi fuiſſet, tale

bonum is, cui ob patratum delictum aufertur, in alium aut plures derivasset: inde aliter evenire nequit, quam ut illius boni amissio, quæ formaliter delinquentis pœna est, redundet in alium aliosve, natura dictæ pœnæ id exigente. Hoc ipsum conspicitur in datis exemplis: carentia feudi non est pœna liberorum, nec privilegiorum absentia est pœna posterorum, licet feudo aut privilegiis destituantur, sed infortunium, ex delicto parentis aut majorum in liberos vel posteros redundans, cum formale pœnæ ex parte posterorum aut liberorum desit. Sic quod tertium exemplum refert, si Cajus delinquens pecuniam propter delictum commissum, e. gr. læsionem famæ Sempronii solvisset, præstita solutio formaliter fuisset pœna: At quando Titius fidejussor solvit, solutio non est pœna, quamvis eadem sit solutio, quæ materiale pœnæ Seji foret, si Sejus multaretur: nam Titius non delicto se obligat ad solutionem, sed promisso, adeoque jure promissionis solvit pecuniam, quam alter jure pœnæ debuisset solvere.

Forma pœnæ.

§. 10. Forma pœnæ in eo consistit, quatenus malum passionis seu malum triste infligitur delinquenti qua tali a magistratu in moralis vitæ emendationem, justo servata utriusq; mali ad invicem æqualitate. NO-

NOTÆ.

I. Formam pœna proprie non habet, quia materiam, ex qua vere composita sit, eidem denegavimus, agnoscit tamen *ἀναλογικῶς* dictam formam, prout idem, quod ratio formalis significat: In *Scholis* formæ metaphysicæ, item logicæ, notionem obtinet. *Metaphysici* enim & *Logici* nunc propriam rationem, sub qua aliquid ad tale vel tale entis genus primo restringitur, nuncupant formam, nunc totam essentiam rei eidemque respondentem definitionem hoc nomine censent. Priori sensu si cum illis loquamur, formale pœnæ erit illa ratio, sub qua malum passionis seu triste est pœna: quænam vero illa sit, difficultatem habet. *Grotius* noster *primo* statim *paragrapho* in eo quærit formale pœnæ, quod (malum scilicet passionis, hoc enim antea materiale salutabatur) *infligatur ob malum actionis* seu turpe. Quæ *Grotii* sententia utut primo intuitu non videatur approbatione digna, quia sic etiam justa defensio, qua quis in periculo mortis aliter inevitabili cum occisione latronis se defendit, (quam aggressoris occisionem *Doctores Morales* moderamen inculpatæ tutelæ vocant, ceu *capite 1. L. II.* docuimus) formaliter pœna esset, quod tamen nemo nobis persuaserit: Pariter hac ratione multa infortunia,

nia, quæ tamen ex numero formaliter dictarum pœnarum exclusimus, pœnæ essent: Ita exempli gratia, quando posteri feudo carere ob crimen læsæ Majestatis a parente commissum dicebantur, negari nequit, quod propter malum actionis posteri careant feudo, illaque carentia feudi sit malum passionis, nec tamen (posito quod actio a parente commissa nec directe nec indirecte posteris fuerit voluntaria) formaliter est pœna. Nec primo intuitu difficultatem videtur tollere limitatio a nonnullis adjecta, quod in eo formale pœnæ constitui debeat, quod (malum passionis) infligatur a Magistratu ob malum actionis, vocula *ob* utriusque cum mali passionis, tum mali actionis, justam æqualitatem & proportionem significante: nam quandò posteri privantur feudo eo modo, qui in proposito exemplo adducebatur, hoc certe malum passionis auctoritate summi Magistratus posteris infligitur ob malum actionis. Sed credimus, *Grotii* sententiam optimo jure defendi posse, si ita explicetur hæc propositio: Malum passionis infligitur ob malum actionis, ceu ipso §. *10.* locuti sumus; & huc facit ipsa *Grotii* explicatio, dum §. *28.* scribit: *Ob quod est meritum, puniendus nemo est ultra meritum.* Potest ergo vocula *ob* dupliciter sumi: 1. ut notat nudam occasionem; 2. ut meritum notat, & in posteriori sensu hoc loco

oco sumitur, ut malum passionis infligi ob malum actionis idem sit, ac malum passionis infligi ei, qui malo suo turpi, hoc est, delicto suo, servata justa inter malum passionis & malum actionis proportione, malum passionis promeritus est, ab eo, qui jus infligendi habet, hoc est, magistratu.

II. Posteriori sensu forma pœnæ erit definitio pœnæ.

§ II. Pœna est malum triste (*malum passionis*) quatenus in moralem vitæ emendationem a magistratu personæ delinquentis qua tali in societate infligitur suo malo turpi (*malo actionis* suæ) id merenti. *Pœna definitio.*

NOTÆ.

I. Dicitur *malam triste* seu malum passionis, ut communis conceptus pœnæ & quasi generi respondens eo explicetur. Repetantur ea, quæ *not. 3. ad §. 9. p. 1176.* diximus.

II. Dicitur *in moralem vitæ emendationem*, ut causa finalis indigetur, de qua agebatur *§. 6. p. 1170. seq.*

III. Dicitur *a magistratu*, ut significetur causa efficiens, quæ §. *7. p. 1174.* indicabatur.

IV. Dicitur *personæ delinquentis qua tali*, ut subjectum innuatur, quod declarabatur *§. 8. p. 1174.* Additur *in societate*, ut distinctius

ctius constet, quodnam sit subjectum
næ? Scilicet est illud homo in societat
stitutus alteroque inferior, cum ne
ipsum punire possit, adeoque pœna
societatem locum non habeat, nec eti
inferiori aut æquali quis puniri queat

V. Dicitur *suo malo turpi id mere*
forma pœnæ exprimatur, quæ expo
tur §. *10. p. 1178.* His autem verbis t
subinnuitur, & quod nemo pœnam p
pati, nisi deliquerit, vid. *Grotius* nost
& quod proportio esse debeat ac æqu
inter delictum & pœnam, vid. *Grotiu*

VI. Hocce sensu si explicetur pœn
finitio a *Grotio* tradita §. *1.* hisce v
Est autem pœna generali significatu m
passionis, quod infligitur ob malum a
eam admittimus, quam tamen per o
sic explicatam in ipso *Grotii* capite
quæsiveris.

Pœna divisio.

§. 12. Dividitur pœna 1. in ca
lem & non capitalem: Illa est, qu
linquens vita privatur: Hæc di
qua delinquens alio bono quam
privatur. Ita e.gr. capitales pœna
pœna gladii, rotæ, suspendii; non
tales sunt pœna fustigationis, mu

NOTÆ.

I. Est hæc divisio pœnæ in suos g
ut ita analogice loqui liceat.

II. Nimium quantum *Grotius* commendat eos, qui pœnas capitales in alia supplicia mutant, quo & acrius damnatis inuratur pœnitentia, & magis ad exemplum proficiat pœna diuturnior, imo saltem non injustas vocasse videtur pœnas capitales, ceu §. *12. n.3.* videre est. Add. *§. 14. 15. & 16.* Cui tamen sententiæ non temere ausim subscribere tanta facilitate.

§. 13. Dividitur pœna 2. in pœnam *Alia pœnæ divisio.* æris & pœnam corporis. Illam delineant, quod sit pœna, qua quis bonis fortunæ suæ (aut in tantum aut in totum) privatur. Vocatur etiam multa. Pœnam corporis nuncupant, qua quis immediate in corpore suo malum passionis sentit, indeque percipit dolorem: Omnis capitalis pœna erit pœna corporis, quamvis etiam pœnæ non capitales huc referri queant, ut fustigatio, carcer, item quando quis pœnæ titulo lapides tenetur cædere, carrum trahere.

NOTA.

Multa ita dicta, quod multa pecora penderentur, id est, plura uno: suprema enim multa, a qua cæteræ nomen traxere, erat ovium duarum, boum triginta *Gellius XI. 1.* Vid. *Hugo Grotius sparsione Florum ad jus Justinia-*

stinianeum, & quidem *ad l. aliud fraus D. de verborum significatione*. Add. *Dionysii Gothofredi notæ ad h. l.*

Alia pœnæ divisio.

§ 14. Dividitur 3. pœna in pœnam damni & pœnam sensus. Nam quia omnis pœna dicit carentiam boni debiti contractam ob culpam, ea potest dupliciter spectari: 1. simpliciter & ut nullum positivum connotat aut importat, quod dolorem punito inferat: Exempli gratia quando quis multam solvit: 2. ut hujusmodi privatio simul importat positivum quid, unde is, qui punitur, dolorem persentiscat: ut quando exempli gratia alicui delinquenti auris amputatur. Priori modo si spectetur malum pœnæ vocatur malum damni ipsaque pœna pœna damni: at posteriori ratione malum pœnæ dicitur malum sensus, ipsaque pœna pœna sensus nuncupatur.

§. 15. De morali merito nunc agendum venit. Est autem morale *meritum* realis relatio actionis moralis ad rem a recta ratione prædeterminatam, cujus ipsum agens morale capax existit vi juste servatæ inter ipsam actionem ipsamq; rem præstitutam æqualitatis, hone-

Morale meritũ quid?

honestatis moralis amplectendæ fugiendæque turpitudinis moralis gratia. Exempli gratia homicidium a Titio commissum est actio moralis, & quidem in specie moraliter mala seu turpis, habetque pro consequente morali meritum pœnæ capitalis, cum nemine cogitante Titius capax existat pœnæ capitalis a recta ratione determinatæ, modo attendatur ad justam æqualitatem, quæ inter hoc delictum, commissum scilicet homicidium, tanquam malum actionis, & inter pœnam capitalem, tanquam malum passionis, dum nempe Titio, qui vitam eripuerat, rursus publica auctoritate vita eripitur, juste servatur.

[*Grotius* §. 28.]

NOTÆ.

I. Dicitur: *realis relatio*, ut significetur, totam meriti notionem consistere in τῷ ad aliud referri. Convenit ergo meritum cum moralitate, quia moralitas etiam moralis relatio est. Dicitur 2. *Actionis moralis*, ut contradistingvatur meritum morale aliarum rerum moralium realibus relationibus, id quod ad differentiam genericam meriti moralis pertinet, cum etiam hæc differentia moralitati competat.

II. Reliquis verbis omnia & sing
riti moralis significantur, quippe n
latet, quam impossibile sit relation
lem exacte cognoscere, nisi omnia
tionis requisita lustrentur. Videa
go ea, quæ ad meritum morale, ut
relatio, requiruntur: Ea vero sunt
ctum & terminus, item ex parte ut
fundamentum, ex parte utriusqu
fundandi, quæ ex parte termini ter
ratio dici solet. De singulis agetu
quentibus paragraphis breviter.

Moralis meriti subjectum.

§. 16. Subjectum meriti r
est actio moralis; ita exempli
actio, qua quis ex vindicta priva
ri præter meritum vitā eripit,
illud ipsum, quod dici potest m
capitalis supplicii.

NOTÆ.

I. Nihil actionis moralis nomin
nisi sit in potestate agentis: Hinc (
istud notare liceat) ex natura hujus
ti facile judicium tulerit is, qui Th
studio litat, quomodo bona opera
ant esse meritum vitæ æternæ, etia
ctentur ut speciali spiritus gratia a
commissa sunt, nam si ita spectentur
scilicet speciali Dei auxilio indige
queunt dici actiones morales, cum
sint in mero arbitrio ac potestate

agentis, quod tamen actioni morali, ut meritum morale dicatur, perpetuum est.

II. Subjectum relationis alias in Logicis dici solet illud, in quo est relatio. Quod si de subjecto inhæsionis hoc ipsum intelligatur, nolumus merito morali talismodi subjectum adjudicare, cum morales relationes qua tales, utut reales sint, non tamen realiter existentes dici possint. Est ergo nobis sermo de subjecto attributionis, hoc est, de eo, cui ejusmodi relatio tribui possit: Attribuitur autem actioni morali sano & commodo sensu, dum nempe negari nequit, quod actio moralis mereri aliquid possit ac revera mereatur.

III. Videri poterat, subjectum moralis meriti potius dicendum esse ipsum agens morale, hoc est, personam agentis moralis. Nam homo meretur malum aut bonum: & certe huic Philosophiæ locum relinquimus. Interim quia homo actione morali meretur, ideo ut merens ad moraliter agentem, sic meritum ad moralem actionem suo modo referri poterat, ut terminis abstractis hæc res exprimeretur. Nec adeo magna difficultate premitur hæc disquisitio, quia de subjecto denominationis agitur.

§. 17. Fundamentum meriti moralis ex parte subjecti est id, per quod moralis actio apta est ad hoc, ut meri- *Moralis meriti fundamentum ex parte subjecti.*

tum, quatenus relationem mo
dicit, ei attribui poſſit, nempe
lis æqualitas inter ipſam actione
ralem ejusque terminum, ex pa
men actionis moralis præciſe ſp
illa ipſa autem æqualitas ſempe
qualitas rationis, hoc eſt, a recta
ne ſeu recto viri prudentis judi
terminata, ſive ſimul ſit rei æq
quæ alias vocatur æqualitas
πρᾶγμα, ſive non ſit æqualitas r
alias dicitur æqualitas καθ' ἰσότ
καθ' ἀναλογίαν. Conſulatur
§. 32.

Moralis meriti ratio fundandi.

§. 18. Ratio fundandi eſt c
media inter fundamentum ex
ſubjecti & terminum relationi
lis, quæ meritum dicitur, qua
poſita ponitur ipſum meritũ, ho
parte ſubjecti nihil amplius req
ad eam relationem moralem, q
riti nomine nuncupatur, eſtq
actualis æqualitas inter ipſam
nem moralem ejusque termin
rum ex parte actionis moralis
ſpectata: exempli gratia inter
cidium & homicidæ occiſion

rationis æqualitas, quæ simul æqualitas rei est, quia uterque actus physice spectatus unam specie rem dicit.

NOTÆ.

I. Ut possibile & actuale in Metaphysicis differunt, sic æqualitas rationis inter actionem moralem ejusque terminum præcise ex parte actionis tanquam subjecti spectata nunc fundamentum ex parte subjecti, nunc ratio fundandi dici potest.

II. Ex hoc fundamento rursus judicari potest, quod bona opera non arguant meritum vitæ æternæ, cum utut a renatis fiant, nulla tamen æqualitas inter ea & vitam æternam detur.

§. 19. Terminus, ad quem meritum tanquam relatio moralis tendit, est res a recta ratione prædefinita, bonum quid vel malum: exempli gratia terminus, ad quem moralis relatio homicidii, ut meritum dicitur, tendit, est mors. *Meriti moralis terminus ad quem.*

§. 20. Fundamentum meriti ex parte termini est id, per quod res ista, quæ terminus dicitur, apta est, ut ad eam moraliter referatur, nempe possibilis æqualitas inter ipsam moralem actionem & terminum, ex parte tamen termini præcise spectata. *Meriti moralis fundamentum ex parte termini.*

NOTA.

Per terminum non terminus actior ralis, sed terminus relationis moralis hoc loco intelligitur.

Meriti moralis ratio terminandi. §. 21. Ratio terminandi est c tio media inter fundamentum re nis moralis ex parte termini, & tum ipsum, qua posita, ad term aliquid actu refertur, videlice actualis æqualitas rationis inter moralem actionem & terminu parte tamen termini præcise spe

NOTA.

Sic nimis abstracte meriti morali latio est, requisita recensuimus, intim spectio horum requisitorum mox in pœnæ obveniet.

Meritum morale quotuplex? §. 22. Meritum morale dupl meritum boni & meritum mali

Meritum boni quid? §. 23. Meritum boni est reali tio actionis moraliter bonæ seu stæ ad rem a recta ratione præde natam, cujus ipsum agens mor pax existit vi juste servatæ inter actionem honestam & inter ipsa præstitutam æqualitatis. Vocatu κατ' ἐξοχὴν meritum in Scholis N starum.

NOTA.

Distingvunt *Moralistæ* inter meritum verbale & reale, illud vocant meritum laudis, hoc meritum præmii. Absolute loquendo meritum præmii est meritum.

§. 24. Meritum mali est realis relatio actionis moraliter malæ seu turpis ad rem a recta ratione prædeterminatam, cujus ipsum agens morale capax existit vi juste servatæ inter ipsam actionem moraliter malam seu turpem (malum actionis) & inter ipsam rem præstitutam (malum passionis) æqualitatis. A Moralistis demeritum vocatur. *Meritum mali quid?*

NOTÆ.

I. Quippe *Moralistæ* non facile merito mali absolute tribuunt nomen meriti, sed dicunt demeritum, aut cum addito, meritum mali.

II. Non infrequens in *Moralistarum* Scholis est distinctio demeriti in verbale & reale, illud est meritum vituperii, hoc est meritum pœnæ. Conf. *not. ad §. 23.*

§. 25. Delictum morale est actio per se turpis adeoque jure naturæ prohibita. *Delictum morale quid?*

NOTÆ.

I. Per actionem definitur delictum ut

a vitio morali distinguatur. Nam li
tium & delictum in moralibus freq
sine discrimine sumantur, distinguin
men hoc actum, illo habitum; hoc
ctum in operatione, illo defectum in
tate; hoc actum secundum, illo actu
mum significantes.

II. Huc spectant ea, quæ *L. I. c. 1.*
seqq. p. 8. & seqq. allata sunt.

III. Quia nulla actio turpis esse
nisi sit voluntaria, hoc est, a liber
trio qua tali procedens, ideo nomin
nis turpis a delicti definitione remo
(*a*) actiones intrinsece necessariæ,
modi actionem fuisse falso opinaba
vus Zenonis furtum a se commissur
in eodem deprehensus fustibusque
exceptus ait: Fatale mihi erat fur
cædi, respondit Zeno apud *Laërtium*
Studio indigitavimus actiones int
necessarias, siquidē actiones dantur
sece necessariæ, hoc est, tales, quar
cessitas (ut *Moralistæ* loqvuntur) sta
libertate: exempli gratia, Titius om
lutionem debitori stato tempore p
dam, eamque nequit non omittere
credito a se dilapidato, nullatenus
vendo, ut loqvuntur. Utique omi
jus solutionis Titio est necessaria, m
men delictum, quandoquidem sua
impotentiam solvendi sibi attraxit

mini quidem actio, quæ necessaria est, in genere morum imputari potest, dummodo quis, cur aliter se habere nequeat, in culpa non sit. Si enim quis necessitatis libera causa ipse existat, quemadmodum peccavit efficiendo, ut commissio actus, quem debebat omittere, vel omissio actus, quem debebat committere, fieret necessaria: Ita peccat committendo, quod non potest omittere, vel omittendo, quod non potest committere. (β) Actiones per violentiam involuntariæ: sic in expugnatione Nonnæi Galliæ oppidi mulier quædam e latebris, in quas ad evitandum militum furorem se una cum marito receperat, educta, & in conspectu ejusdem contumeliosissime constuprata fuit: Post gladium jussa stringere, in quem usum ignara, (regebatur enim aliena manu & a tergo ab aliis impellebatur) in virum incubuit, eundemque lethali ictu confecit, non contento milite innocentis fœminæ pudicitiam violasse, nisi etiam innocentes muliebres manus mariti sui sanguine contaminasset. Sane expers omnis culpæ mulier mansit, nec adulterii nec parricidii rea. (γ) Actiones per ignorantiam involuntariæ: ita meminit B. *Lutherus* cujusdam filii, qui ex invincibili ignorantia non solum cum matre, quæ ancillæ vices eo in loco, ubi a filio pravæ libidinis causa expectabatur, suppleverat,

fed & cum filia fua ab eodem infcie
tre fufcepta inque uxorem ducta
buerat, ut tamen licet & cum matre,
filia ac forore coiviffet, nullius ince
gui poffet. Id quod Erfordiæ co
Tom VI. Latin. Witteb. feu in *comm*
per Genef. c. 36. teftatur. (δ) A
quæ a pueris, mente captis ac furic
talibus, fiunt, quia ufus rationis ipfi
ficque impetu agunt, non confulto
berato. (ε) Actiones nec invol
per ignorantiam, nec voluntariæ:
nator inimicum fuum inter virgult
tem, quem pro beftia ex ignoranti
cibili habuerat, interfecit, nullumqu
actione cognita concepit dolorem,
ri potius fuffufus voluptate, imo ve
facturus, fi vel maxime ibi hoftem
fciviffet. Involuntaria venatori neu
ea actio dici potuit, utpote quæ no
contra liberam venatoris inclinati
Neque tamen voluntaria dici pote
laboravit ignorantia invincibili, cun
plorandum, num ibi latitaret inimic
obftrictus fuiffet, nec ulla ejus fuif
fumtio. Latius igitur patet actio pe
rantiam non voluntaria, quam per ig
tiam involuntaria: Ad illam fuffici
rantia invincibilis, ad hanc infupe
ritur, ut ea ignorantia fit ἐπίλυπος
eft, ut eam in continenti, dum excu
pœnitentia fequatur.

IV. Delicti denominationem non omnis actio lege prohibita, nec eodem modo incurrit: Nam dantur 1. leges ſimpliciter injuſtæ, hoc eſt tales, quæ e diametro pugnant cum jure naturæ, unde tantum abeſt, ut actiones contra eas delicta audiant, ut potius actiones per ſe honeſtæ ſint & jure naturæ revera præcipiantur: Ita ſi Scytharum & Eſſedonum quiſpiam civium ſuorum lege obligatus eſſe noluiſſet, vi cujus parentem ſuum ſeptuagenarium laniare, dilaniatumque cæſis pecorum viſceribus miſtum cum familiaribus conſumere tenebatur, utique ea omiſſio actus fuiſſet per ſe honeſta ac laudabilis. 2. Actiones contra leges civiles qua tales intrinſece non ſunt turpes, adeoque nec intrinſece delicta dici queunt; ratio datur, quia quod intrinſece turpe eſt, illud ex ſua natura ac per ſe differens eſt: Leges vero civiles hoc ſolo reſpectu pro civilibus in rigore dictis habendæ ſunt, in quantum circa ea, quæ indifferentia ſunt, aliqua determinant, ſicque non præcipiunt aut prohibent niſi adiaphoras actiones. Ita exempli gratia actio mere adiaphora eſt, cum vel ſine gladio incedere, jam faciamus lege civili cautum eſſe, ne quis intra urbem gladio inſtructus incedat, utique contra legem civilem qua talem ageret, qui cum gladio incederet, nec tamen hæc actio intrinſece moralis eſſet, unde nec intrinſece deli-

delictum denominari posset,
tamen denominationem actio
ges civiles qua tales sunt deli
ptu causa est, quia cui lex civil
ta est, is tenetur ei obsequi. Se
violat præceptum juris natura
res sunt honorandi, & hac ra
intrinsece turpis reus judicat
quod inde quis eliciat, quasi
civilem qua talem agere, non
quere: Nam hæcce duo con
sunt: vere, & intrinsece ita di
stantiam: Vere visus dicebat
tamen intrinsece visus diceb
adjicimus, quodqua ratione
nunc quod per se turpe est, nu
liter, aut, ut *JCti* loqvuntur,
tale audit, eo modo inter deli
ac delictum civile distingui
terim primario & absolute lo
le delictum nomine delicti c
niat. 3. Dantur actiones co
cundum quid civiles, quæ p
indifferens est, intrinsece ac
quid involvere dicebantur.
contra istiusmodi leges qu
sunt, intrinsece non sunt deli
tamen delicta intrinsece dic
e diametro adversantur illi
nesto, quod involvebatur
quia in tantum non ut civiles
les se habent.

§. 26. Delictum 1. est vel imperfectum vel perfectum: Imperfectum delictum vocamus delictum imperfecte voluntarium: Delictum perfectum dicitur delictum perfecte voluntarium.

Delicti distinctio. *Delictum imperfectū quid?* *Delictum perfectum quid?*

NOTÆ.

I. Bene *Grotius* noster §. 19. n. 1. *Peccatum esse non potest, nisi quod libere fit*, & ex hoc fundamento proposita distinctio petebatur.

II. Ad imperfecta delicta spectant *delicta præcipitantiæ* & *delicta infirmitatis*. Illa fiunt, quoties mediante phantasia & appetitu sensitivo intellectus subito apprehendit bonum jucundum, hocque proponit voluntati sub ratione boni tantum jucundi, & nullo modo sub ratione turpis aut noxii, tuncque voluntas determinatur ad hujus appetitionem, & non est in ejus potestate appetere & aversari, eo quod determinate intellectus ei proponat bonum & non simul proponat ipsi malum, quod respuat. Vocantur etiam a *Moralistis* motus inordinatæ voluntatis primo primi: Motus voluntatis nuncupantur, quia vere procedunt a voluntate, nec sane per ignorantiam involuntariæ actiones sunt, quia antegressa est cognitio per intellectum facta: primo primi tamen appellantur, quoniam voluntas fertur præ-

cise in objectum non satis cognitum
ne. Delicta infirmitatis quid sint, e
infirmitatis moralis notione datur
assequi: est vero ea nihil aliud, qu
potentia quædam naturæ rationalis
gendum honestum, aut fugiendum
nasciturque ex amissa justitia origin
de amissione, quia Philosopho qua t
distincte constat, mirari non ampli
eat, cur delicta infirmitatis *Aristote*
que gentiles non habuerint pro
moralibus. Etenim quando *Arist*
consulimus, ipse nullas actiones pro
moralibus venditat, nisi quæ ita ac
tur rectæ rationi, ut una plene ac p
voluntaria, sint, quod de delictis in
tis dici nequit, quo minus minusqu
ἐφ' ἡμῖν in nostra potestate seu no
luntaria & quasi invitæ voluntati
debent. *Grotius* noster vocat *actu*
tabiles naturæ humanæ. Et certe e
ma sunt verba, quibus sensa animi
hos actus hunc in modum declarat,
§. 19. disserit: *Quanquam peccatum*
potest nisi quod libere fit, ab omni
omnino peccato & semper abstinere su
manam est conditionem, unde cogna
mini esse peccare inter Philosophos S
Hierocles, Seneca, inter Judæos Philo
Historicos Thucydides, inter Christia
rimi prodiderunt. Imo dubitari potest

recte & proprie peccata dicantur, cum libertatem, quam in specie habere videntur, in sua generalitate considerata nō habeant. Conf. egregia testimonia a *Grotio* ibidem allata. Ex communium περὶ ἐν doctrina facili ratione ea, quæ diximus, liquent. Nam generalis delicti notio absolute ac primario, ceu monuimus, perfecte ac simpliciter voluntariis actibus per se turpibus attribuitur.

III. Alias non inficias statim ibimus, quod quia moratiores gentiles cognoverunt, nullam in homine dari naturalem inclinationem ad turpe, quamdiu natura rationalis qua talis inque sua perfectione spectatur, sed omne illud honestum esse, quod naturæ rationali qua tali convenit, omneque illud convenire naturæ rationali qua tali, quod honestum est, simul tamen perspexerunt, omnes homines inclinare ad turpe, inde in confusam quandam notitiam naturæ rationalis corruptæ ipsi venerint. Ita *Aristoteles III, Ethic. c. ult.* expresse agnoscit *malum συγγενὲς congenitum, quod nisi cohibeatur, immensum in modum excrescat, ut rectam rationem non raro deturbet de suo solio.* Quod enim rectæ rationi qua tali disconvenit, illud moraliter malum est. Enimvero de hac quæstione: An & quousque de peccato originis ex naturæ lumine quicquam constare possit? ipsique cognata altera: An & quousque moratio-

res

res gentiles peccati originalis notit
buerint? hic loci agere ratio instit
permittit, ejus autem quæstionis tr
nem ex professo sustinuimus in *Trac*
stro *Morali de satisfactione*, qui su
versatur.

IV. Ad præcipitantiæ delicta nonn
licta incontinentiæ referunt, quod fi
advertētia rationis: At difficultas pe
do ponderetur, quod peccata inco
tiæ eo, quo fiunt, tempore non quid
actuali intellectus notitia conjung
sufficiens tamen notitia virtualis
Exempli gratia quando affectus ve
moris ita corripit juvenem, ut tum
ris quando sufficiens illicitæ veneri
sio adest, de turpitudine actus ta
nihil quicquam cogitet, quam tamen
cum nondum effectu corriperetur, sa
spectam habuerat.

V. Sic ergo in eo quidem delicta
pitantiæ & delicta infirmitatis conv
quod sint nimis imperfecta delicta
runt tamen in eo, quod illa arguant
dam agentis ignorantiam sive fiant a
rante, cum e contrario hæc fiant a
Illud, quod scilicet delicta præcip
antevertant judicium practicum
ctus, dubium movere poterat, qua
ratione extra actuum per ignoranti
vitorum classem maneant? Verum

tionem tollit evolutio duplicis modi, quo actus aliquis antevertere judicium intellectus practicum dicitur: 1. ea ratione, ut nulla plane antegressa sit cognitio per intellectum facta. 2. hoc modo, ut aliqua sed nondum perfecta & qualis ad perfectam moralitatem requirebatur, advertentia rationis antegressa sit: si priori modo sumatur locutio, negatur, quod delictum præcipitantiæ omnem intellectus advertentiam antevertat, si posteriori modo, conceditur, ceu ante concessum est, quod actus præcipitantiæ fiant sine advertentia rationis, hoc est, sine prævia satis sufficienti intellectus practici cognitione, inde vero nondum sequitur, quod sint actus inviti per ignorantiam. Ratio est, quia ad actus per ignorantiam invitos requiritur, ut antegressa sit ignorantia essentialis alicujus circumstantiæ, aut plurium, hoc est, ut una, aut plures circumstantiæ essentiales neque perfecte, neque imperfecte fuerint cognitæ, quippe alias actio absolute & simpliciter invita minime dicetur.

§. 27. Delictum 2. est vel elicitum, vel imperatum. Illud est actus voluntatis elicitus per se turpis. Hoc est actus voluntatis imperatus per se turpis. Exempli gratia volitio adulterii *Alia delicti distinctio. Delictum elicitum quid? Delictum imperatũ quid?*

 est

nii nobilissimi *Commentarii*, ut & Domini *Rachelii* plane egregius *tractatus de principiis actionum moralium disp. 3. th. 13. & seqq.* Eandem rem ex instituto deduximus & *tractatus* nostri *moralis de Satisfactione cap. 1. de natura satisfactionis* eximiumque inter solidam Jurisprudentiam ac Philosophiam moralem consensum circa hanc materiam explicare conati sumus.

IV. Elicitus actus voluntatis iterum distinguitur in merum, & eum, qui in imperatum actum influit. Merum elicitum etiam dicere licet inefficacem: hunc efficacem. Inefficax, quem alias Moralistæ motum moralem nuncupant rursus in primo primum & secundo primum ab iis distinguitur, quibus tertii generis actum elicitum inefficacem addunt, quem delectationem morosam, item nudam complacentiam nuncupant. Talismodi in efficax actus elicitus iterum nunc est de impossibili, nunc de possibili. Pariter efficax actus elicitus voluntatis nunc sumitur in sensu strictiori, nunc laxiori: Priori modo denotat illum, qui ipsi actui imperato ultimo atque omnimodæ ejus consummationi est conjunctus, ut quando e. gr. Sejus Cassium ex προαίρεσι jam revera mittit ad inferos, aut quando furaci manu bona ipsius abripit secumque aufert, aut quando uxorem ejus scelesto violat stupro, &c. qui actus eliciti καἰ' ἐξοχὴν

efficacis nomen sustinet: Posterio
eum indigitat, qui quidem ope
nondum est consummatus, ad actu
imperatos intermedios, quibus ad
perveniretur, processit, ut quando
jus egreditur domo, ense armisve
insidias struit, ipsum gladium string
cidendum Cassium; aut quando a
nes & scalas, ædibus applicat, fen
fringit, cistas ac scrinia aperit, ut in
hat pecunias; item quando in via
uxorem Cassii, obvenientem aggr
progredientem comitatur, & in de
litudinem abducit, ut ibi eandem
ret, vitiaret, suamque expleret libi
Ex his facile est colligere, quomodo
elicita nunc delictis perfectis, ut
dio, furto, adulterio, sint propiora
rum inter hæc & illa interveniat;
ab iisdem remotiora, ut plura
prius oporteat, quam ipsum perag
nus. Quo ergo magis actus eli
actus ultimo propiores procedit,
dicitur efficax, æque atque poten
minus ab actu remota est, eo mag
tiæ veræ ac per excellentiam talis
acquirit. Plurimum etiam efficac
actus augetur, quando ita tendit
ctum, ut solum ab extrinseco princ
peditus effectus fuerit idque propt
secutus sit, sive quando non conce

occasio agendi, nam hac ratione actus imperatus nihil prorsus bonitatis aut malitiæ moralis actui elicito addit. Verum has distinctiones omnes atque singulas earumque practicum usum in præsenti enucleare non licuit, præstitum vero id videri potest in integra *dissertatione morali de Moralitate meræ cogitationis* sub moderamine nostro anno superiori conscripta.

V. Et hæc circa §. *18. 19. & 39.* dicta sunto, uberiorem hujus Grotianæ doctrinæ dilucidationem in *dissertatione* modo citata invenire est.

§. 28. Delictum 3. est vel internum, vel externum: hoc in aliorum sensus incurrit, vel aliunde probationem admittit, illud minime. *Alia delictorum distinctio.*

NOTÆ.

I. Non omne delictum internum est elicitum, nec omne delictũ imperatũ est externũ.

II. Sunt, qui non omnem actionem per se turpem delicti nomine vocant, sed eam demum, de qua per externa signa abunde constat, seu quæ externa est.

III. *Innocentius Papa III. in cap. cum olim de verborum significatione* tres refert modos, quibus actio turpis satis manifesta putetur, confessionem, probationem, & evidentiam rei, quæ nulla tergiversatione pos-

sit celari. Vid. *Alfonsus a Castro*
potestate legis pœnalis L. II. c. 10.

Alia delictorum distinctio.

§. 29. Delictum 4. in *Mo*
Scholis in delictum cordis, d
ris & operis distinguitur.

NOTA.

Potest hæc distinctio duplic
1. pro distinctione generis in su
ita exempli gratia delicta cordis
resis, odium Dei aut proximi &
oris, injuriæ verbales, mendaciu
licta operis ex. gr. adulterium,
2. pro distinctione unius ejusd
licti in suos gradus analogice sic
ex. gr. adulterium potest vocari
cordis, oris & operis: Cordis, q
cupiscit maritus alienam uxor
listæ vocant adulterium inchoa
delictum est, quando hic ipse m
ro alienam uxorem invitat ad c
illicitum: In Scholis *Moralista*
adulterium confirmatum. Ope
nunc turpiter cum ea concumb
appellant adulterium consumm

Alia delicti divisio.

§. 30. Delictum 5 aliud
te committitur adversus De
neglectus pietatis: aliud adv
delinquentem, estque negl
bitatis seu rectæ Φιλαυτίας

versus proximum, estque neglectus justitiæ.

NOTÆ.

I, Primi generis delictorum mentionem facit *Grotius* §. 44. vocatque *delicta, quæ in Deum committuntur.* Secundi & tertii generis delicta indigitat §. 30. his verbis: *Versamur non in quibusvis peccatis, sed in iis, quæ respectum habent extra peccantem.* Conf. ea, quæ supra *L. I. c. 1.* §. *25. p. 65. & notis ad eund.* diximus.

II. De debito pietatis *Grotius* noster a §. 44. usque ad 48. multa egit ad juris naturalis Philosophiam spectantia: Quorum occasione unum vel alterum lubet notare, prolixiorem tractationem alii occasioni reservantes.

III. Pietas duplicem sustinet significatum: 1. notat actum primum, maxime vero habitum scilicet colendi Deum. 2. significat actum secundum, hoc est, cultum Deo debitum, prout is pro actu sumitur.

IV. Agitur autem de pietate naturali, non item, quatenus speciali Spiritus S. gratia & auxilio indiget.

V. Datur namque duplex Theologia naturalis: una theoretica quæque ad Philosophiam theoreticam pertinet, qua scilicet Deus cognoscendus venit, ut a materia sensibili realiter abstractus est: altera practi-

ca, quæque directe & per se ad Phil
am practicam spectat. Essentiale r
discrimen Theologiæ naturalis
ticæ a Theologia naturali practica in
cipere datur, quod illa pro fine h
essentiali meram speculationem, l
nudam Dei ejusque naturæ & att
rum contemplationem: Hæc vero
cum in eo potissimum occupetur, u
nem mediis convenientibus ad Deu
quam finem ultimum dirigant, sicqu
mam hominis beatitudinem in D
quam boni infinite perfecti & summ
one constituat.

VI. Ut ergo genuina ac sufficien
damenta, vel etiam solidam de jur
ralis pietatis scientiam moralem q
animo præcipere possit, omnino ex n
fuerit, Theologiæ naturalis, uti quid
Aristotele ac celebrioribus accurati
que *Philosophis* ad *Metaphysicam* refer
studium excoluisse. Studio dicimus:
solidæ scientiæ moralis nomina sibi
rare voluerit, ejusdemque de debit
ralis pietatis fundamenta recta &
jacere; namque aliud est scientia
dentia morali, quousque prudentia
lis dirigit excellentissimam virtuter
est naturalem pietatem; aliud est ip
dentia moralis, a qua habitus natura
tatis dirigitur.

VII. Et quidem, ut ad ipsas leges naturales earumque doctrinam propius accedamus, ad immotum ac genuinum naturalis pietatis seu cultus divini, vel quod eodem redit, veræ religionis naturalis qua talis fundamentum percipiendum opus est, ex genuinis principiis moralibus sibi perspectum reddere, quod cultus proprie & recte sic dictus fundamenti loco præsupponat superioritatem & perfectionem ejus, cui deberi dicitur, hoc est, qui cultum alteri se debere novit, is utique alterum, cui nempe debet cultum, agnoscit se superiorem ac perfectiorem: si ergo ex lumine naturæ cuivis homini, qui ratione sua uti potest, hoc potest ac debet constare, quod Deus sit, quodque Deus sit ens primum ac perfectissimum, ens supremum, a quo omnia alia entia sint, qua quæso ratione aut prorsus ignorare, aut in dubium vocare hocce naturæ jus seu naturalem legem: Deus est colendus, posset? Imo si ignoraret, ignorantia esset vincibilis, hoc est, istud jus ignoraret sua culpa, æque ac nemo, modo sit sano judicio præditus, prima moralia ignorat, & si quisquam ignorat, culpa redundat in ignorantem.

VIII. Remittimus autem juris naturalis cultorem ad Theologiam naturalem theoreticam, ut ex ea vel repetat, vel solide discat, & quod naturalis notitia Dei detur,

& quod via causalitatis certo & ci
pturæ Sacræ revelationem atque f
ciali Dei auxilio cognosci possit esse
hoc est, existere ens summum pe
mum: primum, a quo & alia entia
& homines quoque sint: omnes qu
dita voce DEUS tale ens intelligunt
lissimum scilicet & primum, quodqu
lo alio dependet, ut tamen ab eo sin
alia entia. Certe omne quod est,
ipso, aut ab alio. Totus mundus
est a seipso, aut ab alio. Sed non est a
cum hæc corruptibilia sui ipsius ca
nequeant, imo nihil sit causa sui
igitur totus hic mundus est ab alio
ro non datur progressus in infinitum
necesse est, ut in uno primo acquies
quod sit cæterorum omnium causa &
lo alio dependeat, id autem est ens e
hoc est Deus. Ipse sane Spiritus S
Deum sic probat, dum nempe *Rom*
lumine naturæ Deum cognosci po
ramque cognitionem de Deo haberi
quæ gentiles impios coram tribunal
tiæ divinæ reddat inexcusabiles, ex i
& consideratione hujus mundi test
quod cum non a seipso esse possit, c
in alicujus primæ, ut & independenti
sæ notitiam nos deducat. Additur *s*
ti capite alter modus ex testimonio
scientiæ, quæ dum recte factis gaude

lefactis autem terretur, intus homini dictitat esse aliquod numen supremum, quod & scelera vindicet, & bonum remuneretur.

IX. Esto nunc tale argumentum: Ens superius & perfectius est ab ente rationali, quo superius est & perfectius, colendum. DEUS est ens superius & perfectius, quovis ente rationali E. DEUS EST COLENDUS. Major est propositio extra omnem dubitationem posita, & quæ facillime adversus quemvis surdastrum probari potest. Minor ex Theologia naturali sufficienter constare potest ac debet, sicque ex naturali lumine solidam probationem admittit.

X. Jam amplius demonstramus majorem Deo cultum deberi, quam ulli alii enti intelligenti aut rationali, quia Deus isque solus, omni alio ente intelligente aut rationali superior & perfectior est. Esto tale argumentum. Quicunque potestate in homines & perfectione superat omnia entia, illi homo majorem quam ulli alii enti debet cultum. Atqui Deus potestate in homines & perfectione superat omnia entia E. HOMO MAJOREM QUAM ULLI ALII ENTI DEBET CULTUM.

XI. Amplius facillimum est nunc cognoscere, quod Deus super omnia sit colendus, seu quod vi legis naturæ, quæ hominem semper & immutabiliter obligat, summus cultus Deo ab homine debeatur.

Ratio

Ratio namque in promptu
naturæ sibi relictæ ductu faci
tur negotio. Etenim si eo
cultus ei, qui superior & per
eo, quo superior & perfectior
assequeretur, quod summus
beatur, cum sane recta ratio
suisque relicta viribus agno
summam Dei potestatem in
ras rationales, infinitamque
ni perfectionem? Inde datur
Quicunque simpliciter & abs
infinitæque perfectionis est,
betur cultus. Atqui DEUS
absolute summus infinitæqu
est E. DEO SUMMUS DEI
TUS.

XII. Imo nec hoc difficile
re: cur Deo debeatur cultu
Quippe homo viribus ration
tenetur hoc assequi,& facile
in essentia Deus sit, plures
gnet, cum sane infinita Dei p
turæ lumine cognosci possit
Item manifestissimam implic
onem uno plura infinita actu
posse. Inde nascitur argum
cunque ita summus & infinite
ut nullum aliud ens ipsum p
attingat, & æque summum si
mum, is super omnia supren

cultu afficiendus eſt. Deus ita ſummus & infinite perfectus eſt, ut nullum aliud ens ipſum perfectione ſua attingat, & æque ſummum ſit ac perfectiſſimum E. DEUS SUPER OMNIA SUPREMO MAXIMOQUE CULTU AFFICIENDUS EST.

XIII. Et hæc eſt iſta *Religio vera, quæ omnium ætatum communis eſt*, ceu *Grotius* noſter §. 45. loquitur, quam ſic in communi deſcripſimus & quidni vera Religio omnitumque ætatum communis dicenda eſſet, cum lege naturæ, omnium ætatum communi præcipiatur, nec intra ſphæram hujus vitæ terminetur, ſed æternam vitam pro ſcopo habeat: Non enim ex eo, quod Theologia naturalis ad inveſtigandam reſurrectionem mortuorum ex ſuis principiis non penetret, colligi debet aut poteſt, quaſi religio, quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, intra ſphæram hujus vitæ terminetur, quippe ſufficit ex naturæ lumine ſatis cognoſci poſſe dari vitam poſt hanc vitam, hominisque animam immortalem eſſe, ita ut qui in hac vita Deum habuit propitium, ejus animæ poſt hac bene, qui offenſum & iratum habuit Deum, ejus animæ poſthac male futurum ſit, ipſaque anima Deo fruitura, aut non fruitura ſit. Illud vero ex Theologia naturali practica utique liquere poteſt ac debet, eum certo habere Deum propitium, qui nunquam debita naturalis

turalis pietatis ullatenus neglexit, e
certo habere Deum iratum, qui
quam ullum naturalis pietatis debit
super habuit.

XIV. Interim non est quod quis
ac si hac ratione tota de juribus n
bus, quæ debitum pietatis in comm
tinent, doctrina ea qua par erat ἀ
pertractata fuerit, quam saltem per t
nam hic conspiciendam dare licet,
profecto scitu necessaria πεπαιδ
rium naturalium cultoris animo re
accuratius præcipi debent, inprimis
quæ in *Moralibus* de cultu solide trad
rant, pariter singulorum, in quibus s
tia cultus divini seu religionis na
etiam in communi solummodo s
consistit, inquisitio magnam diligen
multumque prudentiæ & æquitatis
rabit ne dum quis solidam doctrina
rit, ea leviter aut oscitanter expend
quibus solida inspectio pendet: mo
namque cujusvis actus, qui per se n
est, ex circumstantiis tanquam ex
mento recte dijudicanda est. Sic r
solide expendendum venit QUID,
nam sit objectum naturalis religionis
pe Deus, hujus natura & attributa p
phice cognoscenda veniunt, quo
que judicii exactioris acumine satis
mode fieri nequit. QUIS, quis nem

lere Deum debeat? is, qui in Deo eſt, movetur & vivit, quæ verba gentilis Poëtæ *Arati* ipſe *Paulus Apoſtolus* laudat. UBI, in quo loco Deus colendus ſit? in omni ſcilicet loco, cum ſit omnipræſens Deus, maxime vero in locis externo Majeſtatis Divinæ cultui deſtinatis. QUIBUS AUXILIIS, quibus ſcilicet mediis? Corde, ore, opere; Toto corde, tota anima, totis viribus, toto affectu Deum colere lex naturæ præcipit. CUR, cujus nempe rei gratia Deus ſit colendus? Cultus Deo debitus eſt præcipua perfectio moralis noſtri animi, quæ in hac mortalitate vitæ haberi poteſt, facit ad fruitionem Dei, quæ ſane felicitas ſive beatitudo hominis cum hac vita non expirat. QUOMODO, quis ſit moralis modus cultus divini? Summe & ſuper omnia colendus. QUANDO, quo tempore Deus colendus ſit? omni ſcilicet tempore æternus Deus colendus eſt. Et quia oppoſitorum una diſciplina eſt, de neglectu debiti naturalis pietatis, nempe de ſuperſtitione & atheiſmo ſolida tractatio inſtituenda erat.

XV. Tantum vero abeſt, ut in hiſce ſubſiſtendum ſit, ut moralium cultorem nunc demum oporteat ad intimiorem legum naturalium inſpectionem ſe præparatum credere. Nam hoc demum opus, hic labor erit, magis magiſque debita moralis pietatis determinare inque ſpecialiores le-

ges

ges naturales, quomodo scilicet d
disponant, inquirere. Liceat sine o
lixitate unam saltem vel alteram le
turalem quasi obiter adducere. L
ralis pietatis est: Deus spirituali
prosequendus. Unde nobis consta
ritate hujus legis? inde, quia via ca
tis ac eminentiæ ad infallibilem c
nem hujus rei, quod spiritualis
Deus sit, viaque negationis, quod i
rialis sit, ducimur. Inde nascitur ta
mentum morale: Spiritus, cui cult
tur religiosus, spirituali cultu es
quendus. Deus est Spiritus, cui cu
betur religiosus E. DEUS SPIR
CULTU EST PROSEQUENDUS.
est manifesta; Nam hoc ex moralibu
simum esse potest ac debet, quod
tus debetur, illi cultus debeatur nat
conveniens: Spiritui autem, cui re
cultus debetur, spiritualis cultus co
Optimus animus, ait elegantissime *Se*
pulcherrimus Dei cultus.

XVI. Lex naturalis pietatis est
isque solus super omnia & summe
dus est. Unde vero hoc Moralium
innotescit, quod debitum pietatis n
magnam partem in dilectione sumn
per omnia, quæ diligi possunt, cons
Inde hoc notum est, quia Philosoph
bis ostendit viam duplicem: causal

eminentiæ, cui insistentes feliciter cognoscimus, & quod Deus summæ & infinitæ bonitatis sit, & simul omnis boni dator & auctor. Inde tale prodit argumentum practicum: Quicunque summe & infinite bonus omnisque boni dator & auctor est, is summe & super omnia a nobis diligendus est. Deus summe & infinite bonus omnisque boni dator & auctor est E. DEUS SUMME ET SUPER OMNIA A NOBIS DILIGENDUS EST.

XVII. Lex naturalis pietatis est: Deus super omnia & summe timendus est. Via namque causalitatis & eminentiæ ducit ad cognitionem hujus rei, quod nobilissima & prima causa illius juris, quo omnis omnino creatura rationalis semper & immutabiliter obligatur, Deus sit, quod Deus, isque solus, justissimus & severissimus transgressionum juris naturæ vindex sit, ad noscenda moralia peccata sapientissimus, ad expendenda æquissimus, & ad vindicanda potentissimus. Per hunc medium terminum felicissime moralium cultor infert E. DEUS SUPER OMNIA ET SUMME TIMENDUS EST.

XVIII. Lex naturalis pietatis est: Deo summa fides super omnia habenda est. Nam quando viæ, quam Philosophia nobis

monſtrat, viam eminentiæ intellige, inſiſtimus, certo & infallibiliter datur cognoſcere, quod Deus ſumme & immutabiliter verax ſit, ut in dictis & promiſſis nec falli queat, cum ſit omniſcius; nec fallere velit, nec poſſit velle fallere, nec poſſit fallere, quia infinite bonus eſt. Per hunc medium terminum infertur concluſio: E. DEO SUMMA FIDES SUPER OMNIA HABENDA EST.

XIX. Lex naturalis eſt: Feras ut fert divina voluntas. Modo enim legamus genuina *Philoſophorum* veſtigia, quando infinitam Dei bonitatem, miſericordiam, juſtitiam, ſapientiam, veracitatem infinitamque perfectionem via eminentiæ demonſtrant, facile eſt huncce in modum colligere: Quicunque ſumme & immutabiliter atque infinite bonus, ſciens, ſapiens, miſericors, verax, juſtus, imo infinite perfectus eſt, ejus ut voluntas fert, feras, Deus &c. E. FERAS UT FERT DIVINA VOLUNTAS.

XX. Lex naturalis eſt: Deus ſumma & unica noſtra ſpes eſto. Hoc enim *Philoſophorum* veſtigia feliciter prementibus maniſeſtiſſimum eſt, quod Deus & juris naturalis autor, & qui præmiis bonos maloſque pœnis afficit, hoc eſt, omnis honeſtatis juſtiſſimus remunerator, omniſque turpitudinis

dinis justissimus vindex in æternum existat. Quid jam facilius est, quam per huncce medium terminum ita concludere: E. DEUS SUMMA ET UNICA NOSTRA SPES ESTO, hoc est, in eo summe & super omnia sperandum est.

XXI. Lex naturalis est: In Deo est confidendum. Nam quicunque est infinitæ bonitatis, ut velit nos juvare, & omnipotens, ut possit nos juvare, in ipso est confidendum. Deus &c. E. IN DEO EST CONFIDENDUM.

XXII. Ex his aliisque legibus naturalibus facillimum est cognoscere modum determinandi debita naturalis pietatis: Imo quia una ratio oppositorum est, non dubitamus, quemvis sibi perspectum reddere posse, cur & quomodo neglectum moralis pietatis jus naturale prohibeat? Ita ex. gr. qui demonstrare novit, quod Deus spirituali cultu prosequendus sit eique soli cultus religiosus debeatur, is sine omni trepidatione demonstrabit idololatriam esse fugiendam, qui satis cognitum habet, quod Deus summe & super omnia diligendus sit, facillimo negotio perspicit odium Dei suapte natura esse illicitum. Idem de cæteris actibus, qui e diametro actibus, qui cultus interni Deo debiti nomine insigniuntur, esto judicium.

XXIII. Utque uno vel altero
debita externi cultus divini consp
præbeamus, esto lex naturalis
SUMME ET SUPER OMNIA LA
DUS ET HONORANDUS EST.
enim opinio est de alterius mor
ctione, Deus vero infinite & per
tiam perfectus est. Lex naturæ e
GRATES ÆTERNAS REDDE
NEMUR. In promptu causa est,
ipso habemus vitam & omnia bo
que misericordia infinita est. Le
est: DEUS IN OMNIBUS NECES
BUS ARDENTER INVOCAND
Est enim omnipotens, ut possit ben
& ex omnibus tribulationibus
quemvis, qui in eum sperat, est, qu
finite bonus, ut velit. Et cæteras
turales circa debitum naturalis pi
veneremur silentio, unicam adjice
DEO PRO QUOVIS LÆSÆ MA
TIS CRIMINE SATISFACIEND
Exigit hoc immutabilis justitia Dei
te quodvis morale peccatum crim
sæ Majestatis Divinæ, quotidie juri
lis transgressione quivis homo D
fendit, unde nisi per præstitam sa
nem placata fuerit ira divina, no
simus reconciliati, reliqvus cultus
re naturæ præceptus, naturaliter
Deo vel non deferri, vel non absqu
crisi deferri poterit.

XXIV. Hæc ita hactenus in compendio adducere placuit, ut quodammodo clarius constaret de naturalis pietatis debitis, idque occasione Grotianæ doctrinæ. *Noster* enim hanc materiam a §. 44. usque ad §. 48. tradere sategit. Et sane insignia pietatis elogia ac testimonia illustria magna cum laude *ibidem* ab eo collecta videantur: Rem interim ipsam quod attinet, minus accurato nec per omnia sufficienti ordine pronunciata, quibus naturalis religio nitatur, §. 45. recensuit. Hinc inde etiam inseruit talia, quæ nec Theologorum nec Philosophorum examen sustinere queunt. Ut quæ de quatuor primæ tabulæ Decalogi præceptis ex Reformatorum Schola, in qua educatus fuerat, tradidit, item dum notionem hanc, Deos plures uno non esse, non æque evidentem censet atque istam, numen aliquod esse.

XXV. In hoc quoque merito laudamus *Grotium* nostrum, quod tam eximie ac feliciter deduxerit, religionem naturalem esse necessariam ac præcipuam partem beatitudinis civilis, & habere suos in societate humana effectus maximos, nec tantum in una aliqua civitate, sed & in communi societate generis humani, adeo ut eam usus esse maximi tum ad privatas tum ad publicas virtutes doceat, cum pietate sublata, fides etiam

& societas humani generis, &
tissima virtus justitia tollatur

XXVI. Esset nunc plur
dum illud ipsum, cujus *nota*
tionem fecimus, sed fiet
Nam qua veritate dicatur,
quatenus ad disciplinam
pertinet, intra sphæram hu
netur, supra *L. I. c. 1. quæst.*
seqq. usque ad *p. 391.* dictum
etiam non obscurum erit
respondendum sit ad ea, qu
urgentur, quasi scilicet sit ta
cognitio rerum divinarum
vificam generare nequeat,
veram rationem & modum
explicet, imperfecta non
praxin, sed etiam quoad th
nus nunquam talem Trinita
vinæ doceat, quæ in pluribu
multiplicetur, nunquam tal
Pater Domini Jesu Christi.
distinctius, quamvis eand
dum alii occuparint.

Delicti essentialia consequentia. §. 31. Et tantum de
tialia consequentia del
& reatus.

NOTA

Omne enim agens mo
mediante peccato morali c

quæ tamdiu moraliter manent, inque statu peccatoris hominem relinqvunt, donec moraliter aboleantur.

§. 32. Culpa est verus respectus in genere morum, vi cujus genti delictum suum imputari potest. *Culpa quid?*

NOTA.

In Scholis formaliter *imputabilitas moralis delicti* dicitur.

§. 33. Moralis imputatio delicti est actus rectæ rationis practicus, quo ad autorem suum delictum pertinere judicatur. *Moralis imputatio delicti quid?*

NOTA.

Ita enim hic notio imputationis moralis sumitur.

§. 34. Reatus est meritum pœnæ. *Reatus quid?*

NOTA.

De hoc in antecedentibus egimus, lubet saltem quædam a *Grotio* erudite tractata addere, quia multum ad examen morale meriti faciunt.

§. 35. In merito examinanda veniunt inprimis *tria: Causa, quæ impulit, causa, quæ retrahere debuit, & personæ idoneitas ad utrumque.* *In merito quot examinanda?*

[*Grotius* §. 29. n. 1.]

Causa, quæ impulit, duplex. §. 36. Causa, quæ impulit est
terna, vel externa. Interna est *a*
Externa est *bonum aliquod*, qua
virtute sejungitur, *aut delecta*
delectantis causa, quod utile voca

[*Grotius* §. 29. n. 1. & 3.]

NOTÆ.

I. Vix quisquam gratis malus es
quem malitia propter se ipsam dele
ultra modum humanum processi
maxima ad peccandum ducuntur
bus.

II. Quæ mortis, carceris, dolo
summæ egestatis vitandæ causa injus
mitius puniri possunt.

Causa, quæ a delinquendo retrahere debuit, quæ? §. 37. *Causa, quæ a delinquen*
trahere debuit, generalis est injusti

[*Grotius* §. 30.]

NOTA.

Quæ *ibid. Grotius* differit, in tant
mittimus, in quantum major respe
republica habetur ad ea delicta, qui
recte nocetur reipublicæ, non tam
omnia cum nostro *Grotio* facere pos
utpote qui magis decempeda uti
quam honestatis pœnas metiri videt

Personæ aptitudo ad causas peccandi §. 38. *Personæ aptitudo aut ad*
derandas causas avertentes, aut ad
piendos affectus incitantes considera

let in corporis mixtura, ætate, sexu, educatione, circumstantiis actus. Paucis: *Omnino illud tenendum est, quo animi eligentis judicium magis impeditur, quoque magis naturalibus caussis, eo quod delinquitur minoris esse.* Exemplo *Aristoteles* rem declarat: *Minus temperantem dicimus hunc, qui a motu concupiscente aut non tentatus, aut leviter tentatus quærit enormes voluptates, aut mediocria incommoda defugit, eo qui vehementi affectu percellitur. Nam quid idem ille facturus fuisse putandus est, si adfuisset juvenilis quædam perturbatio animi, aut gravis dolor ex penuria eorum, quibus negatis natura doleat?*

impellentes & abstrahentes unde cognoscenda?

NOTA.

Quæstio agitur: *An salvo jure naturæ in pœnis haberi possit respectus ad patientem?* Respondetur distinguendo inter taxationem pœnæ & irrogationem: In illa omnino locum invenire potest προσωποληψία: Nam mulcta eadem pauperem onerabit, divitem non onerabit: & vili ignominia leve erit malum, honorato grave; quo genere diversitatis sæpe utitur lex Romana. Non item in hac, cum revera simplex hic sit, & qualis in numeris, æqualitas meriti ad pœnam, sicut in contractibus mercis ad

nummos, quanquam alibi merx ead alibi minus valet, itemque nummi *l. aut facta 16.* imo vero *totus titi pœnis.*

Abolitio culpæ & reatus quomodo fiat?

§. 39. Moralis abolitio culpa tus fit satisfactione.

NOTA.

Hinc formale moralis abolition *listæ* satisfactionem vocant.

Satisfactio quid?

§. 40. Satisfactio est delicti lis compensatio.

NOTA.

Quæ de culpa & reatu, utriusqu li abolitione, totaque satisfactionis dici poterant, ea pro viribus in *m* stro *tractatu de satisfactione* deduxi totum ea qua decet modestia *πε μόνων* judicio submissum volumus bili utilitate materiæ allecti, ut in res in re tam ardua & a paucis tent elitaremur.

QUÆSTIONI

Quæstio I.

Num quilibet innocens sal naturæ, (si nempe meru

naturæ respiciamus, seclusis pactis ac legibus, quæ formam actionibus civilibus imponunt) possit punire quemvis nocentem?

§. 1.

PRo affirmante sententia adducuntur sequentia argumenta: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

I. Cuicunque licitum est emendare mores, ei licitum est punire. ARG. I.

Atqui cuilibet homini æque malis moribus non prædito, seclusis pactis ac legibus, quæ formam actionibus civilibus imponunt, licitum est emendare aliorum mores, modo æque malis moribus præditus non sit E.

II. Cuicunque jure naturæ licet alios castigare verbis, ei licet eosdem pœna quacunque alia, modo eandem promeriti fuerint, afficere. ARG. II.

Atqui jure naturæ cuivis licet alium castigare verbis, modo judicio valeat, & ejusmodi generis aut paribus delictis non teneatur E.

III. Si salvo naturæ jure licet uni punire alterum, sequitur, quod cuivis ita liceat, modo judicio valeat & ejusmodi generis aut paribus delictis nõ teneatur. ARG. III.

Prius est verum E. & posterius.

Con-

Consequentia probatur, quia
omnes fecit pares.

ARG. IV. IV. Quicunque jus habet irascendi
habet puniendi.

Atqui seclusis pactis ac legibus q
modo ejusmodi generis aut
delictis non teneatur, habet
niendi E.

Major patet, quia ira est appetit
dictæ: pœna vero est vindicta.

ARG. V. V. Qui altero moraliter est superio
merum jus naturæ inspiciamus
rum juste punire potest.

Atqui quisque innocens nocente
ter est superior E.

Minor probatur, quia is, qui male
ipso se quovis alio inferiorem cense
cisse, & quasi ex hominum censu detr
in censum bestiarum, quæ homini
cent, quasque, maxime nocentes, c
privatæ personæ licet occidere.

ARG. VI. VI. Quicunque ad restitutionem aliu
gere potest, is potest eum punir
Atqui quisque ad restitutionem al
cogere potest, si merum jus natu
spiciamus E.

Major probatur, quia ad restitutio
cogere idem est, quod punire.

PRO NEGANTE SENTENTIA

§. 2. Sed opposita sententia sicut
Moralistas receptior, adeo ut *Petrus d*
gon de Justitia & Jure ad 2. 2. qv. 64.

p. m. 248. eam vocet *certissimam & communi non modo Moralistarum consensu, sed & aperta atque evidenti ratione convictam*, ita longe verior apparet, eandemque sequentibus probamus argumentis:

I. Quicunque nocente non est superior, is eũ nõ potest salvo naturæ jure punire. ARG. I.

Atqui non quivis innocens est nocente superior E.

Major probatur, quia ille jus habet ad puniendum nocentem, cui imperium in delinquentem competit.

II. Qui non habet jus ferendi leges, is nec habet jus puniendi, aut si habet, istud habet dependenter ab alio, qui per eum ut Rectorem sibi subordinatum pœnam persequi queat. ARG. II.

Atqui non quilibet innocens habet jus ferendi leges nocenti E.

Major probatur, quia qui juste punitur, is obligatus est ad pœnam: At cui lex ferri nequit, is non obligatur ad pœnam, obligatio enim ad pœnam est, ceu *Scholæ* loqvuntur, formalis effectus legis.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. Major propositio aut idem dicit de eodem, nam diximus pœnam malum triste, quatenus in moralis vitæ emendationem alteri propter malum turpe infligitur, & sic minor negatur: aut si quocunque alio emen- AD I.

emendatio capiatur modo, nihil ad
cit. Cur enim etiam seclusis pactis
bus nequeat sine discrimine quiv
cens cuivis nocenti malum pass
malum actionis infligere, ostendim
non quivis est quovis superior. I
vocabulo emendare utaris pro
hocque recipiatur, ut quacunque
tione jus pœnæ acquiratur, miru
cto, si non eadem ratione colliga
vis seclusis pactis atque legibus co
jus ferendi leges, alterum sibi sub
Sit cuivis licitum emendare mores
Quid tum? hoc certe sub conditi
dam accipiendum, ut in tantum
quantum convenit: at non nisi
competit pœna emendare delinqu

Resp. ad Arg. II. Ad II. respondetur negando ma
quia pœna verbalis proprie & absq
quendo pœna non est, ceu *p. 110*
batur.

Resp. ad Arg. III. Ad III. respondetur negando
quentiam majoris. Hoc saltem se
quod cuivis superiori ita liceat.
probatione dicebatur, naturam o
cisse pares: ad hoc responsi loc
dum est, quod paritio prodierit ex
turæ. Hæc enim duo inter se non
natura omnes fecit pares, &, *im*
paritio sunt a natura, ceu supra
p. 416. & seqq. dictum est. Agno

Grotius parenti imperium in liberos, marito in uxorem jure naturæ âcquiſitum *Lib. II. c. 5. §. 5. & 8.*

Ad IV. reſpondere facile eſt, negando ſcilicet conſequentiam. Nam & vindictæ, quam ſaltem ſuperior juſte a delinquente exigit, appetitio privato licita eſt: Nihil enim peccat, qui vult ejus, quem juſte punire haud poterat, punitionem, ut a ſuperiori fiat. Leges ferre ſubditus civitati nequit, nec is, qui ſubditus non eſt, poteſt, niſi jus imperii in civitatem habeat, & tamen, quia *omnino ad civitatem opus legibus eſt*, *Ariſtoteles X. Ethic. c. ult.* ſubditi juſte volunt, ut toti communitati leges ferantur: Pariter ut a ſuperiori delicta puniantur velle licet, quia punire non modo utile eſt, ſed & moraliter neceſſarium. RESP. AD ARG. IV.

Ad V. reſpondetur negando propoſitionem minorem ejusque probationem. Indignam certe auctore ſuo *Grotio* diſtinctionem credimus inter ethice ſuperiorem & politice ſuperiorem. Nam ſi proprie ſumatur vox *ſuperior*, & in quantum ex eo, quod quis ſuperior eſt, ſalva veritate colligi poteſt ei, qui ſuperior eſt, in alterum, quo ſuperior, jus pœnæ quæſitum eſſe poſſe, oportet eum habere imperium in alterum. Nullum ergo uſum præſtat diſtinctio allata. Quis enim ferre poſſet ita loquentem eum, qui uxorem probam marito improbo, filium RESP. AD ARG. V.

lium morigerum parente iniquo, subditum honestum Rege peccante superiorem diceret? Bonitas aut malitia, innocentia aut culpa punire volentis, præsertim in infligendis pœnis, quæ sæpe obscuram habent disceptationem, apta non sunt ad partes distinguendas juste aut injuste punientis, obtentu moralis superioritatis & inferioritatis, ut iis vocibus utamur, omnino confusionem sequi necessum est, qualem rerum perturbationem inducere æqua lance moralia pensitanti in mentem vix veniet. Imo esto moraliter superior delinquente is, qui pari delicto non tenetur, unde consequentia majoris tunc probabitur, quod quivis a quovis, qui pari delicto non tenetur, puniri jure naturæ, seclusis pactis ac legibus, possit.

RESP. AD ARG. VI. Ad VI. respondetur negando majorem ejusque probationem. Longe aliud fundamentum est restitutionis, quam pœnæ. Obligatio ad restitutionem fluit ex eo, quod læso aliquid per eum, qui læserat, abest: obligatio vero ad pœnam fluit ex ipsa actus turpitudine. Obligari quis potest ad restitutionem, etsi nihil deliquerit, ut fit in deposito: ad pœnam minime, nisi deliquerit. Restitutionis modum & quantitatem ipsa natura rei determinat, pœnæ minime. Debitum restitutionis in hæredem transit, nequaquam vero pœna.

§. 4.

§. 4. Occasionem quæstionis *Grotius* passim exhibet, inprimis *§. 3. 7. 8. 9. & 40.* ubi semper affirmantem sententiam strenuè defendere sategit, qui tamen in laudatissimo *tractatu de satisfactione Christi adversus Socinum cap. 2. p. m. 9.* negantem sententiam his expressis verbis defenderat: *Pœnas infligere aut a pœnis aliquem liberare, quem punire possis, non est nisi rectoris qua talis primo & per se: Ut puta in familia patris, in republica Regis, in universo Dei.* Hoc etsi manifestum est omnibus, probari tamen facile potest ex eo, quod pœna sit ultimum in coactione: Coactio autem non competat nisi superiori τῇ ὑπερεχέσῃ ἐξεσίᾳ.

Quæstio II.

An e Regibus iisque, qui Regibus par jus obtinent, unus alterum punire possit bello, seu quod eodem redit, an detur bellum mere publicum pœnale seu punitivum proprie & in rigore sic dictum?

§. 1. Pro affirmante sententia sequentia argumenta facere censentur: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

I. Ubi duplex datur obligatio, ibi duplex datur jus.

 Atqui Arg. I.

Atqui quando unus Rex alteri Regi (ide
judicium esto de quibusvis, qui Reg
bus par jus obtinent) sat grave d
mnum injuria dat, duplex datur ob
gatio, una ad reparationem dam
altera ad pœnam E.

Duplex alteri Regi jus quæsitum est,
jus reparandi damnum & jus punie
di injuriam, qua damnum datum est

Major videtur manifesta.

Minor probatur, quia uti jus nascebat
ex damno, quod nocens innocenti intul
rat: sic jus oriebatur ex delicto, quo R
adversus Regem deliquerat.

ARG. II. II. Si nullum daretur bellum mere pub
cum pœnale in rigore & proprie sic
ctum, sequeretur, quod hostis in h
stem puniendi jus non haberet etia
post susceptum bellum ex causa no
punitiva.

Consequens est absurdum E. & an
cedens.

Absurditas consequentis patet inde, q
hocce jus plerique concedunt & usus om
um gentium confirmat, non tantum p
quam debellatum est, sed & manente bel
Non ex ulla jurisdictione civili, sed ex
jure naturali, quod & ante institutas civ
tes fuit, & nunc etiam viget, quibus in lo
homines vivunt in familias non in civita
distributi.

III. Si vindicatio privatis & nullo imperio instructis competit, sequitur, quod etiam Regi adversus Regem salvo naturæ jure attribui queat. Arg. III.

Prius est verum E. & Posterius.

§. 2. Pro negante sententia faciunt sequentia argumenta: Pro negante sententia

I. Quicunque altero non est superior, is eum proprie & in rigore loquendo punire nequit. Arg. I.

Atqui Rex Rege altero non est superior E.

Major probatur, quia puniendi potestas est effectus proprius imperii.

Minor patet, quia est summus, tenet enim summum jus in civitate, summo autem superior non datur.

II. Ut viator se habet ad latronem infestantem, ita se habet Rex ad Regem, qui ipsius jus per vim detinet aut invadit. Arg. II.

Sed viator sic se habet, ut juste possit vim vi repellere, ut damnum reparetur aut evitetur, sicque securitas reddatur, non ut injuria puniatur E.

Nec causa justa belli a Rege adversus Regem suscipiendi potest esse injuria facta ut puniatur, sed ut reparetur, aut si nondum facta, ut petatur cautio de non amplius offendendo.

Consequentia probatur, quia ejusmodi duo Reges sibi sunt pares, & Rex, qui bel-

lum infert, ad alterum se habet ut privatus ad privatum; sic quoque viator & latro sibi pares sunt. Nam quod uterque Rex regimen habeat, sicque ratione regiminis pares sint, hoc per accidens tantum concurrit. Ut enim Rex bellum inferens non est superior Rege, ita nec viatore latro.

Prius patet: Quid enim bellum injustum a Rege susceptum aliud, quam publicum latrocinium. Habet quidem aliquos effectus juris, æque ac sententia, qua corruptus judex nocentem absolvit, innocentem damnat. Sed non eo magis peccato vacat, ni causa subsit; ut merito Alexander, si sine causa in Persas & alias gentes bellum arripuit, Scythis apud *Curtium*, item *Senecæ* latro, *Lucano* prædo appelletur. Indorum quoque sapientibus ἀπάθαλος, & a pirata quondam tractus sit in criminis societatem. Quomodo & ab ejus patre Philippo duos Thraciæ Reges regno spoliatos *Justinus* narrat, fraude latronis ac scelere. *Seneca ep. 69. Homicidia*, ait, *compescimus & singulas cædes? Quid bella & occisarum gentium gloriosum scelus? nō avaritia, non crudelitas modum novit ex Senatus Consultis plebisque scitis sæva exercentur, & publice jubentur vetita privatim.* Sic *Justinus Martyr Apologetico II. Tantum possunt Principes, qui opiniones vero præferunt, quantum in solitudine latro-*

latrones. [r]*Augustinus: Remota justitia quid sunt regna nisi magna latrocinia.*

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. prænotando, quod duplici ratione hoc possit intelligi, ubi duplex obligatio, ibi duplex jus, 1. de pleno & perfecto jure alteri quæsito. 2. de jure imperfecto. Priori modo si sumatur major, minor est falsa. Nam esto, peccaverit Rex, imo vero obligetur ad pœnam, hanc tamen non alteri Regi, sed Deo tenetur solvere, nam hic illud Davidis ad Deum obtinet: *Tibi soli peccavi & delictum coram te feci.* Item illud *Marci Antonini Philosophi: Nemo nisi solus Deus judex Principis esse potest.* Posteriori modo si sumatur major, concedi quidem totum poterat argumentum, sed quod inde amplius inferebatur; ergo Regi jus puniendi injuriam, qua sibi ab alio Rege damnum datum, quæsitum est, id inferebatur sine sufficienti ratione. Nam potest quis obligatus esse ad pœnam Deo solvendam, ut tamen nullum jus sit in homine eam pœnam exigenti. AD ARG. I.

Ad II. respondetur negando absurditatem consequentis. Nam videtur omnino hostis in hostem puniendi jus non habere, quamdiu nondum hostis hosti subjectus est. Neque vero nulla, quæ inique, iracunde, impotenter facta sunt, historiæ memorant, usus gentium probat. Cæterum quæ de- RESP. AD ARG. II.

ademta cæteris æqualibus præter imperantes, quam natura indulserat, libertate puniendi, ut & vestigiis ac reliquiis prisci juris, in iis locis ad quæ inter privatas personas, quæ certis judiciis non subsunt, traduntur, frustraneo conatu videntur suggeri, cum quod natura nunquam indulsit, non potuerit adimi, ejusque, quod nunquam fuit, frustra quærantur vestigia.

RESP. AD ARG. III. Ad III. respondetur, quod vindicatio ista, quæ privatis tribuitur, aut facti sit, non juris, utpote quæ pugnet cum ipsa naturali æquitate, aut jus aliquod significet non primo aut per se alicui competens, sed aliena concessione, quomodo raptorem raptæ pater, proscriptum quivis interficit: aut denique non significet ipsum puniendi actum, sed vel postulationem duntaxat pœnæ infligendæ aut a Deo aut ab alio rectore, vel quamcunque defensionē juris, quod alicui homini, rei vel causæ debeatur, jam quocunque modo sumatur vindicatio, quæ privato tribuitur, nunquam probabitur inde, quod bellum punitivum in rigore sic dictum a Rege adversus Regem geri possit.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasionem quæstionis in contrarium decisæ *Grotius* exhibet *§. 38.* Add. *§. 8. n. 4. & §. 9. n. 5.* Hujus materiæ, quæ nempe bella pœnalia tractat, occasione, *hujus argumenti satis difficilis & obscuri, quod minus intellectum multis errationibus causam dedit,*

dedit, cujusque inquisitio magnam diligentiam & multum æquitatis desiderat §. 1. & 37. tractationem suscepit: hinc quoque, postquam *§. 38.* bella pœnalia proprie dicta asseruerat, *sequentibus paragraphis* usque ad *finem capitis* ob quæ delicta in specie bella pœnæ expetendæ causa suscipi possint, nimis operose pluribus edisserere conatus est, quorum examine, qui alias chartæ angustiis excludimur, eo facilius supersedere possumus, quandoquidem priori assertione (quod nempe detur bellum pœnale in rigore & proprie dictum) cadente, frustra reliquorum quæsitorum prolixa inspectio tentaretur.

Quæstio III.

An inflictio pœnarum possit referri ad classem eorum actuum, qui debitorum moralium nomine veniant?

§. 1. Pro sententia universaliter negante faciunt sequentia argumenta: PRO NEGANTE SENTENT.

I. Omne debitum potest a creditore debitori remitti. ARG. I.

Omnis pœna respectu passuri est debitum, & respectu inflicturi creditum E.

Minor patet: Inde namque sunt vulgares locutiones: pœnam debere, pœnam solvere.

Arg. II. II. Si homo ita homini alteri ipsa consanguinitate alligatur, ut noceri ei non debeat, nisi boni alicujus consequendi causa, sequitur, nunquam esse omnino necessarium, ut homo ab homine puniatur.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia probatur, quia nemo jure naturæ ad beneficium cogi potest.

Arg. III. III. Si Deus multis nocentibus multa condonat, sequitur, per se & ex sua natura pœnam non esse moraliter necessariam.

Verum est prius E. & posterius.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

§. 2. Affirmans sententia probatur sequentibus argumentis:

Arg. I. I. Si superior naturaliter obligatus est ad moraliter emendandum inferiores, sequitur, pœnam moralem posse esse ex genere moraliter necessariorum.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia patet, quia casus dantur, in quibus inferiores aliter emendari nequeunt, nisi inflictis pœnis.

Minor est extra dubitationem, cum omnino oporteat superiorem eo allaborare, ut societatem, cui præest, liberam servet, & immunem ab omni morbo morali omnique periculo moralis morbi.

Arg. II. II. Omnis actus virtutis moralis est moraliter necessarius.

Atqui

Atqui pœna moralis eſt actus virtutis moralis E.

Major patet: Nam omnem virtutem moralem jus naturæ præcipit, quod autem jus naturæ præcipit, hoc eſt moraliter neceſſarium.

Minor propoſitio ab omnibus admittitur, quamvis in eo *Doctores* non conveniant, ad quamnam virtutem moralem ſint pœnæ referendæ: *Grotius* noſter §. 2. ad juſtitiam particularem, & quidem ad juſtitiam expletricem, quam *Ariſtoteles* commutativam vocat, refert. Sic enim *n.3.* diſſerit: *Verum eſt in pœnis primo ac per ſe exerceri expletricem juſtitiam, quia ſcilicet, qui punit, ut recte puniat, jus habere debeat ad puniendum, quod jus ex delicto nocentis naſcitur. Atque hac in re eſt aliquid, quod ad contractuum naturam accedit, quia ſicut qui vendit, etiamſi nihil peculiariter dicat, obligaſſe ſe cenſetur ad ea omnia, quæ venditionis ſunt naturalia, ita qui deliquit, ſua voluntate ſe videtur obligaſſe pœna, quia crimen grave non poteſt non eſſe punibile, ita ut qui directe vult peccare, per conſequentiam & pœnam mereri voluerit.* Huc ſpectat, quod Imperator Severus & Antoninus Aſclepiadi ita reſcripſerunt: *Ipſe te huic pœnæ ſubdidiſti, l. Imperatores 34. D de jure fiſci.* Et *Martianus* JCtus: *Ex quo ſceleratiſſimum quis conſilium cœpit, exinde quodammodo ſua mente*

punitus est l. post D. Martii constitutionem 8. C. ad l. Juliam Majestatis. Alii ad mansuetudinem moralem referunt, quam in mediocritate circa iram, hoc est, appetitionem vindictæ, cujus præcipuus modus est pœna, consistere docent. *Don Pius Cussetta de Olibano Spec. Eccl. part. 1. distinct. 3. cap. 9. p. 464.* peculiarem virtutem moralem, quam vindicativam vocat, constituit. Sunt, qui quæstionem: Ad quam virtutem moralem inflictio pœnarum spectet? sic in scriptis suis decidunt: Ad justitiam universalem, parum forte absimiles illis, qui quæsiti: contra quodnam Decalogi præceptum peccatum sit? respondent, contra Decalogum.

ARG. III. III. Ex quo in majus periculum venit societas quam ex ipsis delictis, illud omnino fugiendum est.

Atqui si delicta moralia impunita relinquantur, ex eo in majus periculnm venit societas quam ex ipsis delictis E.

Minor probatur, quia delictorum moralium condonatio erit ad plus delinquendum invitatio.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

ARG. I.

Ad I. negando propositionem minorem. Quis enim creditor esset? numne læsus qua talis? minime. Nam læsus quæ talis non potest punire lædentem, quia qua talis non

non est superior lædente: Imo vero sic omni parti offensæ per se competeret jus puniendi, quod falsum esse ex eo apparet, quia punire est actus superioris qua talis, ut prima & secunda quæstione probabatur. Sane naturalis debiti solutio consistit unice in ipsa rerum inter se adæquatione & natura, ex alterius facto alteri nihil aliud debetur ac ne deberi quidem potest, quam æqualitas secundum rem, hoc est, ut tantum alteri reddatur, quantum abest, & hoc vocant alias *Moralistæ* indemnitatem aut restitutionem. Hinc quoque *Aristoteles* creditorem vocat τὸν ἔλαττον ἔχοντα. Fueritne creditor is, qui superior est qua talis? Absit. Debitum solvitur creditoris gratia, pœna minime. De jure crediti quis pro suo lubitu potest cedere, de jure puniendi non item. De credito cedere liberalitatis est. Delicti gratiam facere clementiæ. Numne tota communitas vicem creditoris geret? Minime. Rationes hic reducere supervacanei laboris opus esset.

Ad II. respondetur negando consequentiam majoris. Nec quicquam ad eam facit allata probatio. Non enim ad utile, sed ad honestum in moralibus pœnis respiciendum est, ceu in præceptis monuimus. **Resp. ad. Arg. II.**

Ad III. respondetur negando consequentiam majoris. Nam quæ Deus condonat delicta, pro iis satisfactio præstita est **Resp. ad Arg. III.**

λύτρω

λύτρῳ infiniti ac infinite pretiosi valoris. Sed hanc rem in *tractatu morali de satisfactione* expendimus, & *Grotium* in castris Socinianorum ibi quæsivimus.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occasio quæstionis habetur §. 4.

Quæstio IV.

An quis a judice juste latam sententiam mortis a magistratu jussus in seipso possit exequi, ita ut salvo naturæ jure se loco carnificis ipse occidat?

PRO NEGATIVA SENTENT.

§. 1. Pro negativa faciunt sequentia argumenta:

ARG. I. I. Omnis αὐτοχειρία est contra jus naturæ.
Atqui talis occisio est αὐτοχειρία E.

ARG. II. II. Quicquid est contra moderamen inculpatæ tutelæ jure naturæ præceptum, hoc est injustum.
Atqui quando judex condemnat aliquem ad extremum supplicium, ut damnatus in seipso statuat, hoc est contra moderamen inculpatæ tutelæ jure naturæ præceptum E.

ARG. III. III. Quicunque non habet dominium sui corporis, is absque expresso Dei jussu nunquam se salvo naturæ jure potest occidere.

Atqui

Atqui nemo habet dominium ſui corporis E.

IV. Omnis pœna debet eſſe involuntaria patienti. ARG. IV.

Atqui pœna, quam quis in ſeipſo exequitur, non eſt involuntaria ipſi E.

Non eſt vera pœna.

Major eſt omnium *Moraliſtarum*.

V. Qui juſte punit, punit inferiorem. ARG. V.

Atqui nemo ſeipſo eſt inferior E.

§. 2. Affirmativa probatur ſequenti argumento: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA ARG.

Si ſolus magiſtratus manet autor pœnæ, per quemcunque tandem executio fiat, ſequitur, quod ſi magiſtratus jubentis expreſſa voluntas adſit, quis in ſe ipſo juſtam pœnam exequi poſſit.

Prius eſt verum E. & poſterius.

Conſequentia probatur, quia ſi quis loco carnificis ipſe ſe occideret, perinde tamen ſemper foret, ac ſi per alium occiſus fuiſſet.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata reſpondetur, & quidem RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. negando minorem, ſi uſum, qui optimus loquendi magiſter eſt, ſequamur. Nam αὐτοχειρία in *Moralibus* nullam aliam notat ſui ipſius occiſionem, niſi eam, quæ per ſe & ex ſua natura turpis, adeoque jure naturæ illicita eſt. Perinde enim ſe habet cum voce αὐτοχειρία, atque cum voce homici- AD I.

micidium. Quis pœnam capitalem vel aliam justam occisionem, ut est moderamen inculpatæ tutelæ primario tale, vocat homicidium? Interim nos non latet, vocem αὐτόχειρ in bono maloque sensu acceptam fuisse: Nam & αὐτόχειρ notat Classicis scriptoribus quemque, qui suas manus conseruit: non raro illum quoque, qui unius cujuscunque facti immediatus auctor fuit.

RESP. AD ARG. II. Ad II. respondetur negando minorem. Non enim judex est aggressor, hoc est, vitam facinorosi vi injusta nequaquam impetit, quando eum condemnat ad pœnam justissimam, ut eam damnatus in seipso exequatur.

RESP. AD ARG. III. Ad III. respondetur negando propositionem majorem, quæ sane universaliter vera non est. Nam etiam magistratus humanus non habet dominium vitæ facinorosi, potest tamen ut Dei minister salvo naturæ jure in certo casu jure scilicet pœnæ vitam facinorosi perdere. Limitamus ergo majorem: Quicunque non habet dominium sui corporis, is privato ausu nequit salvo jure naturæ seipsum occidere. Sic concessa majore, negatur minor, cum in eo casu, de quo in præsenti sermo est, qui seipsum occidit, id faciat publica instructus auctoritate, hoc est, magistratus sui jussu, ut seipsum occidendo quasi alium occidat, aut a se occisus fictione morali ab alio occisus putetur.

Ad

Ad IV. respondetur negando minorem. Ut rectius hac de re constet, notandum est, duplex dari voluntarium, unum directum, alterum indirectum, si de voluntario directo sermo sit, ut omnino de eo sermo geri videbatur, sic utique negamus, quod pœna, quam quis in seipso exequitur, non sit ipsi involuntaria: Aliud enim est directe velle pœnam, aliud directe velle pœnæ executionem. Quod si de indirecte voluntario verba fiant, sic nulla justa pœna involuntaria est punienti. Quisque enim subditus delinquens hoc ipso, quod deliquit, pœnam secutam indirecte voluisse censetur. RESP. AD ARG. VI.

Ad V. respondetur, concedendo totum, si nempe recte inferatur conclusio, hoc modo: Ergo nemo seipsum juste punit. Sed jam nulla erat quæstio de eo, an quis juste seipsum punire possit? sed an quis pœnam a superiori sibi decretam juste exequi possit? Aliud est jus puniendi, aliud est jus pœnam exequendi. Hoc tamen nolumus præterire, quod executio pœnæ in seipso a delinquente quidem fieri queat, magis tamen consultum sit, si a tali jussu judex abstineat. Neminem quippe fugit multa esse adiaphora, hoc est, juris naturalis permissivi ut vocant, ut tamen oppositum eligere sit laudabilius, qua de re alibi actum est, unde quando *Doctores Morales* irrationabilem, quod *Quintiliani* verbum est, censent sententiam, RESP. AD ARG. V.

tentiam, qua Magiſtratus quempiam loco carnificis ſe capitali ſupplicio afficere jubet, hoc ſenſu, quia contra naturæ conſilium eſt, non facile refragabimur: quod ſi alio ſenſu ideo talis executio injuſta cenſeatur, quia irrationabilis eſt, videtur id peti quod in principio petebatur.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occaſio petebatur ex §. 2. n. 3.

Quæſtiones aliæ.

Plures quidem quæſtiones hic moveri poterant, ut: *An vindicta privata jure naturæ ſit licita?* Cujus quæſtionis affirmativa probatu facilis eſt, modo vindicta non ſumatur pro pœna. Quamvis enim alias præcipuus modus vindictæ ſit pœna, nemo tamen inter accuratiores *Philoſophos* aut *JCtos* eſt, qui non agnoſcat vindictam præter illationem pœnæ: Et hanc in rem cum neceſſitas ſæpe eam vindicationem, quæ tamen pœna non eſt, urgeat, in pluribus Rebuspublicis multas leges publicatas eſſe, *Navarra, Gregorius Tholoſanus* aliique plures notarunt, quibus itidem factum docent, ut ſpecialis titulus: *Quando unicuique ſine judice ſe vindicare liceat,* Codici insereretur. *Ex quibus fundamentis moralibus ſolide doceri poſſit obligatio, quæ ex delicto oritur ad pœnam tendens? Ex quibus & quot circumſtantiis delicta eorumq; merita dijudicari ac æſtimari*

mari possint & debeant? An & quousque cogitationes puniri possint? An consuetudo possit puniri? An ingratitudo, illiberalitas, immisericordia hujusque generis delicta puniri possint? An naturaliter justum sit, lætari alterius pœna? Unde moralis licentia pœnarum capitalium doceri possit? An in certis casibus extrema supplicia sint moralis necessitatis? An quis ex eodem facto & præmium & pœnam possit mereri? Rectiusne pœnæ omnes judicum permittantur arbitrio, an definiantur legibus? An judices minores legibus pœnas constituere possint? Qui termini juris aggratiandi sint a natura positi? num eorum, qui pœnam elusere, pœna duplicari possit? An obsita vetustate crimina seris pœnis exequi liceat, item num oporteat? An justitia punitiva Deo cum hominibus communis locum inveniat? In quo genuina totius satisfactionis natura consistat? Quam varii sint modi satisfactionum? Ut longe plures taceamus: Verum nec ex professo has quæstiones tractavit *Grotius*, nec earum disquisitionem scopus introductionis nostræ requirebat, eoque facilius eas præterire potuimus, quo majori labore in hisce materiis vires ingenii peculiari *tractatu de natura satisfactionis* exercere fategimus. Calcar namque nobis addidit *Crellius*, dum se nunquam satis mirari *vim atque evidentiam veritatis* potuisse testatus est, *quæ & sibi adversus claris-*

ſimum JCtum (*Grotium* noſtrum intelligit) *diſputanti arma ſuppeditaverit ad eum convincendum, & ſimul effecerit, ut hæc* (ad ſolidam Juris naturalis diſciplinam ſpectantia) *ad quæ cum acceſſiſſet, non fuerat neſcius ſibi cum eo rem eſſe, cujus iſta facultas eſſet propria, quæ ſibi aliena, non amplius habeantur pro invictis.* Tanto minus autem inanem operam ſumſerit, qui hujus materiæ ſollicitum examen inſtituit, quanto certius eſt, vix ullam *activæ Philoſophiæ* partem utiliorem ſimulque difficiliorem dari, atque eam, quæ de hiſce talibus agit, ceu *præfatione in tractatum de natura ſatisfactionis* pluribus deduximus.

CAPUT XXI.

De CONSORTIO DELINQUENTIUM ET COMMUNICATIONE POENARUM.

§. I.

Conſortium delinquentium quid?

CONſortium delinquentium eſt, quando duo aut plures delinquentes unius ejusdemque numero *delicti ſunt participes.*

[*Grotius c. 21. §. 1. n. 1.*]

NO-

NOTÆ.

I. In eo non facile *Moralistas* aliosque invenerimus dissentientes, quod consortium delinquentium sit, quando duo aut plures delinquentes unum numero delictum communicant.

II. Si tamen paulo accuratius & a priori definire velimus, quid sit consortium delinquentium, seu per quid duo vel plures unum numero delictum communicent? dici poterit, per hoc, quando unius ejusdemque numero delicti duo vel plures in genere morum causæ sunt.

§. 2. Consortes delicti sunt hi ipsi, qui unius ejusdemque numero *delicti sunt participes.* *Consortes delicti quinam?*

[*Grotius* §. 1.]

NOTÆ.

I. Hi ipsi dicuntur consortes delicti, qui unius ejusdemque numero delicti causæ in genere morum sunt: Exemplo sunto Cnejus, Titius & Sempronius unum numero furtum communicantes: Sempronius scalas ædibus applicat, ut Titius conscendat fenestras, & furtum faciat, Cnejus interea temporis, dum Titius furtum patrat, haud e longinquo excubias agit, ut signa forte adventantis ædium domini prænunciet, habeantque Titius & Sempronius occasio-

nem fuga ſibi ſalutem quærendi. En nobilem furum manipulum!

II. Obſervandum tamen eſt, quod quemadmodum ſtatus delinquentis etiam ceſſante delicto adhuc durare valet, imo tamdiu durat, donec prævia morali retractatione per ſatisfactionem aboleatur, ceu *præcedenti capite §.31. & ſeqq. p.1223.* oſtendimus, ita idem judicari de conſortio delinquentium debeat. Nempe qui unius numero delicti veræ cauſæ extiterunt, illi tamdiu manent in delinquentium conſortio, quamdiu nemo eorum delictum moraliter retractat, moralemque præſtat ſatisfactionem: Aſſumamus exemplum *præcedenti nota* propoſitum: Titius, Sempronius & Cnejus primo omnium fiebant conſortes furti, quando ex ipſorum efficaci intentione furtum ſequebatur, ſeu quod idem eſt, quando per efficacem intentionem furtum qua tale cauſabantur, manent vero conſortes furti dudum patrati tamque diu manent, quamdiu nullus eorum furtum retractat, nullus pro eo ſatisfacit: Quod ſi forte fortuna ex hiſce tribus furibus in fuga conſtitutis infelix ille vigil isque ſolus a magiſtratu apprehenderetur, multamque penderet, ſic multatus vigil exors furti evaderet, reliquis conſortibus in furto manentibus.

§. 3.

§. 3. Fundamentum conſortii delinquentium eſt unius ejusdemque numero delicti efficax intentio a plurium animis ſic pendens, ut unum idemque delictum efficaci intentione voluerint. *Fundamentum conſortii delinquentiũ.*

NOTÆ.

I. Intentio notat hoc loco actum voluntatis, & quidem duobus modis accipi ſolet: Uno in ſignificatu largiori, ut denotat actum, quo voluntas quippiam vult: nam eo ipſo tendit in ipſum, quod vult, hacque ratione actus ille dicitur intentio. Altero, ut dicit actum, quo voluntas appetit finem, ut per aliqua aſſequendum. Poſterior modus huc maxime pertinet, quia intentio non quæcunque ad fundandum delinquentium conſortium ſufficit.

II. Efficax intentio nobis dicitur illa, quæ vel immediate per hanc ipſam actionem, cujus efficax intentio vocatur, ſe exerit, vel aliam actionem, ut absque hac alia actione ſi fuiſſet intentio, alter actus, cujus reſpectu efficax intentio audit, ei, a quo intenditur, tanquam veræ cauſæ efficienti adſcribi non poſſet. Quia autem temporis & chartæ anguſtia non permittit, ut hancce doctrinam de efficaci intentione in communi fuſius proſequamur, libet eam ſtatim ad noſtram tractationem applicare: ita in

exemplo *præcedentis* §. *not.* 1. & 2. declarato efficacem intentionem furti & Titius & Sempronius & Cnejus habuerunt: Titius quidem, quia per ipsum furtum immediate suam intentionem exeruit, quando ipse rem alienam invito domino abripuit: Cnejus vero & Sempronius exercuerunt suam intentionem furti non per ipsum furtum, per tales tamen actus, absque quibus si fuisset, neutri horum tanquam veræ causæ efficienti furtum imputari posset, nempe Sempronius per scalarum applicationem, Cnejus per vigiliam, absque quibus actionibus si fuisset, nec Cnejus nec Sempronius per veram intentionem causæ furti fuissent.

III. Ex his nemini obscurum esse potest, quod efficacem intentionem in longe alio, eoque strictiori, sensu jam sumamus, atque vulgo consvevit accipi: Nempe secundum communissimam loquendi consuetudinem quælibet intentio efficax dicitur, qua voluntas ita aliquid vult, ut istud velit efficere aut consequi, & opponitur inefficaci intentioni, qua quis aliquid vult, ut tamen istud non velit efficere aut consequi, quia scilicet nullam habet spem ejus consequendi, aut forsan alias etiam ob causas. Vid. *Stablianæ Regg. Phil. part.* 1. *disp.* 9. *reg.* 1.

IV. Equidem nunc daretur occasio dispiciendi, quomodo & ex quo fundamento aliquid vera causa efficiens in genere morum

rum esse possit, quamvis id, cujus vera causa non censetur, immediate non effecerit, modo illud ipsum intenderit efficaciter seu efficacem ejus habuerit intentionem: Quia vero nostri propositi nō est ostendere, quod per efficacem intentionem aliquid in genere morū possit esse vera causa, sed noster scopus est, hac doctrina supposita saltem ostendere, quomodo consortes delicti nihil aliud sint, quam unius numero delicti veræ causæ in genere morū, ideo non erit, quod nos in hujus negotii declaratione detineat, maxime quia hæc tractatio prolixam requireret inspectionem. Pauca hæcce quasi per transennam conspicienda relinquimus, & quod ille sit vera causa delicti, qui dat esse delicto, & quod ille sit vera causa efficiens (libera) delicti, qui per veram & realem actionem (liberam) dat esse delicto: Jam vero qui efficaciter delictum intendit, uti *nota secunda* efficax intentio definiebatur, is sane dat esse delicto, & per veram ac realem actionem dat esse delicto, etsi immediate delictum ab eo non procedat. E. quilibet qui talem delicti efficacem intentionem habuit, est vera causa delicti inque specie vera causa efficiens. Nam quantum ad eum attinet, qui immediate delinquit, res nulla indiget probatione: quod si vero spectetur is, qui mediate dicitur delinquere, omnino prius constare debet, quod

causa mediata sit vera causa, & quod influxus (ut loqvuntur *Scholæ Metaphysicæ*) mediatus sit verus influxus. Si enim in aliis causarum generibus causa mediata potest esse vera causa, cur non etiam in genere causæ efficientis idem obtineret: ita e. gr. manent termini vera causa syllogismi, quamvis sint causa mediata. Hoc igitur supposito, quod influxus mediatus verus influxus sit, hocque itidem concesso, quod efficax intentio (ejus scilicet, qui delictum vere & efficaciter intenderat, non tamen immediata ipsius causa fuerat) verum immediatum influxum arguat, facili ratione inde colligere datur, quod per efficacem intentionem quis delicti, quod immediate non patraverat, vera causa efficiens esse queat. Sed, uti diximus, hæc metaphysice examinare & pro re nata deducere, non est hujus loci.

V. Multi fundamentum consortii delinquentium unice quærunt ac collocant in morali imputatione, ut per hoc duo pluresve consortes delicti existant, quod singulis delictum vere imputetur. Enimvero hunc errorem deteget facili negotio, qui quid per imputationem hoc loco intelligatur, attendit. Scilicet imputatio delicti vocatur rectũ judicium viri prudentis, quo judicat de delicto, illud ad duos aut plures quoad effectũ juris pertinere. Dicitur ab iis imputatio

primo

primo judicium, hoc eſt, actus intellectus judicantis. Additur ſecundo rectum, ut contradiſtinguatur falſæ imputationi. Denique reliquis verbis ultimus imputationis effectus eſſentialis ſatis exprimitur. Per effectum namque juris ſignificatur obligatio, quæ, quatenus ad culpam tendit, a *Moraliſtis* obligatio directiva ſalutatur: quatenus vero tendit ad pœnam, obligationis coactivæ nomine venire ſolet. Ita ex. gr. quando judex pro ſua qua pollet prudentia judicat, quod Titius, Sempronius & Cnejus (ut exemplum *p.1251.* propoſitum proſequamur) æque fures exiſtant, hoc judicis judicium rectum eſt, & rectiſſime vocatur eo ſenſu imputatio, quo in præſenti hæc notio accipiebatur: Ecquis interim non aſſequitur, quod ratio a priori dari poſſit ac debeat, cur Titio, Sempronio & Cnejo unum idemque numero furtum imputetur. Hæc igitur ratio a priori erit fundamentum hujus mali conſortii, unde furti conſortes Titius, Sempronius & Sejus denominantur. Ut nihil de eo dicamus, quod multi dentur delicti conſortes, quibus vel plane non imputantur delicta, vel ſaltem uni aut alteri non imputantur, ſi ad forum civile reſpicias, interea tamen conſortes delicti manent. Id plerique animadvertentes, imputationem, ut fundamentum mali conſortii ex mente illorum audit, non pro actu ſe-

 cundo,

cundo, ſed pro actu primo accipere jubent, ut delicti conſortes primo ac formaliter per hoc ſint & maneant, quod iis unum idemque numero delictum poſſit imputari. Qui licet mitiorem ferant cenſuram, non tamen magis audiendi ſunt, quam illi, qui Petrum per hoc formaliter & primo hominem eſſe perhibent, quod riſibilis ſit aut qui hoc corpus per hoc primo & formaliter quantum ſtatuunt, quod diviſibile ſit in ſuas partes, ceu vocantur, integrantes. Sicut enim riſibilitas ex rationalitate fluit, diviſibilitas extenſionem neceſſario conſequitur, ita imputatio, ut actum primum dicit, ſeu ut loqvuntur, imputabilitas manet perpetuum & eſſentiale conſequens alterius, cum aliud tanquam rationem a priori perpetuo reſpicere neceſſum habeat.

III. Iterum alios deprehendamus, qui fundamentum conſortii delinquentium conſtituunt demeritum: Verum eandem reprehenſionem incurrunt, cum demeritum ſit poſterius quid conſortio delinquentium, & natura prius ſemper ſit ipſum conſortium delinquentium. Qua enim ratione uno eodemque delicto mererentur idem malum duo vel plures, niſi ejuſdem delicti eſſent participes aut conſortes, propter quod malum paſſionis ipſis infligi poſſit. Plures aliorum ſententias de fundamento conſortii delinquentium, quamvis quædam ex illis ſpe-

speciem majoris probabilitatis præ se ferant, singulari studio hic prætermissas volumus.

VIII. Ita vidimus, quid consortium delinquentium, & quinam consortes delicti audiant? E re fuerit varias quasi species aut modos consortii delinquentium, eorumque qui consortes delicti sunt, inquirere.

§. 4. Distinguitur 1. inter consortes delicti ex toto & inter consortes delicti ex parte. Ex toto consortes delicti sunt, ad quos unum idemque numero delictum in genere morum quoad eundem plane effectum juris eodem modo pertinet: Contra ex parte consortes delicti vocantur, ad quos unum numero delictum quoad eundem effectum juris, non tamen uno eodemque modo pertinet. *Distinctio consortii delinquentium.*

NOTÆ.

I. Ita ponamus exempli gratia talem casum: Sempronius Seji servus inscio domino suo pro certa pecuniæ summa sese juramento obligat ad Cnejum Caji inimicum occidendum, Cajus solvit Sempronio pecuniam, ipseque Sempronius in via est, quæ ad patrandum homicidium ducit: Accidit autem, ut obviam ei fiat Sejus harum rerum plane

plane ignarus, inque mandatis det Sempronio, ut Cnejum interficiat, ſane in hoc homicidio conſortes ſunt: Cajus, Sempronius & Sejus, quia hi ipſi unum idemque homicidium inter ſe communicant, non autem idem modus communicationis aut conſortii datur. Ex toto homicidium communicant Cajus & Sempronius, & cum iis homicidium ex parte communicat Sejus, quippe ſat efficax hujus homicidii intentio fuit ex parte Caji & Sempronii, quandoquidem Sempronius eam immediate per ipſam ſcilicet occiſionem exeruit, Cajus vero per demandationem aut conductionem, quia Sempronio, ut homicidium committeret, demandaverat, ſolutaque pecunia ad hoc ſcelus patrandum conduxerat, atque ita Sejum ad patrandum homicidium moverat, ut homicidii iſtius commiſſio ab ejus demandato ac conductione morali quadam ratione dependeret. Unde eodem modo culpabiles evadunt Cajus & Sempronius, hoc eſt, eadem plane culpa utrumque manet, & uterque in genere morum fuit veriſſima cauſa. Sempronius cauſa libera immediata, Cajus vero cauſa libera mediata. Interim minor eſt Seji culpa, quod vel ex eo liquet, quia Sempronius non commiſiſſet homicidium absque Caji demandato aut conductione ſi fuiſſet: Aſt adhuc a Sempronio commiſſum fuiſſet homicidium, licet abs-

absque Seji domini sui mandato fuisset. Itaque Sempronius non quidem hujus homicidii plane exsors est, quando attendimus, quod magis facilem inque hoc homicidium procliviorem reddiderit Sempronii animum, non tamen eadem ipsius, quæ cæterorum culpa est.

II. Nec est, quod dicatur, in modo allato casu Sejum ideo hujus delicti consortem ex toto esse, & quod omnium *Moralistarum* judicio mandans & mandatarius habeantur rei ejusdem delicti, & quod efficax fuerit ista intentio homicidii, quam Sejus e sua elicuerat voluntate. Etenim ad utrumque pro Seji defensione in tantum parata est responsio, in quantum ex toto consors censebatur: non in totum, quia non omni ex parte est exsors culpæ. Quod enim prius attinet, quando urgebatur, quod mandans & mandatarius sint rei ejusdem delicti, hoc cum limitatione accipiendum est; si nempe mandatum ita respiciat delictum commissum, ut absque tali mandato si fuisset, alter delinquens delictum non commissurus fuisset, aut ad minimum, si ex mandantis intentione tanquam sua causa secutum sit. Ad posterius, quando efficacia intentionis prætendebatur, reponimus latere ambiguitatem in hac locutione intentio efficax, quam *nota 2. & 3. ad §. 3. p. 1253.* excussimus. Si illa intentio dicatur efficax, qua quis finem

nem per media efficiendum vel obtinendum voluit, aut, quæ per externum quoque actum se exeruit, quocunque modo ad effectum, cujus comparatione intentio efficax dicebatur, facientem, utique negare non possumus, quod Sejus efficacem istius homicidii intentionem habuerit, quia intentionem ejus sequebatur homicidium, ipsumque mandatum, per quod intentio se exeruerat, quodammodo faciebat ad homicidium, in quantum eo facilius a Sempronio peractum esse fuerat: Verum hæc intentio nondum sufficit, ut eo sensu dicatur efficax, hoc est, ut talis sit efficaciæ, qualis requiritur, ut Sejus ex toto consors delicti salva veritate judicetur. Namque requirebatur ad veram intentionem efficacem, ut per tale quid se exerat, ex quo per se & tanquam ex sua causa effectus (nempe homicidium) sequatur: Ast homicidium a Sempronio commissum per se non sequebatur e Seji mandato, ut jam ostensum. Aliud sane est dicere, quod homicidium secutum sit intentionem Seji; aliud dicere, quod ex intentione tanquam causa secutum fuerit. Istud concedimus, hoc negamus. Relinquitur ergo Sejus saltim causa quædam facilitans, uti *Scholastici* vocant, aut, ut cum B. *Slevogtio* loquebamur, habuit se Sejus ad homicidium a Sempronio commissum duntaxat concomitanter, vera autem

causa

causa per efficacem intentionem non fuit, sicut hæc omnia præcedenti *cap. 17. p. 1115.* fusius jamdum exposuimus.

Alia consortii delinquentium distinctio.

§.5. Si modos consortii delinquentium distinguere specialius magisque determinare velimus, ante omnia ad causam delicti physicam principalem, sive illa simul in genere morum vera causa sive non sit, respiciendum esse censemus. Jam duplicis generis causam physicam delicti dari posse constat: Alia ad talem effectum, qui delictum audit, immediate producendum satis erat propensa, ut non solum nulla motione indigeret, sed quoque, nisi aliunde impediretur, certo immediata causa effectus per verā & realem actionem extitura fuisset; exempli gratia: Causa physica est ignis ab alio ædibus subjectus, qui certo combusturus erat ædes, nisi extingueretur. Alia causa physica ad talem effectum immediate producendum non satis sufficientem propensionem habebat: vel, si habebat, unius tamen vel alterius circumstantiæ aut occasionis defectus eam impediebat, quo minus hunc immediatum effectum productura fuisset,

aut

aut producere potuisset vel voluisset: Sic causa physica est Sempronius respectu homicidii immediate a se commissi, ad cujus immediatam productionem non propensus fuerat, nisi alterius mandato fuisset motus: Item Titius volens bombarda trajicere Cajum, quem tamen non trajecisset, nisi Cnejus adstans id removisset, quod explosionem bombardæ impediebat; quodque obstaculum Titius nesciebat removere.

Alia consortii delinquentium subdistinctio.

§. 6. Pro hac igitur duplici habitudine ad causam physicam principalem dantur duplicis generis consortia delinquentium, & utriusque iterum varii modi: Ita si prius genus spectemus, sunt ex. gr. incendii consortes facti, Sempronius, qui Sejum igne extinguere volentem detinuerat; Manlius, qui ignem extinguere debuit ac potuit a Cassio ædibus subjectum, nec tamen extinxit; Julius, qui destinata malitia fores ædium clausit, ut prius ad locum incendii nemo pertingere potuisset, quam in altissimas flammas ignis erupisset. Si posterius genus atten-

attendamus, exempli gratia in homicidio consortes sunt Sejus, qui simul fuerat causa physica immediata, Sempronius mandans, Cajus consentiens, Sylvius occasionem subministrans, Sulpitius impedimentum removens, Accius consilians, Lucius demandans, Tullius istud ratum habens, Crassus receptum præstans &c.

NOTÆ.

I. Alias variis modis indicant eos, qui delicti consortes esse possunt. *Thomas 2. 2. qv. 62. art. 7.* certos modos his versibus comprehendit:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Hos modos ut sufficientes prolixe propugnat *Petrus de Arragon de Justitia & Jure in citatum Thomæ art. p. m. 200. & seq.* Iisdem versiculis *Leonardus Lessius de Justitia & Jure L. II. c. 13. p. m. 143.* inhæret pluresque *Moralistas Gabrielem, Adrianum, Johannem Medinam, Sotum, Navarrum,* ut & alios citat. Laudat eandem enumerationem *Ludovicus Molina de Justitia & Jure Tom. III. de delictis disp. 729. p. 407. Johannes Azorius Instit. Moral. Part. III. L. 4. c. 10. p. 214. & seqq.* Quamvis enim plerique hos modos recenseant in doctrina de damno per inju-

riam dato, tamen ut noster *Grotius* §. 1. n. 1. bene notat, *ferme iisdem modis in delicti partem quis venit, quo in damni dati: non tamen semper ubi damni obligatio est, etiam delictum est, sed tum demum, si qua malitia notabilior accesserit, cum ad damni dati obligationem sæpe qualiscunque culpa sufficiat.* Ipse *Grotius eodem* §. *n. 7.* hosce modos consortii delinquentium recenset: *Qui factum vitiosum jubent, qui consensum requisitum adhibent, qui adjuvant ope: qui receptum præstant, aliove modo in ipso crimine participant: qui consilium dant, laudant, assentantur: qui cum ex jure proprie dicto teneantur vetare non vetant, aut cum teneantur ex simili jure opem ferre injuriam patienti non ferunt, qui non dissuadent, cum dissuadere debeant, qui factum reticent quod notum facere ex jure aliquo tenebantur.* Hosque omnes delicti participes seu in ipso delicto consortes esse posse statuit. B. *Martinus Chemnitius Tom. I. Loc. 7. cap. 8. de peccato actuali p. 258.* modos, quibus consortium delinquentium initur, his includit versiculis:

Consulo, præcipio, consentio, provoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprebendo,
Non obsto, sed præcipio, & defendo aliena.

Communicatio pœnarum quid?

§. 7. Communicatio pœnarum est, quando duo vel plures ob unum idemque

demque numero delictum merentur pœnam.

NOTÆ.

I. Fundamentum communicationis pœnarum est consortium delinquentium. Recte enim *Grotius* noster statim postquam præcipuos consortii delinquentium modos recensuerat, addit: *Hi omnes puniri possunt, si in ipsis talis sit malitia, quæ ad meritum pœnæ sufficit.* §. 1. n. 2. & sequenti §. 2. ubi pluribus exemplis ac testimoniis rem illustriorem facere voluit, inter alia scribit: *Sic nec pater ex delicto liberorum tenetur, nec dominus ex servi, nec alii, qui præsunt, nisi aliquid in ipsis vitiosum hæreat.* Item §. 9. *Communitas pœnæ accidit ex culpæ communitate.*

II. Ut ergo reatus semper culpam, & culpa delictum præsupponit: Ita rectius meliusque, nostro quidem tenui judicio, universa *hujus capitis*, hoc est, consortii delinquentium & communicationis pœnarum doctrina tradi aut percipi vix poterat, quam si in antecessum ex *Metaphysicis* integra doctrina cum de causa efficiente libera seu voluntaria, item principali, minus principali & instrumentali, tum de causa voluntaria immediata ac mediata, atque sic inprimis de causa physica & morali expenderetur, in subsidium tamen vocatis solidioribus undamentis & ea ratione, ut in practicis

disciplinis omnique juris scientia magis usum hæcce talia præstarent, quam promitterent. Interim quia præsens disquisitio hanc, quæ maximum usum habet, & diligenti considerratione indiget, doctrinam non capit, cui certe una vel altera pagella nequaquam sufficere poterat, unum saltem alterumve in *sequentibus notis* quasi aliud agentes adhuc monuisse licebit.

III. Et quidem utique cautio sedula adhibenda est, ne causa moralis & agens morale confundantur, utpote quæ duo multis modis differunt: nam potest esse aliquid causa moralis, ut tamen plane non sit agens morale: Ita ex. gr. potest aliquis esse causa moralis actionis meræ adiaphoræ, ut vocant, hoc est, liberæ actionis, quæ nec honesta, nec turpis, nec lege præcepta, nec lege prohibita est, cujusque oppositum æque licitum est, & in tali certe casu ejusmodi causa moralis nullatenus agentis moralis veni nomine, quamvis agens liberum dici possit. Econtrario potest aliquis esse in numero agentium moralium, ut tamen nullatenus si causa moralis, si nempe sit in genere efficientis vera causa actionis moralis, non tamen mediata, sed immediata, hoc est, caus voluntaria in genere morum, ut tamen simul sit causa physica. Aliud ergo est causa moralis, aliud causa moralis actionis: I eo quidem conveniunt causa moralis

cau

causa moralis actionis, quod utraque in genere efficientis sit causa, item quod utraque sit causa libera seu voluntaria: Differunt tamen in hoc, quod causa moralis semper sit causa mediata, causa moralis actionis & mediata & immediata esse possit. Et, ceu modo ostendimus, differunt quoque ut termini excedentes & excessi. Imo causa moralis, ut Metaphysicæ dispectionis est, suam denominationem non accipit a moralitate, unde tamen agens morale denominari solet, sed a more sive æstimatione, quod perinde illi effectus, sive istud ad genus morum spectet, sive minime, imputetur ac si immediata ejus causa extitisset.

IV. Cavendum quoque, ne causa per accidens actionis moralis cum vero agente morali confundatur, quam rem ex fundamento deducere & satis accommodate ad praxin fori ac cujusvis juris, sane non inutilium horarum laborem requireret. Quam sæpe factum est in hoc vel illo foro, ut prætermissis iis, vel leviter & quasi per transennam saltem inspectis, in quibus substantia delicti ac ipsa essentia meriti cõsistebat, minus nocentes pro magis nocentibus; rei pro innocentibus, innocentes pro reis habiti fuerint. Quam sæpe nimius personarum & qualitatum ad factum non pertinentium respectus, & ad substantiam facti pertinentium supinus neglectus aut negligens & subi-

subitaria inspectio minus nocentibus magis nocuit. Et huc spectat vexata illa disquisitio: Num & quousque secundum acta & probata, an & quousque judicis sit secundum conscientiam æstimare eorum, qui delictorum arguebantur, merita. Tales enim casus sæpe eveniunt, ubi aliud suadent acta & probata, aliud conscientia judicis dictat, in quo casu, aut conscientiam judicis oportuit esse erroneam, aut acta vel ex malitia, vel ex ignorantia conficta. Sed ad hanc idque genus notabiliores plures liberalius otium desiderabitur.

V. Illud inprimis si ullum aliud, accuratam considerationem exigit, naturam intentionis ejusque modos, inprimis intentionem directam & indirectam, item intentionem formalem & intentionem interpretativam seu præsumtam, quorsum tota de delictorum præsumtionibus materia spectat, recte perspectam tenere. Nam (ut ὡς ἐν παρέργῳ hoc notemus) consortes in delicto etiam fiunt, qui non directa, sed indirecta intentione delicti causa sunt: recte enim efficax intentio in directam & indirectam distinguitur. Pariter consortes in delicto esse possunt plures, quamvis alii intentionem expressam seu formalem, alii interpretativam seu præsumtam habuerint; Ita in supra *p. 1251.* & iteratis vicibus allato exemplo Titius, Cnejus & Sempronius omnes forma-

formaliter & directe intendebant furtum: Contra e. gr. faciamus hunc ipsum dominum, cui absenti Titius, Cnejus & Sempronius bona sua abripuerant, servo suo severissime injunxisse curam suorum bonorum, ipsum vero nimio vino semet ingurgitasse aut somno plusculum indulsisse, ut interea illi occasionem haberent furandi, utique servus sit consors in furto & ad furtum vera intentione concurrit, quamvis indirecta: Dum enim somnum aut potum intenderat, omissionem sane actus, quo furtum impedire poterat ac tenebatur, & per consequens ipsum furtum vere intendit. Pariter faciamus Cnejum, Titium & Sempronium ante commissum furtum diu expectasse Cajum, cujus astutiam & vaframentum, quando aliorum scelerum consortium cum eo inive- runt, dudum feliciter experti fuerant, tandem vero re inter se deliberata, quia Cajus frustra expectabatur, conclusisse, quod ipsius nomine, æque ac proprio furari, abreptaque bona cum Cajo, si redux fieret, partiri vellent, certe si hoc factum Cajus deinde ratum habuisset, sic ipse quoque consors hujus furti fieret, quia illud interpretative intendisset, cum præsumta intentio adfuerit, hoc est, ipsius intentio a consortibus salva veritate præsumta sit.

VI. Studio contradistinguimus intentionem directam intentioni interpretativæ,

 quic-

quicquid alii, inprimis *Vazquez in 1. 2. c. 1. disp. 24. p. m. 172.* in contrarium statuant, utramque pro eadem habentes. Equidem fatemur, quod in multis indirecta & interpretativa intentio conveniunt, cum utraque sic dicatur comparatione effectus, quem quis actu voluntatis non efficit: Sic quoque utraque potest efficax intentio esse, ut utraque ii, qui effectum intendisse dicuntur, eum causari potuerint, vel etiam causati sint, ceu ex *not. præced.* allatis exemplis patebat: Differunt tamen multis modis, quorum unum vel alterum produxisse sufficiat: Ita omnis indirecta intentio illius effectus, cujus comparatione indirecta intentio dicitur, cognitionem aut actualem aut virtualem ex parte indirecte intendentis præsupponit, ut nemo dici queat indirecte intendisse effectum, nisi eum ex actus sui commissione vel omissione per se tanquam ex sua causa secuturum esse, aut sequi posse, aut ex talismodi actione plerumque sequi, aut saltim ne fieret, gravissimum periculum subesse prius aut cognoverit, aut cognoscere potuerit ac debuerit: at cum interpretativa res aliter se habet, nam dicitur quis interpretative effectum intendisse, licet nunquam eum cognoverit, sicut in *præced. not.* Caji exemplum testabatur. Deinde nulla datur indirecta intentio, quæ non simul intentio directa sit, non quidem compara-

paratione effectus, cujus indirecta intentio vocatur, sed comparatione alterius, ex quo effectus indirecte intentus per se sequitur: Ita e. gr. sequi indirecta intentio, quando in exemplo *præcedenti annotatione ad hunc* §. proposito dicebatur furtum intendisse, erat directa intentio somni aut ebrietatis, aut ad minimum ejus, ex quo sequebatur, ut obdormisceret aut ebrius fieret: At rursus aliter comparatum est cum intentione interpretativa: præsumta Caji intentio, quam interpretativam in altero exemplo nuncupabamus, nullam arguit directam intentionem ullius alterius effectus e Caji voluntate elicitam, quæ respectu furti ipsa interpretativa intentio aut præsumtæ intentionis fundamentum fuisset.

VII. Caveat quoque quilibet sibi, ne pro intentione efficaci habeat, quod efficax intentio non est: Ita sane in gravissimum pariter & pernitiosissimum errorem incideret, qui ex eo, quod Deus aliquando omittat auxilium speciale, quo vitari posset peccatum, utut sciat ex eo peccatum secuturum esse, vellet colligere, quasi efficacem intentionem peccati Deus habuerit: item qui non erubesceret per hoc, quod Deus nonnunquam faciat aliquid, ex quo sciat sequi peccatum, concludere Deum habere directam intentionem peccati, sicut primis parentibus fructu arboris scientiæ boni ac

mali interdixerit, cum tamen legem eam violatum iri præviderit. Nam qui in talismodi ruit cogitationes aut ejusmodi consequentias nectit, is aut nequit aut nondum vult assequi, quid sit efficax intentio? Hoc falsissimum est, quod ex subtractione gratiæ divinæ in tali casu aut e sanctione legis de fructu arboris scientiæ boni & mali non comedendo per se & tanquam ex causa sua tales effectus sequantur, imo falsissimum manet, quod in genere morum Deus ullo modo ad delicta concurrat.

VIII. Illud itidem hic nolumus prætermissum, quod saltem de consortio hujus externi delicti nobis sermo fuerit: nam si forte contingat, ut æque gravi pœna afficiatur, & qui efficacem & qui inefficacem intentionem delicti habuit, hoc non ideo fit, quasi uterque per intentionem delicti causa in genere morum fuerit, sed quia alter, utut tam atrocis sceleris causa non fuerit, istud tamen voluit, ut ita non ob scelus, sed ob volitionem sceleris æque gravi malo forte ob externam quandam circumstantiam afficiatur, quo de supra *pag. 1260. & seqq.* actum est.

IX. Tandem illud obiter notationis loco addimus, quod in *Moralibus* eadem frequētia dicantur causæ efficientes, ii, qui nullius externæ ac realis actionis, quæ delicti nomine censeatur, veræ causæ fuerunt, dum-

dummodo vel non egerunt id, quod debuissent (immediate vel mediate) agere.

X. Exempla consortii delinquentium hic adducere noluimus, cum & supra *c.* 17. plura adducta fuerint, quæ huc facile mutatis mutandis trahi queant, & facili ratione sat illustria haberi possint ex prima *textus Grotiani*, modo §. 2. legatur, inspectione, quæ partim ex *Juris civilis corpore*, partim ex aliis fide dignissimis Scriptoribus *Grotius* noster egregio successu petiit.

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

An communitas pœnæ dari citra culpæ communitatem salvo naturæ jure possit? seu, an quis contra suam voluntatem possit luere pœnam alienam?

§. I.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

PRo affirmante sententia videntur facere sequentia argumenta:

ARG. I.

I. Si fieri salvo jure naturæ potest, ut quis non suæ voluntatis sit, sed ab aliena voluntate pendeat, ita ut quod alter vult licet ipse non voluerit, voluisse tamen censeatur, sequitur, quod communitas pœnæ dari citra culpæ communitatem possit.

Prius

Prius eſt verum E. & poſterius.

Conſequentia probatur, quia qui aliam habere poteſt voluntatem citra ſuam, ita ut non ſit ſuæ voluntatis quam habet, ſed alienæ, cur non etiam iſtius alienæ voluntatis luere poſſit pœnam?

Prius probatur, quia communi conſenſu dudum probata eſt diſtinctio inter voluntarium voluntate propria & voluntate aliena. Evidens hujus rei argumentum eſt in poſteris, qui pœnam luunt criminis læſæ Majeſtatis citra omnem ſuam culpam à ſolo parente ſolaque ipſius culpa patrati.

ARG. II. II. Si æquum eſt poſteros honores & præmia accipere & merita majorum citra ſua merita, etiam æquum eſſe poteſt puniri eos ob majorum peccata.

Prius eſt verum E. & poſterius.

Conſequentia probatur, quia utrobique par eſt ratio: Nam utrobique locum invenit meritum alienum, utque ad alienum meritum ſe habet præmium, ſic ad alienum demeritum pœna.

ARG. III. III. Si ex delicto majoris partis tota univerſitas puniri poteſt, ſequitur, quod quis luere poſſit pœnam alienam.

Prius eſt verum E. & poſterius.

Conſequentia patet, quia in tali caſu ii, qui

qui aliorum sententiis victi sunt, propriæ culpæ plane expertes sunt.

Prius est extra dubitationem positum: Ita ex delicto majoris partis amittit tota civitas libertatem civilem, muros, navalia, naves bellicas, arma, ærarium, agros publicos, alia privilegia ac immunitates, sicuti Theodosius Antiochenos punierat interdictione theatri, balneorum, nominis Metropolitani, in eosdem Antiochenos paria olim constituerat Marcus Antoninus Philosophus, & in Byzantinos Severus, demto theatro, thermis, honore, ornamentisque omnibus.

IV. Si hæres tenetur solvere pecuniam, ad quam defunctus condemnatus est, sequitur, quod quis luere possit pœnam alienam. ARG. IV.

Prius est verum E. & posterius.

Major patet, quia eo ipso hæres debet id, quod in pœna erat, hoc autem nihil aliud est quam pœnam alienam luere.

V. Ut se habet caput ad tergum, ita se habet Rex ad subditum. ARG. V.

Sed peccante capite puniri potest tergum E.

Peccante Rege subditus puniri, atque adeo alienam pœnam luere potest.

Major patet, quia ejus corporis, cujus caput est Rex, membra cætera sunt subditi.

Minor

Minor est evidens: Annon enim fit, ut qui capite peccavit, in tergo puniatur?

PRO NEGATIVA SENTENT. ARG.

§. 2. Negans sententia probatur sequenti argumento:

Quamcunque pœnam quis non promeruit, eam luere nequit.

Atqui pœnam alienam nemo promeruit E.

Major liquet ex vera natura pœnæ: nam pœnæ, quæ proprie ita nominatur, omnino hoc inest, ut delicto reddatur, ceu *Grotius* noster *precedenti capite*. §. 1. rectissime monebat. Bene *Augustinus*: Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est. Puniendus nemo est ultra meritum, itidem docet *Grotius* §. 28. Sic *Cicero, est*, inquit, *pœna modus sicut rerum reliquarum, & quædam mediocritas.* Ideo pœnam æstimationis nomine appellat *Papinianus. l. sanctio 41. D. de pœnis.* Ita *Demosthenes in epistola pro Lycurgi liberis* æqualitatem in pœna non ita nude spectandam monet, ut in ponderibus & mensuris, sed expenso proposito ac voto ejus, qui deliquit.

Minor probatur, quia meritum est personale, quippe ex voluntate ortum habens, qua nihil est magis nobis proprium, unde αὐτεξούσιον vocatur. *Augustinus: Deus ipse foret injustus, si quemquam damnaret innoxium.* Et huc illud vulgatum pertinet: *Noxa caput sequitur.* Digna Imperatoribus Christianis

ſtianis vox eſt Arcadii & Honorii. *l ſancimus 22. C. de pœnis : Sancimus ibi eſſe pœnam, ubi & noxia eſt. Propinquos, notos, familiares, procul a calumnia ſubmovebimus, quos reos ſceleris ſocietas non facit. Nec enim adfinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur ſuos teneant auctores : nec ulterius progrediatur metus quam reperiatur delictum. Hoc ſingulis quibusque judicibus intimetur.* Hinc factum, ut prægnantem mulierem mortis ſupplicio afficere nefas habitum ſit Ægyptiorum, Græcorum & Romanorum legibus. Ex Romanis videantur *l. Imperator Adrianus 18. D. de ſtatu hominum.* & *l. prægnantis 3. D. de pœnis.*

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata reſpondetur, & quidem. RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. negando conſequentiam majoris, ſi nempe antecedens in majore ita ſumatur, quaſi ſcilicet fieri ſalvo jure naturæ poſſit, ut quis non ſuæ voluntatis ſit, ſed ab aliena voluntate pendeat, ita ut quod alter vult, licet ipſe non voluerit, voluiſſe tamen cenſeatur. RESP. AD AD ARG. I. Dupliciter namque fieri poteſt, ut quis ſuæ voluntatis non ſit, ſed ab altera voluntate pendeat, ita ut quod alter vult, licet ipſe non voluerit, & voluiſſe tamen cenſeatur : 1. ut iſtud expreſſe non voluerit, voluerit tamen voluntate præſumta, & in tali caſu ſi aliquid culpæ ei, quod voluiſſe cenſetur, adhæreat, ſic ſane inde colligi nequa-

quaquam poterit communitatem pœnæ dari posse citra culpæ communitatem, hoc est, ipsum contra suam voluntatem posse luere pœnam alienam, hoc est, pœnam non suæ culpæ, sed alterius, a cujus voluntate pendebat. Sicut enim voluntas præsumta seu interpretativa adesset ex parte ejus, qui ab aliena pendebat voluntate, ita non jam alienam culpam lueret, sed suam. 2. ut istud nec expressa, nec præsumta voluntate is, qui ab alterius voluntate pendet, voluisse censeatur, & sic iterum fallit consequentia majoris. Nam si vel vel maxime hoc per impossibile in certis casibus fieri posset, (id quod tamen nondum probatum est, ut merito hoc posteriori sensu etiam negari possit prius in allato argumento) inde tamen nunquam sequeretur, quod etiam in obligatione ad pœnam hoc locum habere posset: nam quia (ut in probatione veræ sententiæ paucis §. *præcedenti*, magis vero & ex professo maxima præcedentis *capitis vigesimi* parte dictum est) obligatio ad pœnam ex merito oritur, meritum vero maxime personale est, quippe ex voluntate ortum habens, quia nihil magis est nobis proprium, unde etiam αὐτεξούσιον vocabatur, sane fieri nequit, ut quis in delinquendo non suæ voluntatis sit, sed ab aliena voluntate ita pendeat, ita ut quod alter deliquit, licet ipse nec deliquerit, nec etiam directa

aut

aut indirecta, expressa aut interpretativa, voluntate in id consenserit, voluisse tamen salva veritate censeatur. Sicut enim ubi plane nulla culpa est, ibi nec pœna est: ita ubi culpa non est in hoc homine, ita in hoc homine nec pœna locum habere potest. Fuerunt quidem ex Pontificiis, ut hoc addere liceat, qui peccatum originis in homine ita declararunt, nempe nihil esse nobis intrinsecum, sed esse saltem ipsorum primorum parentum peccatum nobis imputatum, & hi certe voluerunt, istud fieri posse, ut quis pœnam ejus luere possit, quod nec sua voluntate ullatenus voluerit, nec directe vel indirecte, formaliter aut interpretative velle potuerit, quorum commentum ab insigni Theologo B. *Martino Chemnitio in Examine Concilii Tridentini* rejectum videre est. Cæterum quod in probatione dicebatur 1. communi consensu dudum probatam esse distinctionem inter voluntarium voluntate propria & voluntarium voluntate aliena, ad hoc ut respondeatur, negare quidem non possumus veritatem hujus distinctionis supra *L.I.c.5.§.4.p.543* laudatę, interim recte intelligenda ea est, & nequaquam hoc sensu accipienda, quasi contra omnẽ & directã & in directam, & expressam & præsumtam voluntatem suam aliquis id voluisse dicendus sit aut dici possit, quod alter voluerat: Etsi per impossibile id locum haberet, in crimi-

nalibus tamen si vel maxime quis errare vellet, hoc pro possibili haberi nequaquam posset. 2. Quando urgebatur crimen perduellis parentis contra liberorum voluntatem patratum, ut tamen ipsius pœnam liberi nunc juste luant, inveniamus, qui ut in tali casu liberos puniri posse ac recte punitos esse pronuncient, ad id recurrant, quod parentibus similes futuri putentur, cui quoque sententiæ *Arcadius & Honorius* favent, quam nescio quis hisce Christianis Imperatoribus dictare ausus est, sic enim illi *l. quisquis 5. C. ad l. Juliam Majestatis*, postquam verbis antecedentibus sanciebatur: *Majestatis reus gladio feriatur, bonis ejus omnibus fisco nostro addictis*, mox *§. filii 1.* sic decernunt: *Filii vero ejus, quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus, paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla metuuntur, a materna, vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuo egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur; ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniant: sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordentibus sit & mors solatium, & vita supplicium.* Et *§. ad filias 3. Mitior circa eas* (filias) *debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus.*

Verum

Verum id plane incertum eſt, adeoque iniqua eſt ratio, quæ obtenditur, cum incertus metus ad mortem cujusquam ſalvo naturæ jure ſufficere nequeat, nec unquam debeat. Imo non magis juſta cauſa erit metus ultionis. Juſtius ſonat horum *Imperatorum* vox *l. ſancimus 23. C. de pœnis. Sancimus, ibi & eſſe pœnam, ubi & noxia eſt. Peccata igitur ſuos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum. Hoc ſingulis quibusque judicibus intimetur.* Et huc ſpectant verba *Calliſtrati JCti l. crimen 26. D. de pœnis* ſic pronuntiantis: *Crimen, vel pœna paterna nullam maculam filio infligere poteſt. Namque unusquisque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur: Nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur: Idque Divi Fratres* (Antoninus Philoſophus & Verus) *Hierapolitanis reſcripſerunt.* Huc ſpectant ſtatuta, illa, quibus injuriarum tenetur, qui liberis ſupplicium paternum objicit. Alia ergo via quærenda eſt, qua nodus iſta ſolvatur. Nempe uti *præced. cap. §. 9. not. 3. pag. 1176.* monuimus, diſtinguendum bene eſt inter materiale & formale pœnæ: Fieri poteſt ut duo unius ejusdemque delicti conſortes formaliter eandem pœnam patiantur, ut tamen qua materiale unius pœna ab alterius pœna quam maxime differat. Exempli loco eſto, quod *l. ſacrilegii 6. D. ad L. Juliam peculatus* dicitur: *Si quis interdiu modicum*

aliquid de templo tulit, pœna metalli coërcendus est, aut si honestiore loco natus sit, deportandus in insulam est. Hic formaliter eadem pœna est, qua ob idem delictum ignobilis & nobilis afficiuntur, utut ille pœnam metalli, hic pœnam deportationis in insulam luat, quia quisque, si rem moraliter æstimemus, tantum mali patitur, quantum mali egit, materialiter vero eadem pœna non est: nam damnari in metallum non est deportari in insulam, imo si in se & physice considerentur, deportari in insulam, quia non est cum vinculis & amissione libertatis conjunctum, longe minus est malum, quam in metallum damnari: morali tamen æstimatione fiunt æqualia, si nempe non nude spectentur, sed cum respectu ad patientes, in quantum scilicet quod in deportatione in insulam per se deest, quo minus alteri, pœnæ scilicet metalli, pœna deportationis æqualis sit, id supplet cæterorum bonorum, quorum respectu nobilis ignobilem superat, amissio: nam si nobilis æque ac ignobilis damnaretur in metallum, quæ pœna & civitatem & libertatem adimit, mala quidem physice æqualia paterentur, sed moraliter inæqualia mala, quia nobilis præter civitatem & libertatem etiam dignitate & honoribus privaretur, quibus ignobilis uti destituebatur, ita privari non poterat. Ea ergo demum æque rem æstimanti vera est æqualitas,

litas, si inæqualia mala in allato casu inæquales patiantur. Ut ergo fit, ut duo absolute spectata mala inæqualia & reipsa distinctissima formaliter idem malum pœnæ sint, sic quoque econtrario fieri potest, ut duo idem malum in se spectatum patiantur, quod tamen ex parte unius formaliter proprie pœna sit, ex parte alterius minime; & idem fit in eo casu, quando parentis, qui majestatis reus est, bonis confiscatis, in tantum patiuntur quidem idem malum liberi, quod parens eorum patitur, non tamen eandem luunt pœnam; proprie namque nullam pœnam liberi patiuntur, hoc enim malum, quod liberi patiuntur, non est pœna, quia bona illa illorum futura non erant, nisi a parentibus ad ultimum spiritum essent conservata: Quod quis enim non habet, in alium transferre non potest, adeoque pater, qui crimine læsæ Majestatis patrato amisit ditiones suas, non potest in suos posteros transferre, atque ea ratione pœna patris suapte natura talis est, ut redundet in posteros, in quantum amissionem feudorum & ditionum dicit, utut nec criminis rei sint posteri, nec ea amissio sit pœna posterorum; Et (ut verbulo hoc tangere liceat) ex hocce fundamento censet *Vir magni nominis* sine gravi negotio aut difficultate posse expediri vexatam quæstionem de imputatione peccati primorum parentum,

nempe hic non magis opus esse imputatione, quam in modo allato civili exemplo, ut carentia justitiæ originalis formaliter & proprie pœna fuerit in primis parentibus, qui per præviam culpam suam hocce malum sibi attraxerant, ut tamen ea in nobis tantum habeat rationem pœnæ materialiter, non formaliter, æque ac amissio ditionum in filiis patris perduellis non dicebatur formaliter pœna, cum filii nihil peccassent, erat tamen pœna materialiter, quia erat malum ex culpa, quamvis non filiorum, parentis tamen contractum, & propter parentis peccatum in liberos derivatum: In parente perduelli erat formaliter pœna.

RESP. AD ARG. II. Ad II. respondetur negando consequentiam majoris ejusque probationem. Beneficii enim talis est materia, ut in quemvis conferri sine injuria possit, pœnæ non item.

RESP. AD ARG. III. Ad III. a Clarissimis Viris responderi solet, distingvendo inter plurium delictum personale & reale: Delictum personale plurium vocant, quod a pluribus ut singulis committitur: Reale delictum plurium ipsis dicitur, quod a pluribus, ut loco communitatis sunt, patratur. Si jam in majori sermo sit de delicto personali, conceditur major, sed negatur minor ejusque probatio. Nam quando tota civitas ex delicto majoris partis amittit libertatem civilem,

vilem, muros, navalia, alia privilegia ac immunitates, non ea adimuntur civitati ex delicto personali, sed reali: Sicut enim major pars habet jus integri, ita delictum majoris partis qua talis est integræ communitatis delictum: quod si major propositio intelligatur de delicto reali, sic cadit major ejusque probatio. Nam qui aliorum sententiis victi sunt, sunt quidem expertes propriæ culpæ personalis, non tamen propriæ culpæ realis. Dum enim singuli ob delictum majoris partis amittunt bona, aut adhuc ii, qui plurimorum sententiis victi sunt, volunt esse pars communitatis, quæ pœnam promerita est, aut nolunt: Si prius, sic in delictum majoris partis consentiunt, adeoque, quando æque ac major pars in pœnam communitatis privantur bonis, pœnam propriam luunt: Si posterius, nullam luunt pœnam, nec propriam, nec alienam, quia non amittunt ea, quæ ipsorum sunt propria. Simplicior videri responsio poterat, si dicatur, majorem dupliciter sumi posse: 1. hoc sensu: si ex delicto majoris partis tota universitas sic puniri potest, ut singuli, etiam isti pauciores, contra quorum voluntatem delictum a majori parte commissum fuerat, ea in pœnam formaliter ac proprie dictam amittant, quæ ipsorum sunt propria & ad eos jure communitatis non spectant, sequitur, quod quis luere possit

pœnam alienam. 2. ea ratione: Si ex delicto majoris partis tota universitas puniri potest, ita ut singuli, contra quorum voluntatem a majori parte delictum patratum est, iis bonis priventur, quæ ipsorum non sunt propria, sed quæ saltem habebant, ut cum reliquis erant tota communitas, sequitur, quod quis luere possit pœnam alienam. Si priori sensu capiatur major propositio, negatur prius: Hoc enim injustum esset: Si posteriori ratione, negatur consequentia.

Resp. ad Arg. IV. Ad IV. negando consequentiam majoris. Nam utut hæres personam defuncti referat, non tamen in meritis pœnarum eam refert, quia ea sunt mere personalia, sed solummodo in bonis defuncti, quibus ut cohærerent ea, quæ alicui debentur, ex ipsa rerum inæqualitate, juris est naturalis. Idem testatur *Paulus* JCtus *l. si pœna 20. D. de pœnis: Si pœna alicui irrogatur, receptum est commentitio jure* (commentitium *Dionysio Gothofredo* idem hoc loco notat ac usitatum etiam apud exteros antiquum. Vid. *annot. ad h. l.* ita *Suetonius in Claudio: Spectacula edidit non usitata, sed commentitia & ex antiquitate repetita*) *ne ad hæredes transeat.* Quod in probatione dicebatur, hæredem debere id, quod in pœna erat defuncti, hoc verum est, sed dum solvit hæres id, quod in pœna erat defuncti, hæc solutio non est pœna

pœna hæredis, hoc eſt, hæres non luit pœnam alienam, quia non ex delicto ſolvit pecuniam, ſed nova quædam cauſa obligationis ultra meritum exiſtit. Sic alibi poſt ſententiam, alibi poſt litem conteſtatam, quibus rebus vis contractus datur, pœna pecuniaria ab hærede debebitur, quæ in conventionem deducta eſt. Jam enim nova accesſit debendi cauſa.

Ad V. reſpondetur, ſimilitudinem juſto plus extendi ultra ſuam ſphæram: Caput & tergum ſunt partes hominis, qui eandem habet voluntatem: at Rex & ſubditi ſunt partes reipublicæ tanquam myſtici corporis plures voluntates habentis: in homine quippe unica voluntas: in republica tot voluntates, quot homines, ex quibus res publica conſtat. Nec eſt, quod excipiatur, voluntatem populi pendere a voluntate Regis: Jam enim unice de merito pœnæ quæſtio eſt, hoc autem, ut quando §. 2. veram ſententiam deduximus, oſtenſum eſt, perſonale eſt, quippe ex voluntate ortum habens, & ſic nihil eſt magis ſubditis proprium quam meritum, ut quia jam de pœna formaliter & proprie dicta quæſtio erat, fieri in tali caſu nequeat, ut contra ſuam voluntatem voluntate Regis populus dicatur peccaſſe. *Thomas* Princeps *Monliſtarum t. 2. q. 81. art. 1.* eodem utitur argumento, ſaltem in alia materia & quidem RESP. AD ARG. V.

Theologica, nempe ea, cujus ante mentionem fecimus, quæque de propagatione primi peccati primi parentis agit. Postquam enim ipse recensuerat, quam diversis viis diversi processerint ad hoc investigandum, quomodo primum peccatum primi parentis originaliter potuerit transire in posteros? omnesq; hujusmodi vias insufficientiæ arguerat, tandem mentem suam sic declarat: *Alia via procedendum est, dicendo, quod omnes homines, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniant in natura, quam a primo parente accipiunt, secundum quod in civibus omnes homines, qui sunt unius communitatis, reputantur quasi unum corpus, & tota communitas quasi unus homo, sicut etiam Porphyrius dicit, quod participatione speciei plures homines sunt unus homo. Sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt tanquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se ut divisa a corpore: Sed imputatur ei in quantum est aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntа-*

luntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum, unde peccatum, quod sic a primo parente in posteros derivatur, dicitur originale: Sicut peccatum, quod ab anima derivatur, ad membra corporis, dicitur actuale: & si aut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquod ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum: ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi in quantum hæc persona recipit naturam a primo parente: Unde & vocatur peccatum naturæ secundum illud Ephes. 2. Eramus natura filii iræ. Hæc *Thomas.* Sed stante eo, quod in *responsione ad I. pag. 1286.* notabatur, forsan simplicius dicetur, peccatum primorum parentum nobis imputari & nostrum esse, quod ejus effectus ad nos redundet, vel quod in causa sit, cur ejus effectus nobis insit. Sic ex. gr. patris, qui furtum commisit & ob furtum pœna suspendii afficitur, peccatum non dicitur imputari liberis, quia hoc malum non afficit liberos, sed terminatur in persona patris, qui peccaverat: Contra autem patris, qui ob commissum crimen læsæ Majestatis amiserat feudum suum, peccatum dicebatur imputari liberis. Ratio erat, quia peccatum paren-

parentis erat causa, cur ad liberos feudum non transferretur, in quos tamen, si absque parentis peccato fuisset, jure hæreditario devolvendum fuisset, ut ita imputatio peccati a patre commissi nihil esset aliud, quam redundantia pœnæ peccato attractæ in liberos quoad rem, propter quam peccatum imputative habeatur pro liberorum peccato propter effectum ejus, qui in liberos redundet. Illud magnam adhuc videbatur habere difficultatem, quod juxta hanc hypothesin, carentia justitiæ originalis, tantum esset malum pœnæ, non malum culpæ, quod communiter velint Scholastici, a nostratibus autem Theologis rejiciatur. Et sane in materia nostra morali res ita se habebat, quando amissio feudi propter peccatum patris negabatur esse malum culpæ ex parte liberorum: secus tamen cur sese res habeat cum amissione justitiæ originalis, idem summus vir inde deducere satagit, quod justitia originalis per essentiam sit perfectio moralis homini qua tali, hoc est, naturæ ejus rationali conveniens & per naturam inesse debita, cujus privatio propterea etiam per essentiam sit malum culpæ, cum sit carentia perfectionis moralis naturæ rationali, ut rationali, convenientis atque adeo per essentiam malum morale & peccatum: ast de amissione feudi non poterat dici, quod sit carentia boni moralis

natu-

naturæ rationali qua tali convenientis, cum sit carentia boni fortunæ sicque non possit habere rationem mali moralis & peccati. Id quod ostenditur exemplo mortalitatis, cum per peccatum primorum parentum posteri non tantum amiserint justitiam originalem, sed etiam immortalitatem, ut tamen amissio mortalitatis in posteris non habeat rationem peccati, utut ejus causa sit peccatum primorum parentum, quandoquidem immortalitas bonum naturæ & corporis, nō autem morale bonum sit, ut ita hoc, quod quædam pœna ex majorum peccato redundans in posteros habeat rationem mali culpæ, proveniat ex materiali pœnarum conditione & diversitate, non ex ratione & conditione imputationis peccati tanquam causæ.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occasionem quæstionis fere integrum *Grotii* caput præbuit, præcipua vero ex §. 9. & sequentibus usque ad finem capitis petebantur.

Quæstio II.

An quis occidi possit ex fidejussione?

PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA ARG. I.

§. 1. Pro affirmativa faciunt sequentia argumenta:

I. Si quis solo consensu potest communicare aut participare alterius delictum,

aut

aut aliud quodcunque factum morale, sequitur, quod ex fidejussione quis etiam possit occidi.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia probatur, quia vera causa delicti pœna capitali digni salvo jure naturæ extremo supplicio potest affici: Jam vero, si quis vadem se fecisset alterius sistendi, at si alter non revertatur ad diem, pœna capitalis ipsum maneat, quam alter luere debuisset, ille vas aut fidejussor consensisset utique in alterius, pro cujus reditu fidem dederat, delictum, quia voluerat pro suo haberi, nisi alter redux fieret: Quid igitur obstaret, quo minus ille fidejussor esset vera causa delicti, ut nunc Magistratus justissimam causam haberet pœnam ultimam in ipsum statuendi, quando nempe de fidejussione ipsius & expresso in delictum consensu magistratui satis constitisset.

ARG. II. II. Si ex fidejussione sua quis aliis pœnis potest affici, sequitur, quod etiam ex fidejussione ultima pœna ab ipso repeti possit.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia probatur, quia ut injuria non fit volenti alia pœna affici ex fidejussione, si nunc puniatur, ita nec alicui injuria fiet, si quod voluit fiat ipseque ex fidejussione occidatur.

Prius

Prius apud omnes etiam Juris prudentissimos in pœnis pecuniariis manifestissimum est.

III. Adsunt tot gentium exempla: neminem quippe latere potest vel leviter in historiis versatum, jus occidendorum obsidum humanissimis etiam populis usitatum, ita Thessali olim ducentos quinquaginta obsides interfecerunt, narrante Plutarcho; Romani Volscos trecentos securi percusserunt; Tarentinos de saxo Tarpejo dejecerunt, ut est apud *Livium*. Gothorum, Danorum Anglorum, aliorum populorum simillima extant exempla. Et, ut notarunt Viri doctissimi, ita jus esse creditum est. Idem suo modo evinci videtur ex sic dicto decimationis jure olim in Romanis legibus nec hodienum plane inusitato, ubi quis punitur non pro suo tantum, sed pro sociorum, imo sæpe solummodo pro alieno delicto. Exemplo sat memorabili est rigorosa illa militaris animadversio, qua Archidux Austriæ Leopoldus & Comes Piccolomini ob turpissimam prælio 2. Novembr. 1642. cum Svecorum Duce Generali Torstensohnio ejusque exercitu prope Lipsiam vix tum incepto sponte arreptam fugam plerosque centurionum ac decurionum ex legione ARG. III.

ne

ne Madlonica equestri simul ac quemque decimum sorte electum militem communem infames solenniter in urbe Bohæmiæ Rockenzan declararunt & morte plexerunt. Maxime in considerationem veniunt vades in capitalibus suppliciis plecti soliti, si rei se non sisterent, inde Græcis ἀντίψυχοι animæ vicarii, item ἐγγυηταὶ θανάτε mortis sponsores dicti, ut ex nobili Damonis & Pythiæ historia, quæ apud *Valerium Maximum* extat, apparet. Hanc in rem apprime facit *Quintiliani declamtio 16.* quæ inscribitur *Amici vades.* Et certe non pauca hujus rei exempla adduci possent si ratio instituti ferret.

PRO NEGATIVA SENTENTIA ARG.

§. 2. Negans sententia probatur sequenti argumento morali:

Carens jure in vitam suam nequit ex sua fidejussione occidi.

Homo caret jure in vitam suam E.

Homo nequit occidi ex sua fidejussione.

Major liquet ex natura fidejussionis: nam qui ex sua fidejussione occiditur, ei vita adimitur, ad quam adimendam se obligaverat: Nemo vero potest se obligare ad ereptionem vitæ, nisi habeat jus in vitam. Nam impossibile est se obligare velle ad ereptionem ejus, in quod nullum habet jus, alius jus omne habet: Sic enim in jurius esset in eam,

eum, qui jus haberet in vitam, alteri vero jus suum nolle relinquere, hoc est per se ac ex sua natura turpe, quod in moralibus est impossibile, ast ad impossibile nulla obligatio.

Minor patet, quia homo non est sui ipsius, sed Dei, qui ei corpus, membra corporis, vitam dedit non ad perdendum; animam rationalem eidem concessit, non ad peccandum. Itaque tenetur corpus, membra, vitam custodire, animum perficere, omnibus iis ad finem a Deo præscriptum uti. Natura hominis sunt membra, corpus, vita, ut conservet, ut perficiat, non ut perdat, non ut iis male utatur.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. negando consequentiam majoris. Nam utut solo consēsu aliquis alieni delicti particeps fieri possit, inde tamen nondum evincitur, quod quis fidem suam pro alterius extremo supplicio sic interponere possit, ut ex fidejussione sua occidi queat: Nemo enim habet jus in vitam suam. AD I.

Ad II. respondetur, negando iterum consequentiam ejusque probationem. Equidem admittimus, ei, qui ex fidejussione sua se occidi voluit, nulla fit injuria, tamen injuria fit Deo: quod enim quis non habet, alteri dare non potest: unde ex fidejussione non potest judici aut magistratui RESP. AD ARG. II.

jus vitæ ac necis in hominem quæſitum eſſe. Interim quod in ſpecie pœnas pecuniarias ſpectat, ſi ex moralibus principiis rem decidere velimus, non liquet, quomodo fidejuſſor eo ipſo, quod pecuniam ſolvat, (quam ſcilicet jure pœnæ debebat iſte delinquens, pro quo fidem ſuam interpoſuerat) proprie & formaliter puniatur. Nam qui vere formaliter ac proprie in pœnam damnum patitur, ei aliquid decedit, ſi ad animum punientis reſpicias, nec reſtitutionem ab ullo exigere valet: Fidejuſſor vero in talismodi caſu nullum damnum patitur, quod reſtitui non debeat, cum juſtiſſimo titulo ab eo, pro quo fidem ſuam interpoſuerat, reſtitutionem damni poſſit exigere. Add. quæ *præcedenti quæſtione* §. 3. *reſp. ad IV. p. 1288.* & *capite* præcedenti *20. p. 1178.* adducebantur.

Resp. ad Arg. III. Ad III. ſequentia reſponſi loco notaſſe ſufficiat. Olim cum vulgo crederetur, quisque in vitam ſuam id juris habere, quod in res alias, quæ in proprietatem veniunt, atque id jus conſenſu aut tacito, aut expreſſo a ſingulis perveniſſe ad civitatem minus mirandum eſt, ſi obſides privatim innoxios ob peccatum civitatis morte affectos legamus ſive tanquam ex ſuo peculiari conſenſu, ſive tanquam ex publico, cui & ſuus includeretur. At poſtquam verior ſapientia nos docuit dominium in vitam

Deo

Deo exceptum, ſequitur, ut ſolo conſenſu nemo jus cuiquam dare poſſit in vitam aut ſuam, aut civis ſui. Quod ſi vera eſſet veterum Græcorum, Romanorum & aliarum gentium opinio, quemque vitæ ſuæ eſſe ſummo jure dominum, jam & occidi ex ſua fidejuſſione quiſpiam poſſet. Sed hanc ſententiam rectæ rationi repugnare, ante oſtenſum eſt. Allata occiſorum obſidum, item decimationis jure ſuſpenſorum, exempla merito in mentem venire faciunt illud Caſſii: *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.*

§. 4. Occaſionem quæſtionis exhibebat *Grotius* §. 11. Et ut obiter hoc addamus, non eſt, quod quis exiſtimet, eam ſententiam S. Codici eſſe contrariam, ac patrocinari Socinianis, quicquid interim ſit de eo, an *Grotius* noſter patrocinium ſententiæ Socinianorum præbere voluerit. Nam de mero homine aſſerebatur, eum non habere jus vitæ ſuæ: At quando Sacer Codex aperte teſtatur, Chriſtum pœnas pro peccatis totius humani generis tuliſſe, mellitiſſimum Salvatorem noſtrum vitam poſuiſſe pro nobis, cum adhuc inimici eſſemus, item venerandi Theologi docent, Chriſtum vadem, ſponſorem, fidejuſſorem pro nobis factum, ibi non agitur de mero nudoque homine, ſed de θεανθρώπῳ adeoq; de eo, qui jus ha- OCCASIO QUÆSTIONIS.

 bebat

bebat in vitam humanam, ut eam pro peccatis humani generis amittere juste posset, imo de DOMINO ac PRINCIPE vitæ, qua de re *Philosophus Moralis* qua talis nihil agere potest, cum quæstio de Christo Servatore prorsus limites objecti sui excedat.

Quæstio III.

An pœna ob delictum universitatis semper exigi possit?

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA ARG.

§. 1. Affirmans sententia videtur probari sequenti argumento:

Si quamdiu durat universitas semper idem corpus manet, quanquam particulis succedentibus, sequitur, pœnam ob delictum universitatis semper exigi posse.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia patet, quia nihil obstat, quo minus idem ob idem delictum, cujus auctor fuerat, possit puniri.

Prius asserebatur supra *capite 9.* integra *quæstione IV. p. 855. & seqq.* ubi demonstrabatur, civitates posse esse immortales.

PRO NEGANTE SENTENTIA ARG.

§. 2. Negans sententia probatur sequenti argumento:

Si fieri potest, ut manente eadem civitate, non tamen culpa maneat, utut delictum civitatis nunquam fuerit punitum

tum nec pro eo satisfactum, sequitur, quod pœna ob delictum universitatis non semper possit exigi.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia patet, quia ubi nullum delictum, ibi nec culpa: ubi nulla culpa, ibi nec pœna exigi potest, ubi ergo nullum amplius delictum universitatis est, utut idem corpus maneat, ibi non amplius, si jam omnis culpa dudum desiit, pœna exigi poterit.

Prius probatur inde, quia fieri potest, ut singuli, qui congregati vel in summam reputati fecerant universitatem delinquentem, dudum ad inferos abierint, & sic non quidem universitas statim desinit esse eadem universitas, desiit tamen esse universitas delinquens. Nam meritum pœnæ est mere personale, ut in antecedentibus quæstionibus ostensum est: Oportet igitur ex voluntate ortum habuisse proprie dictum meritum pœnæ universitatis. Aut ergo ex voluntate universitatis per se ortum habuisset, aut ex singulorum voluntatibus. Prius dici nequit, quia universitas per se non habet voluntatem, non enim universitatis voluntas nisi ex singulis quibusque voluntatibus constare potest. Ergo posterius admittendum erit, nempe quod meritum pœnæ ob delictum universitatis exigendæ originem traxerit ex singulorum

voluntatibus, quæ in ſummam reputatæ fecerant univerſitatis peccantis qua talis voluntatem: Extinctis ergo illis, per quos ad univerſitatem meritum pœnæ deducebatur, ipſum quoque meritum extinguitur, ac proinde & pœnæ debitum, quod ſine merito nequit conſiſtere. Paucis: Nemo ſupereſt eorum qui deliquerunt, ergo non ſupereſt univerſitas delinquens, quamvis ſuperſit univerſitas quoad ea, quæ non erant mera perſonalia.

Respondetur ad Argumentum contrarium.

§. 4. Ad argumentum in contrarium allatum reſpondetur negando conſequentiam majoris. Nam ut de veritate hujus reſponſi melius conſtet, probe diſtinguendum venit inter ea, quæ de univerſitate poſſunt dici primo ac per ſe: Exempli gratia, quando dicimus hæc univerſitas habet ærarium, habet has leges, habet hoc territorium,& ſimilia: & inter ea,quæ de univerſitate primo ac per ſe dici nequeunt, ſed ſolummodo derivatione a ſingulis: Exempli gratia, quando dicimus, hæc univerſitas eſt docta,eſt fortis, eſt opulenta, quia plurimos habet doctos, fortes, opulentos. Præſens namque quæſtio de eo agit, quæ non niſi derivatione a ſingulis de univerſitate dici poſſunt. Sicut ergo ſi nemo doctorum, fortium, aut opulentorum amplius eſſet in univerſitate, eadem univerſitas, quæ ante docta, fortis, opulenta dicebatur, non amplius

plius talis dici meretur: ita nec amplius eadem universitas dicetur delinquens, si dudum esse desierint ii, qui ne viderant quidam delinquentes, adeo non delique-rant.

§. 4. Occasionem quæstionis suppeditat *Grotius* §. 8. eamque egregiam vocat quæstionem. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæstio IV.

An, si a sua civitate ob delictum dediti, nec recepti sint ab aliis, per hoc amiserint jura suæ civitatis?

§. 1. Affirmativa probari videtur sequentibus argumentis: PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA

I. Quemcunque civitas sua societate voluit ejectum, is non amplius habet jura suæ civitatis. ARG. I.

Atqui civitas quemvis ob delictum a se deditum, nec ab aliis receptum, voluit e sua societate ejectum E.

Quivis a sua civitate ob delictum deditus, nec ab aliis receptus civis non manet.

Major videtur manifesta.

Minor probatur, quia civitas ipsamet alioquin pœnas de eo sumere potuisset: Ubicunque enim aliquis dedi petitur, tum

optio civitati relinquitur aut puniendi suum civem, aut vero puniendum dedendi.

Arg. II. II. Enormiter infamis non manet civis.

Atqui quivis a sua civitate ob delictum deditus, nec ab aliis receptus, est enormiter infamis E.

Non manet civis.

Major patet.

Minor probatur, quia de tali, qui tam graviter civitatem aliquam læsit, ut eum sibi dedi civitas postulet, & a sua civitate alterius civitatis judicio permittatur, vix aliud quid præsumi poterit.

Pro negativa sententia Arg.

§. 2. Affirmativa probatur sequenti argumento:

Si fieri potuit, ut a sua civitate ob delictum deditus, nec ab aliis receptus, deditus sit ob delictum in alios deditionem poscentes, non ipso jure, demum sententia judicis infamans, sequitur, quod a sua civitate ob delictum deditus, nec receptus ab aliis, hoc ipso non statim amiserit jura suæ civitatis, sed adhuc civis manere queat.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia patet, quia si de infamia non nisi per judicis demum sententiam definitivam constet, utique restitutus is pristinæ famæ videbatur, qui a sua civitate ob delictum deditus, nec tamen ab alia civitate

te receptus est, quamdiu civitas eum per judicem societate non ejecerit.

Prius constat inde, quia non omne delictum, ob quod quis deditus est, statim ipso jure, sed multa sententia demum interposita infamant.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

AD I.

Ad I. respondetur, limitando majorem: Quemcunque civitas justo titulo ac simpliciter & sine omni conditione voluit e sua societate ejectum, is non amplius habet jura suæ civitatis: Sic enim concessa majore, negatur minor, hoc est, negatur, quod civitas quemvis ob delictum a se deditum, nec ab aliis receptum, justo titulo ac simpliciter & sine omni conditione voluerit ejectum. Quæstio enim est de cive aliis dedito, nec ab iis recepto. Nam si receptus iste reus fuisset ab alio populo, cui deditus fuerat, nullum dubium foret, quin iste, nulla habita ratione delicti amisisset jura civium, & si postea casu aliquo reversus fuisset, is qui fuerat deditus cujusque deditio accepta fuerat, civis non esset, nisi ex novo beneficio jura civitatis denuo consequeretur. Pariter quæstio agit de quovis a civitate ob delictum dedito & non recepto, sive talismodi delictum ipso jure, sive sententia judicis interposita demum infamet, unde ergo probabitur, quod civi-

tas quemvis ob delictum etiam ipso jure non infamans a se deditum nec ab aliis receptum justo titulo ac simpliciter & sine omni conditione voluerit ejectum. Quod in probatione dicebatur, civitatem ipsammet alioquin pœnas de eo sumere potuisse, hoc lubentissime admittitur : rectissime quoque addebatur, quod ubicunque aliquis dedi petitur, tum optio civitati relinquatur aut puniendi suum civem, aut vero puniendum dedendi : nam civitas, quæ scit civem suum reum esse delicti in populum deditionem poscentem, (secus se habet, si civitati de civis sui delicto nondum constet, sic enim dum de causæ justitia cognoscitur, defenditur supplex) potest pro arbitrio eum dedere, non punire, potest etiam pro arbitrio punire eum, non dedere, imo utut non stricte ad dedendum teneatur, disjunctive tamen tenetur, hoc est, alterum facere debet, aut ut ipsa interpellata pro merito puniat nocentem, aut ut eum permittat arbitrio interpellantis, nisi particeps culpæ fieri velit. Nihil interim evincebatur nisi hoc, quod liberum sit civitati arbitrium talismodi civem, ob delictum a se deditum, nec tamen ab aliis receptum, vel pœna afficiendi, vel absolvendi. Quod sane non obstat, quo minus si populus alienus, adversus quem deliquerat, uti noluerit permissa sibi plectendi potestate, & deli-

delictum pœna infamiæ lege expressa non coërceatur, ejusmodi civis adhuc retineat jura suæ civitatis, & tamdiu civis maneat, donec civitas eum societate, interposita judicis sententia, excluserit.

Ad II. respondetur iterum prænotando distinctionē inter delictum, quod ipso jure, & quod sententia demum interposita infamat. Hac distinctione admissa, negatur ciminor, qua asserebatur, quemvis a sua civitate ob delictum deditum, nec ab aliis receptum, esse enormiter infamem. Aut enim ob prioris, aut ob posterioris generis delictum deditus est. Si illud, nondum est infamis, quia ante judicis sententiam definitivam de infamia nequaquam constare poterat: Permittebatur civis alterius populi potestati, ita ut de eo statueret, quod vellet: Hæc autem permissio jus nullum dabat aut adimebat, executionis tantum impedimentum tollebat. Quare si alter populus concesso jure non usus fuerit, erit is, qui deditus est, eo loco, ut a suo populo adhuc possit puniri, aut non puniri, ut sunt delicta civilia, in quibus utrumque fieri potest: Si hoc est, si delictum ipso jure infamet, tum talismodi civis non receptus, nihilominus eo loco censebitur, quo infames, nempe civitatis membrum tamdiu esse desinet, donec restituatur.

§. 4. Occasio extat §. 4. 5. & 6. Occasio Quæst.

CA-

CAPUT XXII.

De CAUSIS INJUSTIS EARUMQUE VARIETATE.

§. I.

Causa injusta quid?

CAusa injusta dicitur ea causa impulsiva, quæ movet appetitum agentis ad istud agendum, ad quod salvo jure moveri tali causa non poterat: e. gr. *in bello Alexandri adversus Darium causa erat* mera *cupido gloriæ imperii & divitiarum, cui accedebat spes magna facilitatis concepta ex Xenophontis & Agesilai expeditionibus.*

[*Grotius c. 20. §. 1. n. 2.*]

NOTÆ.

I. Exempla plura eodem *n. 2.* a *Grotio* allata ibidem videantur.

II. Repetenda hic sunt, quæ de causa impulsiva *l. 2. c. 1. §. 1. seqq. p. 545. & seqq.* allata sunt.

III. Inprimis huc distinctio causæ impulsivæ in internam & externam spectat, interim sequentibus de causa impulsiva externa, quam προκαταρκτικὴν vocant, agemus.

§. 2.

§. 2. Differunt causa injusta & suasoria: nam omnis causa injusta dici potest suasoria, sed *non omnis causa suasoria est injusta*.

Discrimen causæ injustæ a suasoria.

[*Grotius §.3. n.1.*]

NOTÆ.

I. ***Grotius*** noster rem ita explicat: ***Plerique bellantium*** (h. e. eorum, qui bella gerunt: Ipse enim occasione bellici juris hanc de causis injustis materiam tractat) ***causas suasorias habent, aut sine justificis, aut cum justificis.***

II. Quod omnis causa injusta dici possit suasoria, admittetur facile, modo omnis causa impulsiva belli, quæ non est justifica, *suasoria* vocetur: E contrario, quod non omnis causa suasoria sit injusta, patet inde, quia omnis causa, quæ movet sub ratione utilis, potest dici suasoria, nec tamen omnis causa, quæ sub ratione utilis movet, est injusta, imo semper justa manet, quoties ea utilitas manet filia justitiæ, ceu supra *l. 2. c. 1. not. ad §. 7. p. 549.* monebatur.

§. 3. Causa injusta I. alia movet tantum sub ratione jucundi, ut est causa eorum, *qui sine causa in pugnas ac bella feruntur ex amicis hostes facientes pugnandi & fundendi sanguinis cupiditate*: alia movet sub ratione utilis: exem-

Causæ injustæ distinctio.

exemplum petatur ex §. 1. hujus capitis.

[*Grotius* §. 2.]

NOTÆ.

I. Causa injusta, quæ tantum movet sub ratione jucundi, bestialis dici poterat. Conf. testimonia a *Grotio* hanc in rem §. 2. egregie collecta.

II. Non tamen omnis causa, quæ movet sub ratione jucundi, est injusta: Ex Ethicis quippe liquet, qua ratione unum idemque simul possit esse & honestum & jucundum & utile.

Alia causæ injustæ distinctio.

§. 4. Causa injusta II. alia habet speciem justitiæ, *ut expensa ad rectam rationem demum injusta reperiatur*: alia nullam habet justitiæ speciem, ut quisque honestatis amans statim animadvertat ejus injustitiam.

[*Grotius* §. 4.]

NOTÆ.

I. Ita de excidio Branchidarum facto per Alexandrum hoc est *Curtii* judicium: *Quasi in ipsos proditionis auctores excogitata essent, justa ultio esse non crudelitas videretur: Nunc culpam majorem posteri luere, qui ne viderant quidem Miletum, adeo Xerxi non potuerunt prodere.* Et *Plutarchus libro contra Herodotum* minime ait vero esse simile, Corin-

Corinthios ulcisci voluisse acceptam a Samiis injuriam *post tres hominum ætates*.

II. Alius causæ justitia vel injustitia facilem, alius vero difficiliorē habet cognitionem, unde alia causa injusta statim intelligitur, alia vere quidem injusta est, sed non omnibus statim liquet eam injustam esse.

§. 5. Causa injusta III. alia potest fieri justa, alia minime: Ita quando quis movetur ad bellum gerendum & sub ratione *alius cujusdam non illiciti per se*, & sub ratione justi, *ut tamen illud (puta honoris studium, aut utilitas aliqua, sive privata sive publica, quæ ex bello ipso seorsim a causa sua justifica consideratio exspectatur) magis & principalius animum moveat, quam jus ipsum*, sic causa injusta manet, quæ tamen justa fuisset, si magis jus ipsum, quam aliud quiddam non illicitum per se & principaliter movisset animum: Sic *Aristides de societate secunda Phocenses ait merito periisse, at non bene fecisse Philippum, cum eos perderet, quippe non religioni studentem, quod præferebat, sed augendo imperio.* Contra sæpe injusta causa minime fieri potest justa: *Exemplum dat illustre Menander Protector:* *Alia causa injustæ distinctio.*

ctor: Bajanus Avarorum chaganus, nulla occasione aut obtentu, ne conatus quidem causam vel falsam contra Romanos comminisci, inverecunde planeque barbarum in morem exuit pacta. Ita *Galli apud Livium V, in armis se jus ferre, & omnia fortium virorum esse.*

[*Grotius* §. 17.]

NOTÆ.

I. Duo sunt, quæ circa hanc distinctionem *noster* notat: Unum est *sæpe accidere, ut bello causa quidem justa subsit, sed vitium actioni accidat ex animo agentis.* Hoc duplici sensu posset quis accipere: 1. eo, quasi sæpe causa quidem justa bello subsit, ut tamen ea causa belligerantem non moveat: Sed in tali sensu *Grotii* assertum intelligendum non venit: imo sic non daretur justa causa belli culpa belligerantis, quæ tamen locum habitura fuisset, si recte belligerans totum negotium æstimasset. 2. hoc sensu, ut causa quidem justa subsit, ut honestas, utilitate mixta, ita tamen ut utilitas præponderet, & si ita intelligatur, res in vado est.

II. Notat *Grotius*, in tali casu, *ubi causa justifica non deest*, ut tamen aliud quiddam, non illicitum per se magis & principaliter animum moveat quam jus ipsum, *ipsum bellum proprie injustum non fieri, indeque nec ex tali bello restitutionem deberi*: quod si de justi-

justitia externa intelligatur huncque sensum habeat, quod tale bellum id propter non careat juris positivi effectibus, sicut omnino credimus, Grotium hoc & nihil aliud voluisse, recte dicitur: Ita si bellum utrinque gestum sit auctore eo, qui habet majestatem, ritusque adfuerint, habet ex utraque parte effectum juris gentium, nec ex tali bello (quod *lib. 1. c. 3. §. 6. p. 374.* Solenne ex jure gentium dicebatur) una pars parti alteri restitutionem debet ex gentium jure: Interim nullum dubium est, quin ex parte ejus, cujus animo vitium adhærebat, bellum proprie injustum sit, si justitiam internam ipsumque jus naturæ respiciamus.

Quid ad justitiam belli maxime faciat?

§. 6. In omnibus moralibus & civilibus negotiis, cumprimis quoque in bellis, maximum momentum justitiæ adfert causa impulsiva: nam cujus causa impulsiva non est vere justifica, sed injusta, illud ipsum injustum esse oportet. Exemplis rem illustrare liceat: Ita qui bellum infert *ob metum ex vicina potentia, injuste bellat: Ut enim justa sit defensio necessariam esse oportet, qualis non est, nisi constet non tantum de potentia, sed & de animo, & quidem ita constet, ut certum id sit ea*

certitudine, quæ in morali materia locum habet. Sic est improbum inventionis titulo sibi vindicare ea, quæ ab alio tenentur, etiamsi is, qui tenet, sit improbus, de Deo male sentiens, aut hebetis ingenii. Nam inventio est eorum, quæ nullius sunt. Male ergo Græci Barbaros ob morum diversitatem forte & quod ingenio cedere viderentur, hostes sibi quasi naturaliter dicebant. Pariter *nec libertas, sive singulorum, sive civitatum, id est,* αὐτονομία, *quasi naturaliter & semper quibusvis competat, jus bello præstare potest. quia qui legitima causa in servitutem sive personalem sive civilem devenerunt, contenti sua conditione esse debent. Neque minus iniquum armis subigere aliquos velle, quasi dignos qui serviant, quos natura servos Philosophus vocat. Non enim si quid alicui est utile, id statim mihi licet ei per vim imponere.*

[*Grotius* §. 5. 9. 10. 11. 12.]

NOTÆ.

I. Ita sane comparatum est cum omni morali aut civili negotio, si in statu naturali quodvis æstimes atque ad forum internum seu conscientiæ unice respicias.

II.

II. Interim non mireris, cur in ſtatu legali foroque externo non ita juſtitiam & injuſtitiam actionum reſpectu ad cauſam impulſivam habito dijudicare liceat, cum ibi ſpecioſa figmenta & obtenta juſtitiam ſtrenue mentiri poſſint. Quoties enim fit, ut *cauſæ aliæ intus ſint, aliæ præferantur*, hoc eſt, veræ cauſæ, quæ impellunt, plane injuſtæ ſint, vani interum & frivoli prætextus cauſarum juſtarum dentur, ut ſi ex cauſa impulſiva ſemper res dijudicanda foret, meræ ex rixis rixæ & ex bellis bella ſererentur. Sed de his plura in *ſeqq. capitibus*, magis vero in *ſequenti tertio libro*.

CAPUT XXIII.

De CAUSIS IMPULSIVIS, QVARUM JUSTITIA AUT INJUSTITIA IGNORATUR, item de CONSCIENTIA inprimis ERRONEA, DUBIA ET PROBABILI.

§. 1.

CAuſa impulſiva, cujus juſtitia aut injuſtitia ignoratur, duplex eſt: alia oritur ex conſcientia erronea, alia vero ex conſcientia dubia. Ex conſcientia erronea oritur ejusmodi cau- *Diſtinctio.*

 ſa

ſa impulſiva, quando quis eam cauſam, quæ reipſa juſta fuiſſet, modo ab errore liber fuiſſet, *injuſtam*: aut quæ reipſa injuſta eſt, ex errore juſtam exiſtimat.* Ex conſcientia dubia oritur ejusmodi cauſa impulſiva, quando quis *dubitat*, *æqua* & juſta ſit cauſa, *an iniqua & injuſta.*

[*Grotius c. 23. §. 2.*]

NOTÆ.

I. Requiritur namque, non modo ut, quod agitur, ſit licitum & juſtum, ſed ut firma ac conſtans adſit perſuaſio, unde fiat actio, ut quod fit fiat ideo, quod animus ita faciendum judicaverit.

II. Scilicet ad omnem actionem, ut recta & juſta ſit, opus eſt *conſcientia*, quæ, ſi vim vocis ſpectemus, eſt quaſi cum alio ſcientia, hoc eſt, ſcientia alicujus ad alius ſcientiam ordinata aut directa. Nempe duo requiruntur ad conſcientiam: 1. ſcientia practica actionis in univerſali, ut cognoſcatur, quid aut quomodo ſit agendum. 2. ſcientia ſingularium ſeu circumſtantiarum, quibus actio reſtringitur. Ex hiſce duobus concluditur & (ut ita loqui liceat) conſcitur, quid hic & nunc pro his vel illis circumſtantiis ſit agendum, hæcque concluſio practica vocatur conſcientia.

§. 2.

§. 2. Conscientia est conclusio syllogismi practici, qua actionis in singulari rectitudo vel turpitudo, æquitas aut iniquitas dijudicatur. *Conscientia quid?*

NOTÆ.

I. Conscientia semper est conclusio, cujus major est jus, minor vero notitia facti.

II. Inde in *Scholis Moralibus* conscientia definitur judicium intellectus practici dianoëticum, quo sub singulis, in quibus actio versatur h. e. circumstantiis suis eadem dijudicatur, num sit ita vel ita gerenda, si nondum gesta sit; aut si gesta est, num sit bene vel male gesta.

III. Utut vero hac ratione duplex sit conscientia: Una theoretica, altera practica: Illa enim pro objecto habet præterita: ut, quando Judas judicabat, se male egisse, quia innocentem prodiderat sanguinem; item quando David judicabat, se ob ignominiosam legatorum suorum violationem recte bellum Regi Ammonitarum intulisse: Hujus objectum sunt futura. In præsenti tamen de conscientia, quam practicam Philosophi vocant, nobis sermo est.

§ 3. Conscientia practica 1. alia est recta, alia erronea: Recta est, qua illud judicatur agendum esse, quod omnino agendum est. E. gr. si princeps *Conscientiæ divisio. Recta conscientia quid?*

judicet eum principem, qui nulla occasione aut obtentu, ne conatus quidem causam vel falsam comminisci, inverecunde planeque barbarum in morem exuerat pacta ejusque territorium hostili ausu invaserat, hic & nunc armis ejiciendum esse. *Erronea quid?* Erronea est, qua id judicatur agendum, quod agendū non est, h. e. qua illud judicatur committendum, quod omittendum est, illudque judicatur omittendum, quod committendum est. e. gr. si princeps vicinum principem, qui nulla pactione impeditus in suo arcem facit aut munitionem aliam, quæ damnum aliquando dare possit, hic & nunc bello invadendum esse judicet, metumque ex vicina potentia justam causam statuat.

Erroneæ conscientiæ natales. §. 4. Error, unde conscientia erronea denominatur, vel obtingit circa propositionem majorem, vel circa minorem propositionem illius syllogismi, cujus conclusio est conscientia practica erronea. Et quidem circa majorem dupliciter potest obtingere: 1. quando major fuit de re necessaria: qua-

qualis major propositio est hæc: Nemo est lædendus, arguit enim necessitatem omissionis. 2. quando major fuit de re indifferenti, ut: non licet privato ausu retorquere injuriam.

NOTÆ.

I. Circa majorem de re necessaria error obtingere potest potissimum quinque modis: (1.) quando intellectus legem sine restrictione accipit, quæ cum restrictione est accipienda: e. gr. si quis ita argumentetur: depositum est reddendum. Hic gladius, quem furiosus repetit, est depositum E. hic gladius ipsi furioso hic & nunc a me repetenti reddendus est Nam cum restrictione major accipienda erat: Depositum est reddendum, nisi constet eum, cui redditur, hoc ipso alteri nociturum esse, sicuti manifestum periculum metuendum est, si furioso gladium reddas, ne vel sibi vel aliis noceat. (2) Quando cum restrictione intellectus legem accipit, quæ sine restrictione accipienda erat: e. gr. quando quis judicat huic avo suo graviter decumbenti pulvinar esse subtrahendum, ut citius moriatur, hic ipse legem naturæ: non facies parricidium, magis quam justum est, restringit hoc modo, nisi sc. graviter decubuerit. (3.) Quando intellectus ex lege concludit, quæ e diametro cum lege naturæ vel

divina pugnat: e. gr. conſcientia erronea, erat hujus vel iſtius Tauroſcythæ, quando ex lege ſua concludebat, hunc hoſpitem adventantem Dianæ hic & nunc eſſe immolandum. Erat enim lex apud Tauroscythas, ut hoſpites adventantes Dianæ immolarentur, illudque ſacrificium multis temporibus celebratum eſt. (4.) Quando intellectus turpem conſuetudinem habet, pro lege: e. gr. quando regionis Tartaricæ Tebeth incola judicat hanc virginem non eſſe ducendam in matrimonium, quia nondum ſit ſtuprata. Conſuetudinis enim eſt apud illos Tartaros, ut nullus vir in ea regione ducat uxorem virginem, ſed oportet eam prius a multis viris eſſe cognitam, perhibent namque mulierem non eſſe conjugio aptam, niſi prius cum aliis concubuerit. Unde *quando viatores & advenæ aliunde venientes hanc tranſeunt regionem, & quietis gratia tabernacula ſua ponunt, mulieres ejus loci habentes filias nubiles, ducunt illas ad peregrinos, aliquando viginti, quandoque triginta aut plures juxta numerum advenarum, rogantes eos, ut quilibet unam e virginibus ſibi aſſociet, atque concubitu ejus fruatur, quamdiu illic manſerint. Illi igitur matronarum precibus victi deligunt ſibi ex puellis, quas volunt, & matrimonio aptiores reddunt. Et qvum recedere volunt, nullam ſecum abducere permittuntur, ſed parentibus fideliter reſtituunt.*

tuunt. Exigit etiam puella ab eo, qui eam defloravit, jocale aliquod sive munusculum, quod ostendere possit ceu argumentum suæ deflorationis. Et quæ a plurimis viris fuit amaca atque corrupta, & multa habuerit talia jocalia, quæ ostendat procis, hæc nobilior habetur, faciliusque & honorificentius maritari potest. Et quando honorifice vult incedere, suspendit ad collum omnium amatorum insignia: quantoque pluribus fuit grata, tanto majori honore digna judicatur, ceu *M. Paulus Venetus l. 2. c. 37.* refert. (5.) Si quis ex prava aut præconcepta ab aliis, etsi parentes, majores vel doctores fuerint, opinione aut nimia negligentia aliquem actum hic & nunc vel necessario vel licite ad minimum committendum aut omittendum esse judicat, ut tamen contra jus naturæ aut positivum sit, quo ipse obstringebatur: ex. gr. quando hic Judæus ex conscientia erronea judicat, hunc Christianum hac data occasione esse defraudandum, quia principium practicum Judæorum est illud: Omnes Christiani sunt defraudandi.

II. Circa majorem de re indifferenti error obtingit, qui conscientia erronea dicitur, quando *ἀδιάφορον* seu indifferens judicatur moraliter necessarium aut debitum: ex. gr. quando Jesuita judicat hoc Veneris die hac carne bovina non esse vescendum.

III. Quousque juris ignorantia excu-

ſet, aut minime, rem alius inſpectionis eſſe volumus.

IV. Unicum adhuc notare lubet de errore circa minorem propoſitionem. Quando enim obtingit, aut eſt invincibilis, aut vincibilis. Si invincibilis eſt, ex talismodi errore qui concludit, licet ſufficiens majoris propoſitionis notitia adfuerit, neutiquam (ſi ad uſum loquendi reſpicimus) dicitur egiſſe ex conſcientia erronea: Ita ex. gr. concubitus primus Jacobi cum Lea non erat ex conſcientia erronea commiſſus, ſi uſum loquendi ſpectes, utut forſan ſic argumentatus fuerit: Novæ meæ uxori debibitum conjugiale ſolvendum eſt. Hæc, cum qua jaceo, eſt nova mea uxor E. Si error vincibilis eſt, qui circa minorem obtingit, adhuc proprie & rectiſſime loquendo, conſcientia dicitur erronea, etiamſi principium univerſale recte ſe habeat, hoc eſt, licet nullus obtigerit error circa majorem propoſitionem: e. gr. conſcientia erronea eſt Jeſuitæ judicantis hunc noſtræ religionis ſocium eſſe excommunicandum, quia omnes hæretici ſunt excommunicandi. Nam ut nihil dicamus de majore, ſane ſi doctus eſſe voluit, potuiſſet & debuiſſet noſſe, quod noſtræ religioni addicti non ſint hæretici.

Effectus formalis conſcientiæ erroneæ.

§. 5. Conſcientia erronea (uti quidem §. 3. fuit definita) obligat: *Nam*

vim

vim judicatricem humanis actionibus ducem Deus addidit, qua cantemta obbrutescit animus. Unde *etiamsi quid justum reipsa est, sed ab eo fit, qui omnibus expensis injustum id existimat*, hoc est, qui contra conscientiam erroneam agit, *actus est vitiosus.*

[*Grotius §. 2. n. 1.*]

NOTÆ.

Studio dicimus, *uti quidem §. 3. fuit definita*, definivimus autem eandem secuti communem *Moralistarum* sententiam ratione denominationis facta ab errore vincibili circa objectum (in genere morum) necessarium.

II. Ratio assertionis huc tendit: Voluntas habetur pro facto; jam vero qui non agit secundum conscientiam erroneam, sed contra eam, is habet voluntatem agendi contra legem, juxta quam ut ageret, se tunc temporis obstrictissimum crediderat: Namque qui conscientiam habet erroneam, uti quidem hanc notionem in præsenti sumimus, is majorem propositionem, qua conscientia sua nititur, habet pro justa lege sibi posita: e. gr. si aliquis in conscientia sua persuasus esset, hujus belli, cujus tamen nulla causa justa datur, nec pro talibus circumstantiis dari potest, causam adeo justam esse, ut salvo jure naturæ nequeat non susci-

suscipi, is nisi bellum gereret, peccaret: ast peccaret quoque, si gereret. Ut enim pro sua libertate accedens ad ignem, necessario incalescit calidusque manet tamdiu, quamdiu igni adstat, nec tamen amplius incalescet, modo deseruerit ignem: Eodem modo cum tali homine, qui conscientia erronea laborat, comparatum est, qui quidem quamdiu eam retinet, necessario peccat, nec tamen amplius peccabit, modo dereliquerit errorem: scilicet adhibeat omne studium & industriam, judicium informet accuratius, examinet omnes & singulas circumstantias, sollicitus sit de probatione majoris & minoris, e quibus pendet conscientia erronea, sic tandem animus ab errore, ipseque ab omni culpa liberabitur.

Alia conscientiæ distinctio. Certæ conscientia quid?

§. 6. Conscientia practica 2. alia est certa, alia probabilis. Illa est conscientia practica, quam agens morale aut civile deducit ex præmissis certis: e. gr. quando Joseph judicat cum uxore sui Domini non esse concumbendum, nixus talibus præmissis: Cum alterius uxore non est concumbendum. Hæc est alterius uxor E. Conscientia probabilis est conscientia practica, quam agens morale aut civile infert

Probabilis quid?

infert ex præmissis, quarum vel utraque, vel saltem alterutra (maxime autem major) probabilis est. Vocamus autem hoc loco præmissam probabilem, quæ cum satis certa non sit, magis tamen vera, quam falsa apparet. Talis modi conscientia probabilis quoad rem nihil aliud est quam practica quædam opinio. Nam opinio definitur ab Aristotele, quod sit propositionis nullo certo argumento confirmatæ apprehensio: Jam vero nunquam conscientia probabilis qua talis dicit assensum sine oppositi formidine.

Præmissa probabilis quid?

NOTÆ.

I. Potest alia conscientia probabilis esse recta, alia erronea: quippe non differunt seu pugnant inter se rectum & certum, sed simul stare possunt.

II. De conscientia probabili *Grotius* noster §. 3. egregie sic philosophatur: *Plerumque in rebus dubiis post examen aliquod animus non in medio hæret, sed huc aut illuc ducitur argumentis ex re petitis, aut ex opinione, quam habet de aliis hominibus super ea re pronunciantibus.*

§. 7.

Conscientiæ probabilis natales.

§. 7. Principia, e quibus conscientia probabilis colligitur, sunt vel artificialia, vel inartificialia: Illa *ex re ipsa petita sunt*, hoc est, ipsa practica quæstione, quæ concluditur opera aut studio moraliter agentis: Hæc extrinsecus assumuntur, hoc est, *ex opinione quam* is, cujus conscientia probabilis est, *habet de aliis hominibus sententiam super ea re pronunciantibus.*

[*Grotius* §. 3.]

NOTÆ.

I. Nam & hic verum est illud *Hesiodi: præstantissimum esse per se sapere; proximum duci aliena ope.*

II. *Argumenta ex re*, hoc est, artificialia, ut recte monet *noster* §. 3. *petuntur e causis, effectis & adjunctis aliis. Sed ad hæc recte noscenda usu quodam & peritia opus est.*

III. Qui igitur nondum adeo exercitati & experientia usuque rerum moralium civiliumque instructi sunt, *ut activum judicium recte conforment, tenentur audire sapientum consilia. Nam ἔνδοξα sive probabilia sunt, Aristotele teste, quæ omnibus videntur, aut plurimis, aut certe sapientibus, rursum aut omnibus, aut pluribus, aut præstantioribus. Et hac via judicandi maxime utuntur Reges, quibus artium momenta ediscere aut expendere vix*

vacat

vacat. Dat sapere Regi turba sapientum comes.

IV. *Aristoteles* quinq; generum inartificialia principia probabilia proposuit, & sunt: *leges, testes, pacta, juramenta, quæstiones.* Ubi per leges non intelligit leges naturales, sed certa alicujus civitatis statuta & placita. Sed hæc prolixe nunc deducere non vacat. Præcipuum certe argumentum inartificiale est auctoritas magnorum & prudentium virorum sic vel aliter judicantium. Et *sicut in facti quæstionibus id pro vero habetur, unde plures maximeque idonei stant testes, ita sententiarum & sequendæ, quæ plurimis præstantissimisque nituntur auctoribus.*

§. 7. Conscientia recta probabilis obligat, si in contrarium nec certa, nec probabilior, nec æque probabilis conscientia adsit: Non obligat, si secus res sese habeat. Interim *accidere in multis* negotiis ac *controversiis potest, ut ab utraque parte probabilia se ostendant argumenta; sive intrinseca, sive ab aliorum auctoritate. Id cum accidit, si res mediocres sint, de quibus agitur, videtur vitio carere posse electio, in utramvis partem ceciderit:* Et hæc est Moralistarum communis opinio,

Effectus formalis conscientiæ probabilis.

nec

nec multa probatione aut exemplis opus est: *At si de re magni momenti* exempli gratia *de supplicio capitali hominis agitur, jam propter magnum discrimen, quod est inter eligenda*, præferenda est pars tutior: (Tutiorem autem conscientiam Moralistæ appellant, quæ longius abest a periculo peccandi.) Ita *satius est* nocentem absolvere *quam innocentem condemnare*. Huc spectat illud, quod vulgo dici solet: *In istam partem potius peccato tamen. Hoc est, si errandum est sine jure absolvere, quam per injuriam condemnare est sanctius. Nam in illo error est, in damnatione insontis facinus.*

[*Grotius* §. 5.]

NOTÆ.

I. Quod conscientia probabilis non obliget, si in contrarium probabilior vel plane certa sit, patet quia qui in moraliter necessariis conscientiam minus probabilem præ probabiliori aut plane certa sequi vellet, is sponte sua non sine reprehensione periculum erroris aut peccati incurreret. Interim aliter judicandum est, ubi minus probabilis est tutior. Item ubi conscientia

in

in mere adiaphoris occupatur. Rem hanc ex instituto persequi non licet.

II. Circa conscientiam probabilem rectam hoc adhuc meretur ventilationem: Quid dicendum, si quis duas habeat conscientias æque probabiles, ita tamen ut una sibi magis, contraria aliis magis probabilis videatur, hoc est, ut una conscientia *ex re*, altera *ex opinione, quam habet de aliis hominibus super ea re pronuntiantibus petita sit?* Sæpe sane hoc contingit, ut talismodi duplici conscientia quispiam gaudeat. Sunt non pauci, qui defendere satagunt, quod in tali casu agens semper teneatur conscientiam sequi quæ nitebatur præmissis, sibi probabilibus: Fundamentum in eo ponunt, quod qui conscientiam sequitur nixam præmissis alteri probabilibus, in eo casu agat contra conscientiam suam: Verum *Moralistæ* cautius procedunt, dum nempe statuunt, literatum, prudentiorem aut magis eruditum sequi debere conscientiam sibi probabilem præ conscientia nixa principiis, quæ alii illiterato, minus prudenti aut erudito probabilia videbantur. Eodem modo inter eum, qui sui juris est, & inter eum qui alterius jurisdictioni subest, cæteris paribus, distinguunt. Et quod in contrarium urgebatur, eo in casu, si nempe quis conscientiam probabilem principiis, quæ non sibi sed aliis videntur

nixam sequatur, ipsum agere contra suam conscientiam, ad hoc respondetur, talis modi conscientiam fieri ipsius conscientiam, in quantum scilicet ex loco auctoritatis humanæ concludere est proprio, sed inartificiali argumento uti.

Dubia conscientia quid?

§. 8. Dubia conscientia est, *quando judicium nihil certi monstrat, sed hæsitat.* Accurate loquendo dubium conscientiam impediens non est conscientia, sed potius absentiam conscientiæ arguit: Est enim conscientia judicium intellectus, dubia vero conscientia non judicium, sed suspensionem judicii arguit: e. gr. esto aliquis, qui dubitat, an hujus Regis tympanum sequi liceat, nec ne? sane haberet nullam conscientiam circa hunc actum.

Effectus formalis conscientiæ dubiæ.

§. 9. *Hæc hæsitatio,* quam conscientiam dubiam vocant, *si attenta consideratione expediri nequeat, sequendum erit illud Ciceronis: Bene præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites, æqvum sit an iniqvum.* Quod *si alicui omnino alterutrum est faciendum, & de utroque, an æqvum sit, dubitatur: tunc licebit ei eligere, quod minus iniqvum ei videtur. Semper enim ubi electio evadit*

non

non potest, minus malum rationem induit boni.

[*Grotius* §. 3.]

NOTÆ.

I. Hic notant *Moralistæ*, *dubium* esse duplex: aliud *theoreticum*, aliud *practicum*. Illud vocant, quando quis in universali dubitat: e. gr. num liceat militiæ nomen dare, nec ne? num liceat jurare, nec ne? ut ita nesciat, an belligerare & jurare sint peccata, nec ne? Hoc nuncupant, quando quis de re in singulari dubitat: e. gr. quando quis dubitat, nũ hoc tempore liceat militiæ Regis Galliæ nomen dare adversus confœderatos? aut quando nostræ religioni addictus dubitat, num in foro magistratus Pontificii liceat juramento testari adversus hunc religionis suæ socium? Inde docent, quod quilibet, qui ob subortum dubium conscientia caret, teneatur omni studio viam & modum quærere liberandi sese a dubitatione. Quod si liberum se reddere nequeat, oportet ipsum accedere ad alios prudentiores, ut hi dubitationem sibi adimant & solvant: Si vero neminem inveniat sibi consulentem, videndum est, num theoretice saltem, an practice, num utroque modo dubitaverit? Si theoretice saltem dubitavit, practice vero determinatum quoddam intellectus practici judicium

 adsit,

adsit, utique tenetur agere id, quod practi ce intellectus suus determinaverat, insupe habito theoretico dubio, modo nulli pe percerit industriæ, qua hoc dubium sibi adi meretur: e. gr. judicat aliquis: hujus su principis tympanum sequendum esse, qui certus est, suo magistratui in omnibus obse quium a se deberi, si jam dubium ipsi subo riretur, an principis sui bellum sit justum necne? hocque dubium eum cruciaret, non dubitant *Moralistæ* asserere, quod ipse omnino arma capessere teneatur: Hujus modi conscientiam dubiam nonnulli non male scrupulosam potius vocant, quam du biam, quo tamen non obstante suo modo ad conscientiam dubiam reduci poterit. Quod si accidat, ut ipsum agens theoretice certum sit, saltem practice dubitet, dicimus talismodi agens, quamdiu dubitatio in in tellectu residet, non debere agere, licet nesciat, num actionis omissio sit peccatum. Et hic valet illud: *In dubiis tutius est eligen dum.* Quod si demum agens & theoretic & practice dubitet, nunc utique non debe agere, quia alias se præsentissimo peccand periculo exponeret.

III. Dubia practica ea sunt, quæ vulg *casuum conscientiæ* nomine nuncupari so lent.

IV. Casus dari nequit, in quo electi mali turpis evadi nequeat, modo quis vin

cibil

cibili errore aut dubitatione non laboret.

§ 10. Plane eximium usum hæc doctrina habet, quando de rebus ac negotiis magni momenti, eorumque justitia aut injustitia quæritur. Rem liceat quopiam exemplo declarare: Certe *maximi momenti est bellum, ut ex quo mala plurima etiam in innocentes sequi solent. Ideo inter sententias alternantes vergendum ad pacem.* Hinc recte laudatur Silio Italico *Fabius*: *Usus doctrina hujus capitis.*

cauta speculator mente futuri,
nec lætus dubiis parvisque lacessere Martem.

Maxime autem Christiani Reges & civitates debebant hanc inire viam ad arma vitanda, ne scilicet sinerent prius ad bellum veniri, quam spes omnis juris obtinendi periisset, locumque apud adversarios justitia alia non posset invenire, juxta illud:

Omnia prius experiri quam armis sapientem decet:
Qui scis, an quæ jubeam sine vi faciat?

Tres autem sunt modi, quibus vitari potest, ne controversiæ in bellum erumpant: *Modi, quibus caveri potest, ne*

bellum geratur. *1. colloquium. 2. compromissum. 3. sors, cujus affine quid est certamen singulare,* monomachia, ut vocant.

[*Grotius* §. 6. 7. 8. 9. 10.]

NOTÆ.

I. Egregiis certe ac insignibus testimoniis & exemplis *Grotius* noster hosce tres, inprimis duos priores, modos illustravit. Et utut plerumque a potentioribus spernantur istiusmodi viæ, dignas tamen omnino censebat, quarum aliquam insisterent æqui & pacis amantes. Fecisse magnos Reges ac populos insigniter testatus est *Grotius* noster in textu & annotatis, dignus omnino, qui legatur.

II. Annon enim *in causa dubia pars utraque*, si rem ad rectam rationem expendere & conscientiæ consulere voluerit, *tenebitur quærere conditiones, quibus bellum* vitetur? quisque sane hoc recte expensum admittet, eoque facilius, ubi scilicet & utriusque partis *jus ambiguum est & neuter possidet*, aut ex æquo uterque: Si ex jure naturæ res decidenda est, omnino *iniquus censendus erit, qui oblatam rei controversæ divisionem repudiat. Magis tamen tenebitur* viam pacis quærere, *qui petit, quam qui possidet. Ut enim in pari causa melior sit possidentis conditio, non civili tantum juri, sed & naturali convenit.* Imo faciamus alterutram partem

tem *justam se causam habere scientem non habere documenta sufficientia, quibus possessorem de injustitia suæ possessionis convincat, bellum licite non sumetur: non enim jus habebit alteram partem cogendi, ut de possessione decedat.* Hæc *Grotius §. 11. & 12.*

III. Tractat *Grotius* sub finem *capitis* quæstionem hinc inde ab eodem in plurimis capitibus ac singulis libris tractatam: Num bellum dari possit ex utraque parte justum? Certe si de justitia interna & absolute dicta loquamur, affirmativa æternæ falsitatis est. Et hoc vult *noster*, dum sic differit: *speciali & ad rem ipsam relata acceptione bellum utrumque justum esse non potest, ut nec lis:* Ratio est, *quia facultas moralis ad contraria, puta ad agendum & ad impediendum non datur per rei ipsius naturã.* Supra *l. 2. c. 1. §. 9. p. 551.* ostendimus, quod unica causa belli justi, si de justitia interna & simpliciter tali sermo sit, esse possit injuria, unde nisi injuria præcesserit, bellum justum dari nequit: at si bellum ex utraque parte justum esset, nulla præcessisset injuria: Quod si vero ad justitiam externam respiciatur, bellum ex utraque parte justum esse poterit, quippe ad externam justitiam belli hæc duo sufficere dicebantur, quod geratur utrinque auctore eo, qui habet summam in civitate potestatem, ritusque adsint. Bene *noster: At justum si accipimus quoad effectus*

 quos-

quosdam juris, certum est, bellum hoc sensu justum utrinque dari. Sic enim & sententia non ex jure lata & possessio sine jure habent quosdam juris effectus. Interim quia injustitia alia plena est & affectata, alia minus plena minusque affectata, quo de *lib. 3. c. 11.* agetur, *fieri potest, ut neuter bellantium* simpliciter *injuste agat: injuste enim* absolute ac simpliciter loquendo agit nemo nisi qui& scit, se *rem injustam agere: multi autem id nesciunt.* Sic *juste, id est, bona fide litigari potest utrinque. Multa enim & in jure & in facto, unde jus oritur, fugere homines solent.* Quid? quod accidere possit, *ut pars utraque non modo injustitiæ, sed & omni alio vitio careat, præsertim ubi pars utraque aut altera litigat aut bellat non suo sed alieno nomine, puta ex tutoris officio, cui congruit jus etiam incertum non deserere. Sic Aristoteles in litibus juris controversi ait neutrum esse improbum, 3. Rhet. c. 17.* Et *5. Nicom. c. 12. si quis,* inquit, *per ignorantiam judicavit, non egit injuste.* In bello tamen, ut bene monet *Grotius, vix est, ut temeritas saltem omnis & dilectionis defectus absit, ob negotii ipsius gravitatem, quæ omnino talis est, ut causis probabilibus non contenta, quam maxime evidentes requirat.*

IV. In omnibus interim negotiis conscientia opus est, eoque magis, quia *in moralibus circumstantiæ etiam minimæ variant materiam. Grotius § 1.*

CA-

CAPUT XXIV.

De CAUSIS, OB QUAS NON TEMERE ETIAM EX JUSTIS CAUSIS ACCEDENDUM AD BELLA, LITES, ODIA, INIMICITIAS. Item, QUOMODO IN DELIBERATIONIBUS DE REBUS GRAVIORIS AUT MAXIMI MOMENTI VIRUM PRUDENTEM SE GERERE MORALITER DECEAT.

§. 1.

Rationes ob quas laudabile sit de jure suo cedere:

NOn ubi jus satis compertum est, hoc est, causæ justificæ [illegible]sunt, *statim aut oportet bellum*, lites, odia, inimicitias *suscipi, aut semper etiam licet*. Nam *interdum eæ sunt rerum circumstantiæ*, ut jure suo *abstinere laudabile sit*, imo & quandoque *debitum*. Laudabile est 1. *quia de suo jure virum bonum quandoque aliquid relaxare* liberalitatis est: *nam & privatorum hominum eos laudamus, qui facili sunt ingenio & damni aliquid subire malunt, quam litigare*. 2. clementiæ est & magnanimitatis: *Quemadmodum enim non est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille,* 1. 2.

qui quod alteri donat sibi detrahit: ita clementem vocabis non in alieno dolore facilem, sed eum, qui cum suis stimulis agitatur, non prosilit: qui intelligit magni animi esse injurias in summa potentia pati, nec quicquam esse gloriosius principe impune læso. Hinc magnanimus qui sit, eum *Aristoteles* negat esse *injuriarum memorem*, quod *Cicero* sic exprimit: *nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia,* inque C. Cæsaris laudibus ponit ut præcipuum, quod oblivisci nihil soleret nisi injurias.
3. 3. humanitatis est, *homini* namque *non est homine prodige utendum.*
4. 4. naturalis charitatis est, *quam ipsis inimicis aut debemus aut recte impendimus*, propter illam communem a summa causa venientem cognationem.
5. 5. rectæ Φιλαυλίας est, *maxime ubi aut nos quoque nobis peccati alicujus sumus conscii, aut id, quod in nos peccatum est, ab humana quadam & excusabili infirmitate procedit, aut satis apparet pœnitere eum, qui nocuit.*

[*Grotius cap.24. §. 1. 2. 3.*]

NOTÆ.

I. Utut pium rectumque sit de jure suo cede-

cedere, omnemque illa res hominem ornare, omnemque illa res hominem ornare insigniter possit, maxime tamen eos, qui in imperiis sunt constituti. Nam cum regia potestas omnia permittat, semet retinere ac divinam legem actionibus suis ducem præfigere, egregium est ad famam gloriamque.

II. Princeps impleat pii patris officium: *Pater*, ut ait *Seneca*, *nisi multa & magna injuriæ patientiam devicerunt, nisi plus est, quod timet, quam quod damnat, non accedet ad decretorium stylum.*

§ 2. Debitum quandoque est de jure suo cedere 1. si ex usu non sit jus tueri, quod tueri necessarium non erat. Quod *Euripides* de Græcis dixit civitatib⁹, idem ad alios quosvis recte aptes: *Rationes, ob quas debitum quãdoque sit de jure suo cedere* 1.

De Marte quoties itur in suffragia,
nemo imminere cogitat mortem sibi,
sed quisque cladem destinamus alteri:
Quod si in comitiis funera ante oculos forent,
furiata bello non perisset Græcia.

Cum vires, tum vim fortunæ, Martemque communem prius oportet animo proponere. *Misera pax bello bene mutabitur*, nempe cum *aut ausos libertas sequetur, aut victi iidem erunt: aut ubi pax*

pax servientibus gravior quam liberis bellum. *Non si*, ut apud *Ciceronem* est, *apparet futurum, ut si victus eris, proscribaris; si viceris, tamen servias.*
2. 2. si nec necessitudo, nec occasio detur. *Litigare malis videtur felicitas, bonis necessitas.* De odiis & inimicitiis etiamsi demas injustitiam, ipsæ per se necessitates miserandæ sunt. *Si jure Hebræo, & qui non volens hominem occidisset, fugere debebat: Si Deus a Davide, qui pia bella gessisse dicitur, ideo templum suum ædificari vetuit, quod multum sanguinem fudisset: Si apud Græcos veteres expiatione opus habebant etiam, qui sine culpa manum cæde maculassent: quis non videat, quam res sit infelix & mali ominis, quantoque nisu fugiendum bellum etiam non injustum?*

[*Grotius* §. 4. 7. 8. 9. 10.]

NOTA.

Digna sunt, quæ cum sedula attentione legantur tam insignia & prorsus egregia testimonia ac exempla, quibus gratiam lectoris *Grotius* sibi conciliare studuit.

De quibus deliberationes morales fiant.

§. 3. *Qui deliberant, partim de finibus non quidem ultimis, sed interjectis deliberant, partim de iis, quæ eo ducunt.*

Finis

Finis semper est bonum aliquod, aut certe mali declinatio, quæ vicem boni obtinere possit. Quæ vero huc aut illuc ducunt, per se non expetuntur, sed quatenus ducunt: quare in deliberationibus comparandi sunt & fines inter se, & eorum, quæ ad finem ducunt, facultas effectiva ad bonum producendum.

[*Grotius* §. 5.]

NOTÆ.

I. *Grotius* totius actionis externæ moralis aut civilis processum ostendere voluit, qua scilicet ratione quælibet actio externa ab internis actionibus pendeat. Nempe quia constat omnem actionem externam a moraliter aut civiliter agente susceptam propter finem susceptam esse, requiritur, ut ante omnia finis formaliter & practice sit cognitus, propter quem actio suscipitur, inde CONSCIENTIA: finis formaliter & practice cognitus sui bonitate agens morale aut civile movet ad sui appetitionem, hinc VOLUNTAS κατ' ἐξοχὴν dicta proque actu sumta: Inde fit, ut intellectus moraliter aut civiliter agentis nunc instituat inquisitionem mediorum, eorum porro & cum fine & inter se, si plura fuerint, collationem, donec unum præ altero eligendum proponat, sicque datur CONSULTATIO seu deliberatio: Donec ab agen-

agente civili medium eligatur, tunc adest ELECTIO, per quam homo proxime in esse agentis civilis constituitur, ut ita sola electio genuinum & proximum principium actionis externæ aut cujuslibet negotii moralis aut civilis sit.

II. Quicquid enim appetitur, aut propter se appetitur, sic datur VOLUNTAS, aut propter aliud sic, datur ELECTIO: Illa CONSCIENTIAM, hæc ELECTIONEM prærequirit.

III. Vel ita: Actio interna homini propria aut est cognitio, aut appetitio: utraque vel finis, ut CONSCIENTIA & VOLUNTAS stricte dicta: vel medii, ut CONSULTATIO & ELECTIO.

IV. Hinc Aristoteles definit electionem, quod sit præmeditata appetitio medii.

V. Requiritur ad medium 1. ut sit appetibile. 2. ut sit possibile, hoc est, in potestate moraliter aut civiliter agentis. 3. ut sit utile, hoc est. ut appetatur gratia alterius, ad cujus effectionem, perfectionem vel consecutionem conducibile videbatur.

VI. Electionem immediate antegreditur consultatio, quæ nihil est aliud, quam judicium intellectus practicum de medio qua tali. *Cicero* vocat *rationem practicam ab intellectu excogitatam aliquid faciendi non faciendive.*

§. 4.

§. 4. Deliberatio 1. alia est plena, alia minus plena. Illa conjuncta est cum accurata omnium circumstantiarum notitia, h. e. eorum, quæ (si ita loqui liceat) media, unum aut plura, circumstant: Hanc nuncupant, quæ cum unius alteriusve talismodi circumstantiæ ignorantia conjuncta est. *Deliberationis distinctio.*

NOTA.

Alii distinguunt inter deliberationem plenam & perfectam: item minus plenam & imperfectam. Illa arguit perfectam notitiam omnium circumstantiarum in ordine ad media: hæc confusam omnium circumstantiarum notitiam ipsis notat.

§. 5. Deliberatio 2. alia dicitur a *Moralistis* solitaria, alia socia. Illam dicunt, quam quis proprio judicio solummodo instituit: Sociam vocant, quando quis simul alios in deliberationem vocat. *Alia deliberationis distinctio.*

§. 6. In Politicorum foro admodum frequens est distinctio consiliorum in extrema & media. Melioris explicationis ergo notamus, breviter duobus modis consilia media dici posse: uno enim modo media denominantur a medietate (ut Pauli JCti verbo utamur) *Consiliorũ distinctio.* *Consilia media, qua & quotuplicia.*

ratio-

rationis, quæ etiam mediocritas rationis, item medium quoad nos vocatur, Moralistæ vocant medietatem moralem, & est id, quod circa unumquodque objectum recta ratio præcipit: e. gr. est pœnæ modus, sicut rerum reliquarum, & quædam mediocritas, verba sunt Ciceronis. Et Lycurgus æqualitatem in pœna non ita nude spectandam ait, ut in ponderibus & mensuris, sed expenso proposito ejus, qui deliquit. Altero modo consilia media denominationem capiunt a medietate rei, quam medietatem realem in scholis Doctorum Moralium appellatam videas. Prioris generis consiliis mediis opponuntur omnia ea, quæ perversa ratio dictat: e. gr. consilia extrema sunt consilia sic dictorum Machiavellistarum, quando suos principes dilatandorum regnorum aut evidentissimæ utilitatis gratia promissis cadere, fœdera rumpere, quibusvis innocentibus sine discrimine insultare, nec uxoribus nec liberis parcere docent, modo servetur principalis auctoritas aut inde crescat vanæ existimatio-

Consilia extrema quæ & quotuplicia?

mationis gloria. Quibus Machiavellistarum consiliis viri, quos conscientia recti tenet, obviam eunt consiliis mediis, hoc est, honestis & licitis. Posterioris modi consilia extrema mox egregio exemplo declarabimus.

NOTÆ.

I. Ut Machiavellistæ suis extremis consiliis subditis jugulum, ita sic dicti Monarchomachi imperantibus minitantur, dum illi ex imperantibus tyrannos, hi ex subditis imperantes pessimis faciunt consiliis.

II. Memoratu dignum est exemplum consiliorum extremorum posterioris modi, quod *Livius lib. 9.* statim ab initio refert de Samnitibus, eorumque fœdere cum Romanis facto eo tempore, quo Titus Veturius & Sp. Posthumius Coss. apud Caudinas Furcas Romanorum exercitum in locum adeo iniquum deduxerant, ut nulla spes evadendi esset, inque hæc verba, ut *Livius* habet, erumperent: *Quo, aut qua eamus? Num montes moliri sede sua paramus? Dum hæc imminebunt juga, qua tu ad hostem venies? Armati, inermes, fortes, ignavi pariter omnes capti atque victi sumus. Ne ferrum quidem ad bene moriendum oblaturus est hostis: Sedens bellum conficiet.* Audiamus jam ipsum *Livium* sic disserentem: *Querentes magis quam consultantes Romanos*

nox oppressert, bisque invicem sermonibus qua cibi qua quietis immemor nox traducta fuerat. Ne Samnitibus quidem consilium in tam latis suppetebat rebus. Itaque universi Herennium Pontium patrem Imperatoris Caji Pontii per literas consulendum censent. Jam is gravior annis non militaribus solum, sed civilibus quoque abscesserat muneribus: In corpore tamen affecto vigebat vis animi consiliique. Is ubi accepit ad Furculas Caudinas inter duos saltus clausos exercitus Romanos, consultus ab nuncio filii, censuit omnes inde quam primum inviolatos dimittendos. Quae ubi spreta sententia est, iterumque eodem remeante nuncio consulebatur, censuit ad unum omnes interficiendos. Quae ubi tam discordia inter se velut ex ancipiti oraculo responsa data sunt: Quanquam filius ipse inprimis jam animum quoque patris consenuisse in affecto corpore rebatur: Tamen consensu omnium victus, ut ipsum in concilium acciret. Nec gravatus senex, plaustro in castra dicitur advectus: Vocatusque in concilium, ita ferme locutus esse, ut nihil sententiae suae mutaret, causas tantum adjiceret. Priore se consilio, quod optimum duceret, cum potentissimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem, amicitiamque: Altero consilio, in multas aetates, quibus amissis duobus exercitibus, haut facile receptura vires Romana res esset, bellum differre: Tertium nullum consilium esse. Cum filius

lius aliique Principes percunctando exquirerent, quid si media via consilium caperetur? ut & dimitterentur incolumes, & leges iis jure belli victis imponerentur? Ista quidem sententia, inquit Herennius, *ea est, quæ neque amicos parat, neque inimicos tollit. Servate modo, quos ignominia irritaveritis. Ea est Romana gens, quæ victa quiescere nesciat: Vivet semper in pectoribus illorum, quicquid isthuc præsens necessitas inusserit: Neque eos ante multiplices pœnas expeditas à vobis quiescere sinet.* Hæc Herennius. *Neutra sententia accepta, Herennius domum e castris est avectus. Et in castris Romanis cum frustra multi conatus ad erumpendum capti essent, & jam omnium rerum inopia esset, victi necessitate legatos mittunt, qui primum pacem æquam peterent: Si pacem non impetrarent, uti provocarent ad pugnam. Tum Pontius, debellatum esse respondit. Et quoniam ne victi quidem ac capti fortunam fateri scirent, inermes cum singulis vestimentis sub jugum missurum: Alias conditiones pacis æquas victis ac victoribus fore: si agro Samnitium decederetur, Coloniæ abducerentur, suis deinde legibus Romanum ac Samnitem æquo fœdere victurum. His conditionibus paratum se esse fœdus cum COSS. ferire: Si quod eorum displiceat, legatos jam redire ad se vetuit. Consules profecti ad Pontium in colloquium, cum de fœdere victor agitaret, negarunt injussu*

populi fœdus fieri posse: Nec sine Fecialibus, ceremoniaque alia solenni. Itaque non ut vulgo credunt, Claudiusque etiam scribit, fœdere pax Caudina, sed per sponsionem facta est. Spoponderunt COSS. Legati, Quæstores, Tribuni militum: Obsides etiam DC. Equites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur. Tempus inde statutum tradendis obsidibus exercituque inermi mittendo. Frementibus frustra militibus Romanis hora fatalis ignominiæ advenit, omnia tristiora experiunda factura, quamque præceperant animis. Jam primum cum singulis vestimentis extra vallum exire jussi: & primi traditi obsides atque in custodiam abducti. Tum a COSS. abire lictores jussi: paludamentaque detracta tantam inter ipsos, qui paulo ante eos exsecrantes, dedendos lacerandosque censuerant, miserationem fecit, ut suæ quisque conditionis oblitus, ab illa deformatione tantæ majestatis velut ab nefando spectaculo averteret oculos. Primi COSS. prope seminudi sub jugum missi: tum ut quisque gradu primus erat, ita ignominiæ objectus: tum deinceps singulæ legiones, circumstabant armati hostes exprobrantes eludentesque gladii etiam plerisque intentati: & vulnerati quidam necatique, si vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendisset. Ita traducti sub jugum & (quod pene gravius erat) per hostium oculos, cum ex saltu evasissent, etsi velut ab inferis extracti, tum primum lucem aspice-

aſpicere viſi ſunt, tamen ipſa lux ita deforme intuentibus agmen omni morte triſtior fuit. Hæc *Livius.* Extremum ergo conſilium Herennii erat, omnes Romanos quamprimum inviolatos dimittendos; Extremum alterum Herennii erat, ad unum omnes Romanos interficiendos eſſe. Utroque conſilio extremo inſuper habito autor medii cujusdam conſilii prima ſpecie læti, eventu tamen triſtiſſimi, ceu mox ſecuta Samnitium cruenta ſtrages docet, extitit.

III. Facile jam fuerit quæſtionem: *num in extremæ neceſſitatis caſu pariter & extra neceſſitatem extrema præ mediis potius eligenda ſint?* ſolvere. Experientia ſatis teſtatur, quemlibet fere, quando periculum nullam fert moram, ad extrema conſilia tendere. Et certe in poſterioris modi conſiliis extremis, quando ſcilicet indifferentia ſunt, ſummi Politici exiſtimant ſæpe media extremis poſtponenda eſſe. Secus cum prioris generis conſiliis comparatum eſt, quæ ſemper ſperni oportet.

IV. Sed & illud addendum, poſterioris generis conſilia media iterum eſſe duplicia, prout medietas duplex: alia *participationis*, alia *negationis* dicitur. Conſilia media medietate participationis ſunt, quæ participant aliquid de utroque conſilio extremo: e. gr. hujusmodi conſilium erat Pontii, quando partim bene, partim male facien-

 dum

dum Romanis esse judicaverat, cum ante Herennius aut simpliciter inviolatos dimittendos, aut ad unum omnes interficiendos censuisset. Consilium medium medietate negationis est, quod de utroque extremorum nihil participat: e. gr. talismodi consilium est consilium neutralitatis, si princeps periculorum bellicorum evitandorum gratia, duabus vicinis Rebuspublicis concurrentibus a neutra dissidentium parte stare consultum judicaret.

V. Ad omnes igitur & singulas circumstantias respiciendum est, nec propter varietatem circumstantiarum quicquam de praestantia consiliorum mediorum aut extremorum facile in communi determinari potest. Ita Rex Alphonsus improbaverat *consilium neutralitatis* Senensium, ex hoc titulo, quia medium fuerat, credens Neutralibus, ut vocantur, idem ut plurimum evenire, quod mediam domus partem incolentibus accidit, qui superiorem contignationem inhabitantium lotio, & inferiorum fumo vexantur. Quisque interim videt non semper istud *consilium neutralitatis* respuendum esse, hoc sane & prudentissimi prae extremo eligendum judicarunt, certis observatis circumstantiis, ex. gr. si neutrali tantae suppetant vires, ut neutram partem victricem metuere habeat, aut si par-

partes dissidentes mutuo inter se metu prohibeantur, ne neutrali noceant &c.

§. 7. Deliberatio de rebus gravioris aut maximi momenti *tres inprimis habet normas. Prima est: Si res, de qua agitur, aequalem, morali scilicet aestimatione, efficaciam habere videatur ad bonum & ad malum, ita demum eligenda est, si bonum aliquando plus habeat boni, quam malum mali:* Exemplum sumamus ab eo, quod inter Galliae civitates consultatum olim narrat Tacitus, *libertas* (hoc est jus regendae per se Reipublicae) *an pax* (talis qua bellum redimatur internecinum, ut recta aestimatio futuri nihil ferme aliud quam totius populi exitium videatur portendere) *placeret*. Hic *Cato quid dicturus sit, qui mori quam uni parere maluit, nemo nescit: At aliud dictat recta ratio* indeque orta regula: *Vita scilicet, quae fundamentum est omnium bonorum temporalium & aeternorum occasio, pluris est quam libertas: sive utrumque sumas in uno homine, sive in toto populo,* hoc est, sive intelligas libertatem & servitutem personalem, sive civilem. *Itaque Deus ipse pro beneficio imputat,*

Deliberationis gravioris regulae morales: Reg. I.

quod non perdat homines, sed in servitutem tradat. Internecio ergo populi in hoc rerum genere pro maximo malo haberi debebat.

[*Grotius* §. 5. n. 1. & 2.]

REG. II. §. 8. *Altera* norma est: *Si videatur esse æquale bonum & malum quod a re, de qua quæritur, possit procedere, ita demum ea res eligenda est, si efficacia ad bonum quam ad malum major sit:* e. gr. moris est navem servare rerum non vectorum jactu.

REG. III. §. 9. *Tertia* norma est: *Si videatur & bonum & malum esse inæquale, nec minus inæqualis rerum efficacia, res ea demum ita eligenda est, si efficacia ad bonum major sit collata efficaciæ ad malum, quam ipsum malum est collatum bono; aut si bonum sit majus comparatione mali, quam efficacia ad malum comparata ad bonum:* e. gr. *in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum, qui leviter ægrotantes leviter curant: gravioribus autem morbis periculosas & ancipites adhibent.*

CA-

CAPUT XXV.

De CAUSIS JUSTIFICIS BELLI, PERICULI, LITIGII PRO ALIIS SUSCIPIENDI.

§. 1.

Quæ causæ justæ sunt ipsi, cujus res agitur, eædem justæ sunt iis, qui aliis opem ferunt. Nam *naturaliter non tantum unusquisque sui juris executor est, sed & alieni.* *Quænam sit causa justifica belli aut similis negotii pro aliis?*

[*Grotius c. 25. § 1. n. 1.*]

§. 2. *Prima maximeque necessaria cura pro subditis, sive qui familiari, sive qui civili subsunt imperio.* Ratio est, *quia sunt quasi pars rectoris.* *Pro subditis.*

[*Grotius § 1. n. 2.*]

NOTÆ.

I. Cum limitatione id, quod asserebatur, accipiendum est. *Non* enim *semper quamvis justa causa subditi alicujus obligat rectores ad bella sumenda, sed ita demum, si id sine omnium aut plurium subditorum incommodo fieri potest. Rectoris namque officium magis circa totum quam circa partes versatur: & quo pars est major, eo ad totius naturam propius accedit.*

II. Quæstio hic sese offert: *An civitas civem innocentissimum in manus petentis tyranni vel hostium, si moraliter certa sit sibi ferro & igne pereundum, nisi postulatis satisfaciat, salvo naturæ jure tradere possit?* quam hic studio præterimus expensam & prolixe decisam peculiari dissertatione ante annum sub moderamine nostro typis excusa, cui titulus: *Sanctimonia vinculorum, per qua respublica cohæret, illustri casu monstrata.*

Pro confœderatis.

§. 3. Subditis proximi, imo pares sunt in hoc, ut defendi debeant socii, in quorum fœdere comprehensum id est, sive in tutelam sese & fidem aliorum dederunt, sive mutua auxilia pacti sunt.

[*Grotius §. 4.*]

NOTÆ.

I. *Grotius* noster *pactiones tales ad bella, quibus causa justa non subsit, porrigi haud posse* censet *eodem §.* sed repetantur ea, quæ *l. 2. c. 15. §. 20. pag. 1051. & seqq.* animadversa sunt.

II. Illud addit, *ne tunc quidem teneri socium, si non spes sit boni* exitus, *cum non mali, sed boni causa contrahatur.* De quo *ibidem* egimus.

III. *Defendendus socius etiam est contra alium itidem fœderatum, nisi priori fœdere aliquid specialius convenerit.*

§. 4.

§. 4. *Amicis, quibus auxilium promissum non est, tamen amicitiæ quadam ratione debetur, si facile & sine incommodo exhiberi possit.* *Pro amicis.*

[*Grotius* §. 5.]

§. 5. *Hominum inter se conjunctio vel sola* quibusvis injusta damna patientibus *ad opem ferendam sufficit. Sapiens* namque *quoties poterit fortunæ intercedet.* *Pro quibusvis hominibus iniqua patientibus.*

[*Grotius* §. 6.]

§ 6. *Etiam subditis alienis suppetias ferre decet, ut manifesta & atrocissima injuria ab iis arceatur,* ut si quis *Busiris, Phalaris, Thrax Diomedes ea in subditos exerceat, quæ æquo nulli probentur.* Sic *in Maxentium & in Licinium Constantinus, in Persas alii Romanorum Imperatores arma ceperunt, aut capere minati sunt, nisi vim a Christianis religionis nomine arcerent.* *Pro subditis alienis.*

[*Grotius* §. 8. n. 1. & 2.]

NOTÆ.

I. *Sane ex quo civiles societates institutæ sunt, certum est rectoribus cujusque speciale quoddam in suos jus quæsitum,* ut adeo non temere arma pro alienis subditis sumenda sint,

ſint, non ubi vere delinqvunt, nec ubi dubia eſt cauſa, ſed ſi *manifeſta & atrociſſima* ſit injuria.

II. Adfert *Grotius* in contrarium *n. 3. ejusdem §.* tres objectiones. Prima eſt: Qui habet jus ſpeciale in alium hominem quæſitum, ille in exercitio iſtius juris non poteſt ab eo, qui ſaltem generale habet, impediri. Atqui quilibet imperans habet jus ſpeciale in ſuos ſubditos quæſitum E. Reſpondet *noſter* adhibita diſtinctione inter exercitium juris qualecunq; vel juſtum, vel injuſtum, & inter manifeſto injuſtum, ut atrociſſimam ac ſimpliciter intolerabilem injuriam arguit. Altera eſt: Quicunque non habet jus ſeipſum defendendi, is nec poteſt licite defendi ab altero. Atqui ſubditus non habet jus ſeipſum contra principem ſuum defendendi E. Reſpondet erudite *Grotius* 1. per inſtantiam negando univerſalitatem majoris propoſitionis: Ita *pro pupillo, cujus perſona judicium non capit, litigat tutor aut alius: pro abſente etiam ſine mandato defenſor.* 2. diſtinctione adhibita inter impedimentum defenſionis perſonale & reale: ſi de poſteriori, conceditur major, ſed negatur minor. *Impedimentum enim quod reſiſtere ſubditum prohibet, non ex cauſa venit, quæ eadem eſt in ſubdito & in non ſubdito, ſed ex perſonæ qualitate, quæ in alios non tranſit.* Si de priori, ſic conceditur minor,

nor, sed negatur major: *Quoties enim actioni alicui impedimentum ponitur personale, non ex re; toties quod uni non licet, alteri pro eodem licere potest, si modo tale sit negotium, in quo alter alteri prodesse possit.* Ut pupillo natura, sic subdito lex obicem ponit, quo minus se defendere possit. 3. Quicquid alieni cupiditati patrocinium præbet, moralem approbationem non invenit. Atqui defensio alieni subditi &c. E. Minor non eget probatione, cum abunde ex veteribus novisque historiis constet, alieni cupiditatem hos sibi quærere obtentus. Respondet *Grotius* facili distinctione inter id quod per se fit, sic major; & inter id, quod per accidens, sic minor negatur. *Non ideo statim jus esse desinit, si quid a malis usurpatur. Navigant & Piratæ: ferro utuntur & latrones.*

CAPUT XXVI.

De CAUSIS JUSTIFICIS BELLORUM IN ORDINE AD EOS, QUI SUB IMPERIO SUNT.

§. I.

SUb alieno imperio existentes seu in conditione parendi positi, quando mili- *Distinctio.*

militare volunt, aut habent conſcientiam rectam, eamque vel certam vel probabilem, aut habent conſcientiam erroneam, aut conſcientiam dubiam circa belli juſtitiam aut injuſtitiam.

Rectam conſcientiam habentes ſubditi quomodo obligentur?

§. 2. Si rectam conſcientiam habent & quidem certam, ita ut certi ſint & conſcientia ſatis ſuperque convicti bellum eſſe contra omne naturæ jus ac omnem æquitatem, non poſſunt ſalvo jure naturæ militare, & licet evocentur, abſtinere omnino debent, *Deo* enim *potius obediendum quam hominibus non Apoſtoli tantum dixerunt, ſed & Socrates, ceu Plato id nos docet in ipſius Apologia*: Si erroneam habent conſcientiam, ita quidem *ut perſuaſi ſint* bellum *quod imperatur*, juri naturali contrarium & intrinſece *injuſtum eſſe*, itidem nec militare poſſunt, nec debent quam *his tantiſper ea res pro illicita eſt*, quamdiu eum errorem non deponunt.

Quomodo erroneam conſcientiã habentes?

[*Grotius* §. 2. & 4.]

NOTA.

Ipſa jura civilia, quæ peccatis excuſabilibus facile veniam præbent, favent quidem

dem his, qui parere necesse habent, sed non in omnibus. Excipiunt enim ea, quæ atrocitatem habent facinoris vel sceleris, *l. ad ea, 152. D. de regulis juris*, quæ sua sponte scelerata ac nefaria sunt, ut loquitur *Tullius*; maleficia, quæ sponte & non disputatione Juris Consultorum, sed naturali interpretatione fugienda sunt, ut *Asconius* interpretatur.

Quomodo probabilem conscientiam habentes?

§. 3. Si probabilem conscientiam habent, possunt militare, imo & debent, unusquisque enim subditus in omnib9 debet parere magistratui, quæ non sunt notorie injusta: Si conscientiam dubiam habent, ut nesciant, num bellum justum sit, an injustum, ipsique dubitationi *satis nequeat fieri, omnino officium erit boni magistratus, tributa ipsis potius extraordinaria imperare, quam operam militarem*: Præsertim *ubi non defuturi sunt alii, qui militent, quorum voluntate non tantum bona, sed & mala uti potest rex justus, quomodo Deus & diaboli & impiorum parata opera utitur; & sicut culpa caret, qui egestate pressus pecuniam sumit ab improbo fœneratore.*

Quomodo dubiam conscientiam habentes?

[*Grotius* §. 4. & 5.]

NO-

NOTÆ.

I. Ut rem paucis comprehendamus, ea, quæ *capite præcedenti vigesimo tertio* de conscientia ejusque obligatione dicta sunt, huc quoque spectant. Easdem namque hi, qui in conditione parendi positi sunt, *regulas sequi debent, quas illi, qui suopte arbitrio pro se aut aliis bella suscipiunt, si libera ipsis optio detur militandi aut quiescendi:* Si vero edicatur ipsis, ut militent, quod fieri solet, adhuc tamen bonam partem ea, quæ *ibidem* dicta sunt, ad præsentem materiam applicari poterunt.

II: Eo vero facilius conscientiæ suæ subditi quam imperantes in belli publici negotiis consulunt, quia in subditis potestas deliberatrix plena non est, ut indicat proverbium: *Dimidia virtute caret servire coactus.* Quo spectat illud *Taciti: Principi summum rerum judicium Dii dederunt, subditis obsequii gloria relicta est.* Hinc sæpe unde punitur si fecerit injussus, inde puniretur subditus, si non fecerit jussus, & passim recepta est sententia, subditos quod attinet, dari bellum utrimque justum, id est, injustitia vacans. Excusat eos facilius necessitas ex dignitate jubentis & ex parentis timore.

III. Maximam difficultatem in his de militia subditorum quæstionibus ea habet, qua disquiritur: *Si subditus, cui edicitur ut militet, dubitet, res moraliter licita sit nec ne, sitne*

sitne quiescendum, an parendum? Prius *Grotius* noster asserit, suamque sententiam stabiliri posse putat hac ratione, *quod qui dubitat contemplative, debeat judicio activo eligere partem tutiorem, quæ sit abstinere bello.* Posterius plerique tuentur, ex hoc fundamento, quia qui contẽplative dubitat, potest activo judicio non dubitare: credere enim potest in re dubia obsequendum superiori. Et sane quin hæc distinctio judicii duplicis in multis actionibus locum habeat, *Grotius* lubentissime admittit, *juribusque civilibus* non Romanorum tantum, sed & aliarum gentium confirmat. Sed quicquid sit, certe si qui dubitat contemplative, debet judicio activo eligere partem tutiorem, longe tutiorem partem ex parte subditi, salvo meliori judicio, censemus in tali casu bellare, quam bello abstinere. Majus namque est periculum inobedientiæ, quam ita suscepti belli. Ipse *Grotius* noster delictum longe majus censebat *cap. 20. §. 30. n. 2* quod contra primum præceptum secundæ tabulæ Decalogi committitur, parentum namque nomine qui naturales sunt; magistratus, etiam alios rectores par est intelligi, quorum auctoritas societatem humanam continet, & peccatum contra Magistratum commissum attingit Reipublicæ convulsionem. Cæterum faciamus causas justificas belli oportere claras esse & evidentes, &

proinde tales, quæ palam exponi & possint & debeant, inde tamen nondum sequitur, subditum non posse militare, nisi satis perspectam causæ justitiam habeat, sufficere forsan putares, quod ipsi non incumbat de justitia causæ exacte & per omnia cognoscere, ita ut fortasse reum faciat imperantem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi, quia subditus non censor, sed minister est imperii.

LIBER

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De

MODO GERENDI MAGNI MOMENTI ET PERICULOSA, INPRIMIS BELLI, NEGOTIA, MODO MANIFESTO ET OCCULTO, inprimis MORALITATE DOLI ET IN REBUS ET IN VERBIS, VARIIS MENDACIORUM MODIS, item RESERVATIONIBUS MENTALIBUS.

§. 1.

DE modo gerendi periculosa & maximi momenti, inprimis belli, negotia recte acturos tres sequentes regulas morales in antecessum expendere decet. Prima est: *Qui habet jus ad finem, habet etiam jus ad media, quæ ad illum finem juris consequendi*

Unde formam cujuslibet gravis negotii liceat cognoscere?

Regula moralis I.

 sunt

sunt necessaria. Exempli gratia: *Si vitam aliter servare non possum, licet mihi vi qualicunque arcere eum, qui eam impetit, etiamsi forte is peccato vacet.* Sic *rem alienam, ex qua certum mihi periculum imminet, citra culpæ alienæ considerationem invadere possum: non tamen dominus fieri, id enim ad eum finem accommodatum non est, sed custodire, donec securitati meæ cautum sit.* Sic *rem meam, quam alius detinet, eripere ei naturaliter mihi jus est: & si id difficilius, aliud tantundem valens: ut & debiti consequendi gratia: quibus ex causis dominium quoque sequitur, quin alio modo læsa æqualitas reperiri nequit.* Sic *ubi justa est punitio, justa etiam vis omnis, sine qua ad pœnam veniri non potest,* modo (quia de justitia interna sermo est) maneatur intra æquitatis naturalis terminos.

[*Grotius lib. 3. c. 1. §. 1. & 2.*]

NOTÆ.

I. Etiam in *Moralibus* & *Politicis* nimirum tum demum vere aliquid scimus, quando rei cujusque *moralis* & *civilis* causam plene cognoscimus: Ut enim in scientiis aliis: ita & in *Moralibus* & *Politicis* quam

opti-

optime habent sese omnia, quando causas moralium officiorum civiliumque negotiorum ac eventuum per demonstrationes intelligimus. Si namque unam quæstionem *an sit?* excipias, reliquæ omnes in singulis disciplinis etiam *Moralibus* & *Politicis*, quæstiones agunt aut de omnibus quatuor illis causis in universum, aut de earum una aliqua. Etenim quando quæritur, *an quid existat?* non statim de causarum aliqua quæritur, eoque quæstionem hanc licet expedire etiam ab effectu aut signo aliquo duntaxat accepto: Sunt autem tales quæstiones in *Moralibus* & *Politicis* rariores, ingens vero numerus est aliarum. Et certe hoc adeo dignum est, quod ab omnibus ad solidam eruditionem moralem aut politicam tendentibus aut tendere volentibus notetur, ut præter *quæstiones de causis* nullam sane in *Moralibus* & *Politicis* adferre sit, quæ moralis aut politici sit usus: nam quæcunque tandem inciderit quæstio, nullo temporis discrimine, quæret omnes, aut aliquam causam, cum & dubitatio moralis aut politica quævis saltim futura sit de aliqua causarum. Imo & omnis consultatio: qui consultat enim quærit. Imo utut non in promptu sint vere idonea demonstrationi ac solidæ doctrinæ, id quod non raro in *Moralibus*, sæpius & facilius in *Politicis* evenit, ita ut tantum verisimilia haberi

possint, quam optime tamen & commodissime illa peti possunt ex locis si non analyticis tamen dialecticis causarum: Ita sane probabiles collectiones demonstrationibus reddi maxime affines poterunt, id quod observasse interest veritatis. Gaudeo hæc omnia tradita & commendata esse nobilissimis Moralium cultoribus ac æstimatoribus a summo longaque prudentia docendi illustri Viro Domino *Hermanno Conringio* in integro *libro* aureo *de prudentia civili*, maxime toto *capite decimo*. Rem hanc persequi non licet, quantum tamen ad nostrum scopum hic sufficere poterat, id peculiari dissertatione sub moderamine nostro ante annum typis excusa præstitum est, cui titulus: *Ætioscopia practica*.

II. Hoc unicum obiter adjicere liceat, præcipuas quæstiones de causis, esse quæstiones: *QUIS?* quis gerat negotium? quo spectat *PER QUEM?* hoc est, de *causa efficiente*, cum principali, tum adjuvante & instrumentis, ut status cujuslibet personæ recte & moraliter æstimetur. *CUIUS ERGO?* cujus ergo negotium geratur? notat *causam finalem*, finem cum ultimum, tum interjectum, optimæ namque in Moralibus probationes ex loco finis petuntur. *OB QUOD?* ob quod negotium geratur? hoc est, de *causa impulsiva* cum προηγουμένη seu interna, tum inprimis προκαταρκτική seu exter-

externa. DE QUO? de quo negotium geratur? hoc est, de *causa materiali objectivâ:* quælibet namque actio, quodvis negotium habet suum objectum. QUOMODO? quomodo agatur, quomodo negotium geratur? hoc est, de *causa formali:* In *Moralibus* enim & *Politicis* forma notat modum moralem aut politicum cujuslibet actionis aut negotii moralis aut civilis. ERGA aut ADVERSUS QUEM? erga aut adversus quem agatur aut negotium geratur? ut: cui fiat promissio? adversus quem bellum sit susceptum? hoc est, de *causa materiali subjectivâ* seu subjecto operationis, ut *Scholæ* loqvuntur. Sed de his egimus ex professo in JURISPRUDENTIÆ MORALIS LIBRO, qui brevi lucem publicam videbit.

III. Hæc, quæ *not. 1. & 2.* jamjam adducta sunt, hac fini obiter notavimus, ut generalem introductionem & viam ad totum *librum tertium Grotiani operis de J. B. & P.* parare liceret. Scilicet uti *Grotius* toto opere suo *JUS BELLI*, hujusque juris occasione, quæ ex Moralibus & Politicis adfert, tractare voluit, huncque in finem *Libro 1.* de CAUSA EFFICIENTE JURIS ET BELLI, & hac occasione generales moralis & politicæ doctrinæ fontes aperuerat: LIBRO II. de BELLORUM CAUSIS IMPULSIVIS, cum justificis, tum suasoriis, &

hac occasione rivos plurium moralium & civilium actionum & negotiorum ex juris naturalis præcipue, ut & juris Gentium fontibus derivaverat: non neglecto & subjectorum, & objectorum, & finium examine: nunc tandem *Libro III.* de FORMA, hoc est, *modo*, cum qui juris naturalis, tum qui juris gentium est, sollicitius agere voluit, omne tamen istud, quod *hocce libro* egit, maximam partem unice ad modum, quo bellum publicum jure naturæ vel jure gentium geritur, attinet. Itaque rem alieni, prudentis tamen & candidi judicii esse volumus, annon viam præparanti ad Grotianam philosophiam in hoc *III. Libro* longe breviori, quam in præcedenti esse liceat. Re ipsa id docebimus & cuivis liberum judicium, modo non ex meris terminis & forte nondum inspecto ipso Grotiani *III. Libri* textu rem æstimet, lubentissime relinquemus: facili interim negotio leviter credulis: *Repressaliæ, Receptus, Retractus, Postliminium, Condictio, Arbitrium, Induciæ, Commeatus* & id genus plures notiones in quotidianis tabulis ac vulgaribus Politicorum scriptis nequaquam, sæpius in jure Romano[1] occurrentes imponent, ut sibi persuaderi frustra patiantur, ex hoc tandem ultimo libro *Grotii* graviores doctrinas sperari posse magisque quam ex præcedentibus, forte sono nominum externo magis perterriti.

IV. Primam regulam *Grotius* alibi rotundius expresserat hunc in modum: *Necessitas finis in Moralibus facit jus.*

V. Fundamentum regulæ quæritur in eo, (in quo & *Grotius* noster scite ponit) quod *ea, quæ ad finem ducunt in morali materia, æstimationem intrinsecam accipiant ab ipso fine:* hoc est, finis dat normam, modum, mensuram, ordinem mediis, & quicquid in mediis appetitur aut quæritur, finis est, ut non tam medium appetatur, quam in medio id, ad quod hoc, quod medii nomine censetur, facit. Interim termini in regula nostra dextre sunt accipiendi: *Jus* enim dicimus *illud, quod stricte ita dicitur, & facultatem agendi in solo societatis respectu significat.* Quo de supra *libro I. capite primo §. 9. & seqq. usque ad §. 17. a p. 23. usque ad p. 41.* & maxima parte *secundi libri* ex professo egimus. Pariter *necessitas* sumenda est *non secundum physicam* aut mathematicam *subtilitatem, sed moraliter.* Nam necessitas in moralibus moraliter intelligenda est. Et certe hujus regulæ fundamenta *in primo & secundo libro* sedato animo *aliquoties* expendimus.

§. 2. Regula secunda hæc est: *Jus nostrum non ex solo principio spectandum, sed & ex causis subnascentibus.* **Id** est, qui jus habet principale, is etiam *Regula moralis II.*

habet jus ad ea, quæ ſunt juris principalis quaſi acceſſoria. Exempli gratia: *qui ſe aggregant me impetenti, ſive ſocii ſive ſubditi, in ſe quoque jus tuendi me mihi porrigunt.* Sic *qui bello ſe miſcent, quod injuſtum eſt, præſertim ſi ipſi id injuſtum eſſe ſcire poſſunt ac debent, obligant ſe ad ſumtus & damna reſarcienda, quia culpa damnum dant.*

[*Grotius* §. 3.]

NOTA.

Fundamentum regulæ nitur recepto apud omnium jurium Doctores effato: *Acceſſorium ſequitur ſuum principale.* Sic & *in judiciis poſt litem conteſtatam jus ſæpe parti novum paritur.*

Regula moralis III.

§. 3. Regula tertia eſt: *Ad jus agendi multa conſeqvuntur indirecte & extra agentis propoſitum, ad quæ per ſe jus non eſſet.* Id eſt, ad ea non ſtatim jus nullum habemus, ad quæ noſtrum propoſitum non tendebat, quæque directe jus noſtrum non attinent. Exempli gratia: *ut noſtrum conſequamur, ſi tantundem accipi non poteſt, plus accipere nobis jus, ſub obligatione tamen reſtituendi pretium ejus quod redundat.* Sic *navis piratis plena, aut domus latronibus*

bus, tormentis peti poteſt, etiamſi intra eandem navem aut domum ſint pauci infantes, mulieres, aut alioqui innocentes, quibus inde creetur periculum.

[*Grotius* §. 4.]

NOTÆ.

I. Fundamentum hujus regulæ moralis petendum cenſemus partim ex prima regula, partim ex natura indirectæ ac præſumtæ intentionis. Expenſa hæc doctrina fuit *capite primo Libri II.*

II. Haſce tres regulas morales vocavimus: Nulli enim dubitamus, quin ſalva ſtet auctoritas *Grotii* judicantis, quod ex hiſce generalibus regulis cognoſci poſſit, quo modo, ſi reſpiciamus ad merum jus naturæ, liceat adverſus alios negotia ſuſcipere, ita ut ſemper ad haſce regulas tanquam prima fundamenta recurrendum ſit. *Noſter* occaſione juris bellici has regulas tradere voluit, quia ex ipſis perſpicere datur, *quantum in hoſtem liceat naturaliter.*

III. Interim *ſæpe, non ſemper ex omni parte licitum eſt, quod juri ſtricte ſumto* ſecundum allatas regulas morales *congruit. Sæpe enim proximi caritas non permittet, ut ſummo jure utamur. Quare etiam* (quod quartæ regulæ moralis loco notari meretur) *quæ extra propoſitum accidunt, & accidere poſſe prævidentur, cavenda erunt, niſi multo majus*

fit

ſit bonum, quo noſtra actio tendit, quam malum id, quod metuitur; aut niſi in pari bono & malo multo major ſit ſpes boni, quam mali metus, quod prudentiæ arbitrandum relinquitur: Sed ita ut ſemper in dubio ad eam partem, quæ alteri magis, quam ſibi conſulit, ut tutiorem, inclinandum ſit. Docent nos *hiſtoriæ*, quam ſeria pœnitentia vindictæ immodeſtiam & nimium ſummi juris uſum Theodoſius expiaverit.

IV. Uſu frequens quæſtio eſt: *quid liceat in eos, qui hoſtes non ſunt, aut dici nolunt, ſed hoſtibus aliquas res ſubminiſtrant? Grotius* noſter, ut ex allatis regulis fundamentalibus ad quæſtionem nervoſius reſponderet, diſtinctionem omnino neceſſariam præmiſit: Scilicet res ejuſmodi ſunt triplicis generis: 1. *ſunt, quæ in bello tantum uſum habent, ut: arma. 2. ſunt, quæ in bello nullum habent uſum, ut: quæ voluptati inſerviunt. 3. ſunt, quæ & in bello & extra bellum uſum habent, ut: pecuniæ, commeatus, naves, & quæ navibus adſunt.* His ita præmiſſis, de primi generis rebus dicendum eſt, *in hoſtium eſſe partibus, qui ad bellum neceſſaria hoſti adminiſtrat.* Secundum genus *querelam non habet.* Sic *Seneca tyranno gratiam ſe relaturum* ait, *ſi beneficium illi neque vires majores daturum eſt ad exitium commune, neque confirmaturum quas habet, id autem eſt, quod reddi illi ſine pernicie publica poſſit.* Quod explicans

plicans addit: *pecuniam, quæ satellitem stipendio teneat, non subministrabo; si marmora & vestes desiderabit; nihil oberit cuiquam id, quo luxuria ejus instruitur: militem & arma non suggeram. Si pro magno petet munere artifices scenæ, & quæ feritatem ejus emolliant, libens offeram. Cui triremes & æratas non mitterem, lusorias & cubiculatas, & alia ludibria regum in mari lascivientium mittam.* In tertio illo genere *Grotius noster* distingvere jubet belli statum. *Nam,* inquit, *si tueri me non possum, nisi, quæ mittuntur, intercipiam, necessitas jus dabit, sed sub onere restitutionis, nisi causa alia accedat. Quod si juris mei executionem rerum subvectio impedierit, idque scire potuerit, qui advexit, ut, si oppidum obsessum tenebam, si portus clausos, & jam deditio aut pax exspectabatur, tenebitur mihi de damno culpa dato, ut qui debitorem carceri exemit, aut fugam ejus in meam fraudem instruxit: & ad damni dati modum res quoque ejus capi, & dominium earum rerum debiti consequendi causa quæri poterit. Si damnum nondum dederit, sed dare voluerit, jus erit rerum retentione eum cogere, ut de futuro caveat obsidibus, pignoribus, aut alio modo. Quod si præterea evidentissima sit hostis mei in me injustitia, & ille eum in bello iniquissimo confirmet, jam non tantum civiliter tenebitur de damno, sed & criminaliter, ut is qui judici imminenti reum manifestum*

eximit:

eximit: atque eo nomine licebit in eum statuere, quod delicto convenit, secundum ea, quæ de pœnis diximus. Quare intra eum modum etiam spoliari poterit. Et has ob causas solent a bellum gerentibus publicæ significationes fieri ad alios populos, tum ut de jure causæ, tum etiam ut de spe probabili juris exequendi appareat. Hæc *Grotius* §. 5. Perplacet interim Domini *Ziegleri* JCti eruditissima animadversio in hanc *Grotii* circa tertium genus sententiam. Omnino enim pro argumento hostilitatis haberi poterit, si tertius aliquis populus aut princeps, qui neutri parti addictus esse voluerat, hosti obsidione presso & ad extrema redacto ejusmodi res, quæ sunt usus ancipitis, advehere ausus fuerit, non minus quam si arma advexisset, ad minimum quantum ad hunc actum attinet. Consulatur Vir consultissimus *in notis p. 516.* Cæterum quæ de criminali obligatione *Grotius* noster hic repetit, facile ex iis, quæ *lib. 2. c. 20.* allata sunt, ubi negavimus, quod princeps principem proprie punire possit, dijudicari poterunt.

Modus gerendi negotium quotuplex?

§. 4. *Modus agendi* est vel manifestus vel occultus. Ita manifestus modus gerendi bellum est *vis ac terror*, hoc est, violentus: tacitus vero *dolus*.

[*Grotius* §. 6.]

NO-

NOTÆ.

I. Ita *Homerus* dixit hosti nocendum: *Sive dolo, seu vi manifesta, clamve palamve.* Apud *Virgilium* quoque dictum illud: *Dolus an virtus quis in hoste requirat? Polybius* quæ vi fiunt *in bello minoris censenda quam quæ ex occasione & dolo* asserit, & ex eo *Silius* Corvinum sic inducit loquentem: *Bellandum est astu: levior laus in duce dextra.* Pariter *Juris consulti* Romani *bonum dolum* vocant, *si adversus hostem quis* machinaretur. Sic enim *Ulpianus l. hoc edicto 1. §. non fuit 3. D. de dolo malo* ait: *Non fuit contentus prætor dolum dicere, sed adjecit malum: quoniam Veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant, maxime si adversus hostem latronemve quis machinetur.* Cum quo consentit *Florentinus*, dum *l. nihil 26. D. de captivis* censet *nihil interesse, vi quis an fallacia potestatem hostium evaserit.*

II. Utut allata distinctio inprimis in bellorum materia obtineat, alibi tamen itidem notari meretur.

§. 5. Dolus *alius consistit in actu negativo, alius in actu positivo.* Ille est *dissimulatio*, exempli gratia, *ubi quis per dissimulationem tuetur sua vel aliena*: Hic iterum duplex est, vel enim *consi-* Doli distinctio.

stit

sistit in rebus, & *simulatio vocatur*, vel *in sermone*, & *mendacium* dicitur.

[*Grotius* §. 7. & 8.]

NOTÆ.

I. Dolum, qui consistit in actu negativo, per se & ex sua natura non esse turpem, admittitur facile, nec habet difficultatem. *Nam cũ nec quæ scias nec quæ velis omnia aperire aliis tenearis, sequitur ut dissimulare quædã apud quosdã, id est, tegere & occultare fas sit.*

II. Idem probant *JCti.* Vid. *l. hoc edicto 1. §. dolum malum 2. D. de dolo malo.*

Mendacium quid? §. 6 *Mendacium est falsa significatio cum intentione fallendi.*

[*Grotius* §. 10. & 11.]

NOTÆ.

I. Mendacium prout est mentiendi actus, in suo conceptu duo includit: Unum est *materiale*, alterum *formale*, ut *Scholastici* loqvuntur.

II. Materiale mendacii est falsa significatio. Bene *Grotius* noster: *Significationis falsitas id est, quod ad communem mendacii naturam requirimus.* §. 10. n. 2.

III. Communiter a *Moralistis* materiale mendacii dicitur esse *falsa significatio vocis seu oratio, quæ falsum significat.* Quam sententiam rejectam nolumus, utpote juxta quam denominatio a potiori signo desumitur; potissimum enim signum est vox seu oratio

oratio non modo prolata, ſed & quæ ipſius vicem gerit, ſcripta. Alioquin plura ſunt, quibus aliquid ſignificamus e.gr. nutus, geſtus, veſtitus,&c.

IV. Falſa oratio dupliciter ſumi poteſt: 1. pro ea, quæ diſcrepat a re, quam ſignificat. 2. pro ea, quæ rem aliter ſignificat, quam mens formantis ipſam de ea ſentit. Unde ſi priori modo præciſe ſumatur falſa oratio, certe non omnis qui mentitur falſum dicit, ſed etiam fieri poteſt, ut verum dicendo mentiaris, ſi dum verum dicis falſum te dicere exiſtimes, animoque fallendi proferas.

V. Formale mendacii eſt intentio fallendi alterum. Qui enim mentitur, falſo ſermone non ad ſeipſum, ſed ad alterum utitur, hac fini, ut, quod ipſe pro falſo habet, alter verum eſſe credat, quod eſt fallere alterum ſeu in errorem inducere velle.

VI. Non ergo liquet, quomodo qui falſo ſermone ad infantem aut amentem utitur, mentiri dicendus ſit, cum infans aut amens careat rationis uſu, ſicque falli nequeat. Quid vero ſi quis neſciviſſet eum amentem eſſe, ad quem cum intentione fallendi falſo ſermone utebatur, ſic diceremeum voluiſſe mentiri, non autem mentitum fuiſſe, ut aliud ſit mendacium volitum, aliud mendacium.

VII. *Grotius* noſter §. 11. n. 1. ſcribit: *Ad*

 commu-

communem mendacii notionem requiritur, ut quod dicitur, ſcribitur, notatur, innuitur, intelligi aliter nequeat quam in eum ſenſum, qui a mente proferentis diſcrepet. Verum uti non requiritur ad mendacium, ut quis actu fallatur a mentiente, ita multo minus opus ſemper eſt, ut quod dicitur, ſcribitur, notatur, innuitur, intelligi aliter nequeat, quam in eum ſenſum, qui a mente proferentis diſcrepet. Paucis: ſufficere ad mendacii formalem rationem credimus ex parte dicentis, ſcribentis, notantis, innuentis, ut habeat animum ſeu intentionem fallendi; ex parte ſermonis, ſcripturæ, notæ, nutus, ut poſſit alium fallere. E. gr. ſi quis adhibet orationem, quæ ejus, ad quem ea utitur, menti falſum ſenſum poſſit ingenerare, ita tamen ut ex parte loquentis animus ſit fallendi, non liquet facile, quid obſtet, quo minus ſalva veritate dicatur, ipſum mentitum eſſe. Annon enim ſæpe dicimus; ego non credo, quod hic vel ille dicit, quia mentitur, aliud namque dicit, aliud corde premit.

VIII. Diſtinguendum ergo venit inter ſigna certa & inter probabilia ſigna, quibus mentientes utuntur. Signa certa vocamus, quando talibus ſignis is, qui mentitur, ad fallendum utitur, ut certo prævideat alterum deceptum iri: Probabilia autem ſigna dicimus, quando talibus ſignis, is qui mentitur

titur, ad fallendum utitur, ut ſaltem probabiliter prævideat & cognoſcat, alterum ſic deceptum iri. Et quidni utriusque generis ſigna ad mendacium ſufficere poſſent?

IX. In Scholis alias diſtingvuntur hæc: *mentiri, mendacium dicere, falſum dicere*. Nam *mentiri* dicitur, qui ſe falſum dicere exiſtimat & fallendi animo dicit, ſive alias verum ſive falſum dicat. *Mendacium dicit* juxta nonnullos, qui non modo fallendi animo dicit, quod falſum eſſe exiſtimat, ſed & quod revera ſeu logice falſum eſt; Juxta alios, qui quod eſt falſum ex imprudentia dicit, puta cum quod falſum eſt, ab alio deceptus & in errorem inductus dicit. *Falſum dicit*, qui rem aliter, quam eſt, ſignificat, ſive ſciat falſum eſſe quod profert, ſive ignoret, & ſi novit ſive intentione fallendi ſive recitative tantum proferat.

§. 7. Mendacium eſt vel pernitioſum, quod ex malignitate & in perniciem alterius committitur, *puta cum Dei honos, aut amor proximo debitus, aut reverentia adverſus ſuperiorem, aut rei, quæ agitur, natura exigebant, ut quod animo cogitabatur, omnino pateſieret, ſicut in promiſſis, contractibus, juramentis id aperiendum erat, quod natura contractus intelligebatur exigere*, & tamen *Mendacii diſtinctio.* *Mendacium pernitioſum quid?*

mendacium committebatur; *Ita plane detestanda est illorum impietas, qui ut pueros talis, ita viros jurejurando fallendos asserere non dubitabant.* Vel officiosum, quod pro salute & commodo alicujus committitur, nempe *quoties vita innocentis aut par aliquid aliter servari, & alter ab improbi facinoris perfectione aliter averti non potest: quale fuit factum Hypermnestræ, quæ hoc nomine laudari solet, splendide mendax & in omne virgo nobilis ævum, quoties certum est, eum ad quem sermo est libertatis suæ in judicando læsionem non ægre laturum, imo gratias habiturum eo nomine ob commodum aliquod, quod inde assequitur.* Exempli gratia, *quando quis ægrotantem amicum persuasione non vera solatur, ut Arria Pætum filio mortuo, quæ historia est in Plinii epistolis III, 16.* aut *in prælio periclitanti ex falso nuntio animum addit, quo incitatus victoriam & salutem sibi pariat, ac si deceptus non capiatur. Tale illud apud Xenophontem socios jamjam adfore; & Tulli Hostilii, suo jussu circumduci Albanum exercitum: & Quinctii Consulis, ut historiæ loquun-*

Mendacium officiosum quid?

loqvuntur, salubre mendacium, hostes ab altero cornu fugere: ac similia passim apud Historicos; Vel jocosum, quod joco tantum committitur.

Mendacium jocosum quid?

[*Grotius* §. 10. 14. 16. 18. 19.]

NOTÆ.

I. *Grotius* noster postquam in communi mendacium definiverat, addit: *Huic notioni laxiori strictior mendacii, qua naturaliter illicitum est, significatio differentiam aliquam propriam adjiciat, necesse est*, §. 11. n. 1. Communiter autem hæc differentia peti solet a fine externo, dum nempe aliud mendacium pernitiosum dicitur, quia ad nocendum: aliud officiosum, quia ad juvandum vel se vel alios: aliud jocosum, quia ad delectandum committitur.

II. De jocoso mendacio fere quivis lubenter admittunt, illud qua tale non esse illicitum, cum plerumque jocosa mendacia ita se habeant, ut nullam veri speciem præ se ferant ipsorumque falsitas manibus palpari possit. Hinc etiam inter illos qui volunt omne mendacium esse per se ac suapte natura illicitum, sunt qui negant mendacium jocosum esse mendacium.

III. Etiam qui mendacium sine intrinseca turpitudine dari posse negant, in mendacio officioso & jocoso non esse magnam culpam fatentur. Sic enim *Augustinus in V. Psal-*

Psalmum, relatus a *Gratiano in causam XXII. quæst. 11. c. Nequis: Duo vero sunt genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa; sed tamen non sunt sine culpa; cum aut jocamur, aut proximo consulendo mentimur. Illud autem primum in jocando ideo non est pernitiosum, quia non fallit, novit enim ille, cui dicitur causa jocandi fuisse dictum. Secundum autem ideo minus est, quia retinet nonnullam benevolentiam.*

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

Num mendacium absolute & secundum se consideratum non habito respectu ad finem externum sit turpe adeoque ex suapte natura illicitum?

§. I.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA Arg. I.

PRo affirmante sententia solent adferri etiam a magni nominis Viris sequentia argumenta:

I. Quicquid pugnat cum lege Dei æterna, hoc est per se turpe, ad eoque suapte natura illicitum.

Atqui mendacium absolute & secundum se consideratum non habito respectu ad

ad finem externum pugnat cum lege Dei æterna E.

Mendacium absolute & secundum se consideratum non habito respectu ad finem externum est per se turpe, adeoque suapte natura illicitum.

Major probatur, quia lex naturæ est participatio quædam & manifestatio legis æternæ: neque enim quid Deus secundum legem æternam ab hominibus committi vel omitti velit nobis aliunde constat atque ex lege naturæ. Non ergo potest lex naturæ probare, quod lex æterna vetat. Hoc enim contradictionem implicat. At lex naturæ non vetat nisi per se turpe, adeoque suapte natura illicitum.

Minor probatur, quia mendacium absolute & secundum se consideratum non habito respectu ad finem externum, infinitæ Dei veracitati in genere morum, seu in quantum ea est moralis perfectio, repugnat. Inde nascitur talis prosyllogismus:

Quicquid repugnat veracitati DEI, in quantum ea est moralis perfectio, illud pugnat cum lege DEI æterna. *Prosyllogismus.*

Atqui mendacium absolute & secundum se consideratum non habito respectu ad finem externum, repugnat veracitati DEI, in quantum ea est moralis perfectio E.

Mendacium absolute & secundum se consi-

consideratum non habito respectu ad finem externum pugnat cum lege DEI æterna.

Major hujus prosyllogismi probatur, quia repugnantia cum perfectione Dei morali ab inordinatione, ut loqvuntur, seu ἀταξία morali provenit. Nihil itaque Dei veracitati in genere morum seu ut est moralis perfectio repugnat, nisi quod est moraliter inordinatum seu ἀταξία morali laborat. Sunt igitur termini reciproci: Quicquid cum perfectione morali pugnat, est natura inordinatum, &, quicquid est inordinatum natura, cum aliqua perfectione morali pugnat. Hinc ita argumentatio institui potest: Quidquid natura est inordinatum (de natura rationali semper sermo est) illud omne pugnat cum lege Dei æterna. Sed quicquid Dei veracitati ut est moralis perfectio repugnat, est natura inordinatum E. quicquid veracitati Dei ut est moralis perfectio repugnat, pugnat cum lege DEI æterna. Non autem abs re major propositio prosyllogismi formatur de illis, quæ veracitati Dei tanquam morali perfectioni repugnant. Nam perfectiones Dei sunt in duplici differentia: quædam sunt naturales seu competunt Deo in genere naturæ, ut æternitas, immensitas, omnipotentia. Aliæ κατ' ἀναλογίαν habent se ut morales, seu in genere morum DEO competunt;

petunt, ut veracitas, justitia, misericordia, bonitas. Jam non statim peccatum aut legi æternæ contrarium est, quicquid perfectionibus divinis in genere naturæ repugnat, alioquin enim peccatum ac legi æternæ contrarium esset, hominem edere, bibere, moveri, augeri, mori &c. Quippe cum illa etiam Dei perfectioni in genere naturæ repugnant. At quod perfectionibus Dei moralibus qua talibus, ut veracitati, justitiæ, bonitati, repugnat, id non potest non peccatum esse.

Minor prosyllogismi creditur manifesta ex terminis: Qui enim intelligit, quid sit mendacium, & quanta perfectio sit infinita & summa Dei veracitas, non potest non assensum præbere huic propositioni: *Mendacium absolute & secundum se consideratum non habito respectu ad finem externum, repugnat veracitati Dei, in quantum ea est moralis perfectio.* Nam summe verax dicitur, qui cum ipse non possit falli seu in errorem induci, nunquam habet voluntatem fallendi seu in errorem inducendi alios; quin potius semper habet intentionem dicendi, quod verum est: semper dicit, quia falli non potest, & quia omne verum novit. Unde summa Dei veracitas in infinita ejus sapientia seu scientia fundatur, quatenus non potest falli; in infinita ejus bonitate, quatenus fallere & in errorem alios indu-

cere nec vult nec poteſt velle: At qui mentitur, vult alios fallere, ſiquidem quod credit falſum eſſe, loquitur & ex intentione fallendi pro vero venditat. Contradictionem proinde implicat Deum eſſe ſumme veracem & tamen mentiri, Deum eſſe immutabiliter veracem & tamen mentiri poſſe.

Arg: II. II. Qui lingua & verbis abutitur, hoc eſt, non ad id utitur, cujus gratia inſtituta ſunt, is peccat.

Atqui quisquis mentitur, lingva & verbis abutitur, hoc eſt, non ad id utitur, cujus gratia inſtituta ſunt E.

Quisquis mentitur, peccat & per conſequens mendacium abſolute & ſecundum ſe conſideratum non habito reſpectu ad finem externum eſt per ſe turpe adeoque ſuapte natura illicitum.

Arg. III. III. Quicunq; alteri ſuũ, quod ſi vel maxime velit, ſalvo naturæ jure a ſe abdicare nequit, non tribuit, eligit id quod eſt per ſe turpe & ſuapte natura illicitum.

Atqui quisquis, mentitur alteri ſuum, quod ſi vel maxime velit, ſalvo naturæ jure a ſe abdicare nequit, non tribuit E.

Qui mentitur alicui, eligit id, quod eſt per ſe turpe & ſuapte natura illicitum, adeoque mendacium abſolute & ſecundum

dum se consideratum non habito respectu ad finem externum est turpe & ex suapte natura illicitum.

Major est per se manifesta ac juris naturalis.

Minor probatur: nam suum cuique jus inter alia etiam hoc est: ne ab altero dedita opera fallatur, aut ne ab altero ipsi fallacia intendatur aut struatur. Ut enim quilibet habet jus conservandi suum corpus & membra sui corporis in debita perfectione, puta ne vulnerentur, mutilentur &c. ita etiam habet jus conservandi partes & potentias animæ principes in perfectione convenienti quantum est in ipso. Nempe ut veri hominis corpori non est conveniens vulneratio, mutilatio membrorum, quia est corruptio quædam physica ejus, quod ad integritatem & sanitatem corporis pertinet: sic multominus intellectui conveniens est, aberrare a vero & falso adhærere. Ut ergo homo habet jus, ne vulneretur in corpore, aut mutiletur, aut vita privetur, sic habet jus ratione intellectus, ne consulto in errorem errorisve periculum ab altero inducatur. Et quod præcipuum, uti nemo est dominus membrorum & vitæ suæ, eoque nemo potest alteri potestatem facere sibi vitam adimendi: Ita quoque nemo est dominus intellectus sui, quippe Deus hominem condidit vitæ & vitalium actionum causa,

causa, & cumprimis intellectum dedit scientiæ non ignorantiæ, veritatis non falsitatis gratia. Quemadmodum jam nemo potest alteri contra Dei voluntatem jus dare, ut sibi vitam adimat, in quam solus Deus habet jus supereminens: ita nemo potest alteri contra Dei voluntatem & ordinationem jus dare, ut intellectum suum erroribus imbuat. Si homo ex desperatione vult se occidi, Deus tamen vult contrarium. Sic si vel maxime quis velit se falso hærere, seu in errorem induci, Deo tamen displicet illud velle, quia est inordinatum. Quælibet enim res propendet in sui conservationem, eoque appetit sui perfectionem. Ergo etiam quilibet homo, quatenus habet intellectum, appetit & debet appetere intellectus perfectionem, quæ in veritate consistit. Alioquin ut peccat qui appetit sui interitum e. gr. αὐτόχειρ, sic nec expers peccati est, qui appetit intellectus sui imperfectionem e. gr. ignorantiam veri & approbationem falsi. Quantum igitur est in homine situm, debet operam dare, ne falso hæreat sive falsis assensum præbeat, tantum abest ut possit alteri potestatem facere sui fallendi.

ARG. IV. IV. Quod quis sibi non vult fieri, alteri salvo jure naturæ facere nequit.

Atqui nemo vult se mendacio falli E.

Nemo salvo naturæ jure alteri mentiri potest

poteſt, & per conſequens mendacium abſolute & ſecundum ſe conſideratum non habito reſpectu ad finem extrinſecum eſt per ſe turpe adeoque ex ſuapte natura illicitum.

Major eſt juris naturalis.

Minor probatur, quia quisquis vult ſe mendacio falli, ita ut ipſum amet & expetat mendacium ſeu deceptionem, quæ fit mendacio, aut utitur recta ratione, aut corruptam habet rationem. Si vir bonus eſt & recta ratione utitur, non poteſt directe & per ſe amare aut probare deceptionem, qua in errorem inducebatur, quia quædam imperfectio intellectus eſt falſo hærere, aut falſis aſſenſum præbere: hanc autem imperfectionem recta ratio deteſtatur, tantum abeſt, ut expetendam judicet. Si vero corruptam habet rationem corruptumque appetitum, quid mirum velle decipi? Qui vult ſui interitum tanquam bonum apparens, non ex ſana, ſed ex corrupta ratione ea de re judicat. Non minus corruptum habet judicium, qui vult decipi aut in errorem induci, quam qui vult ſui interitum tanquam bonum apparens.

§. 2. Pro negante ſententia *Grotius* utitur ſequenti argumento: PRO NEGANTE SENTENTIA ARG.

Si nulla circumſtantia oſtendi poteſt, quæ intrinſece & per ſe fundet turptudinem mendacii abſolute & ſecundũ ſe cõſiderati

rati non habito reſpectu ad finem, ſequitur, quod illud per ſe non ſit turpe, adeoq; nec ex ſuapte natura illicitum.

Prius eſt verum E. & poſterius.

Conſequentia patet.

Prius tamdiu manet verum, donec oſtendatur ejusmodi circumſtantia, quæ per ſe fundet turpitudinem mendacii abſolute & ſecundum ſe conſiderati non habito reſpectu ad finem. Aut enim mendacium ſi abſolute & ſecundum ſe conſideratum non habito reſpectu ad finem eſſet turpe, turpe eſſet, quia importat falſam ſignificationem, hoc eſt, ex parte materialis, aut quia notat intentionem fallendi, hoc eſt, ex parte formalis. Illud dici nequit, cum id quod falſum, eſt, ſigno exprimere ſit indifferens in genere morum. Quivis enim iſtud, ſi fiat ex bona intentione, nempe ut homines doceantur id falſum eſſe, moraliter licitum cenſet. Hoc ſi admittendum, prius monſtretur oportet, cur nullatenus liceat ſcienter quicquam proferre cum ſignificatione, quæ mentis conceptui ſive intelligendo ſive in volendo diſconveniat. Nihil enim aliud notat notio τῦ fallere, quam ſcienter quicquam proferre cum ſignificatione, quæ mentis conceptui ſive intelligendo ſive in volendo diſconveniat, aut, ut alii definiunt, fallere eſt gignere in alterius mente aſſenſum falſæ propoſitioni præbitum, ita ut falſa propoſitio notet omnem propoſitionem,

quæ

quæ eſt contradictoria illi, quam proferens pro vera habet, ſive ea de cætero cum objecto conveniat, ſive ab eodem diſcrepet.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata Grotii veſtigiis inſiſtens reſpondebit, & quidem

AD I.

Ad I. negando minorem cum principalis ſyllogiſmi, tum proſyllogiſmi hujusque probationem. Omnis enim vis totius diſcurſus huc redire videbatur, quod ſume verax non poſſit falli, nunquam fallere nec velle fallere poſſit: fundamentũ autem ſumæ veracitatis in eo ponebatur, quod Deus, quia eſt omniſcius, non poſſit falli, & ita ſane eſt, omniſcius Deus falli nequit: & quod Deus, quia infinitæ bonitatis eſt, nequeat fallere, nec velit, nec poſſit velle fallere: Et hoc certe veriſſimum eſt, ſi per actum fallendi actus turpis intelligatur. Hæc interim difficultas remanet, annon ſalva omni perfectione morali Deus ſcienter quicquam proferre poſſit cum ſignificatione, quæ mentis conceptui ſive intelligendo ſive in volendo diſconveniat? Si per ſe & ex ſua natura turpe eſſet ſcienter quicquam proferre cum ſignificatione, quæ mentis conceptui ſive intelligendo ſive in volendo diſconveniat, procul omni dubio per ſe etiam illicitum eſſet ſermonem ad alios dirigere inque eo uti vocabulis ambiguis, utut certo ſcias eos, ad quos verba facis, aliter ſermonem intel-

intellecturos esse. Ita Christus dixit: Lazarus amicus noster dormit, ut significaret Lazari mortem, cum tamen scivisset Apostolos hæc verba accepturos esse, tanquam de dormitione somni diceretur. Et quod de templo instaurando ipse dixerat, intelligens hoc de suo corpore Judæos sciebat accipere de templo proprie dicto. Sic & cum Apostolis ad instar Pylarcharum apud Hebræos sedes eximias & Regi proximas duodecim promisisset, satis scivit non aliter hoc ab illis accipi quam de regno aliquo hujus vitæ, cujus spe ad ipsum momentum Christi ad cœlum ascensuri pleni erant. Extant alia exempla. Ita *Jos. VII.* legitur populus Judaicus ex invasione Haji magnam cladem accepisse, adeo ut sex & triginta millia virorum eadem die ceciderint, ob Hacanis prævaricationem in anathemate. Evenit postea ut Deus reconciliatus Josuæ animum adderet dicens: Ne timeto,neque consternator, sume totum populum bellicosum, & surgens ascende versus Hajum, vide trado in manum tuam Regem Haji & populum ejus, & civitatem ejus, & terram ejus, ut facias Hajo & Regi ejus, sicut Jerichunti & Regi ejus fecisti. Pone insidias urbi post eam. Surrexit igitur Josua totusque populus bellicosus, ut ascenderent versus Hajum, & delegit Josua triginta millia virorum fortium, ut noctu

eos

eos præmitteret, præcepitque iis dicens: Vos, qui insidiaturi estis urbi a posteriori ejus parte probe dispicite, ne nimis procul ab ipsa urbe pedem figatis, omnesque semper in armis & parati sitis: ego autem totusque hic populus bellicosus, qui mecum erit, appropinquabimus ad urbem, fietque ut hostes ex urbe egressi nos fugent, itaq; securi urbem suā derelinquent, tum vero vos invadetis urbem. Postea admovit populus Judaicus castra, primoque mane Rex Haji insidiarum nescius cum omni milite populo Judaico obviam processit, eumque fugam longissimam simulantem persecutus est, nec quisquam in urbe remansit. Mox ad Jehovæ mandatum extendit Josua vexillum, quod erat in manu sua, versus Hajum, & illico insidiæ invaserunt urbem, ceperunt eam & accenderunt, videntesque viri Haji ascendentem fumū gressus revocarunt; ab Israelitis vero insistentibus ipsisque insidiis obviam factis adeo percussi perhibentur, ut ne unicū relinquerent superstitem, aut effugienté, ceu pluribꝰ ex *sequenti cap.* perspicere est. Hic, vix dubiū est, quin Josua & Israëlitæ cū fuga se cæsos simularent, falsum significaverint cum animo fallendi. Nam habebant intentionem significandi aliud, quam quod mente tenebant, nempe se esse cæsos. Deinde utut currere per se indifferens sit, tamen conspecto hoste fugere est

indicium metus vel cladis. Quod enim ut plurimum ad cladem ſequitur, eſt ſignum cladis ſaltem probabile, & quod ad fallendum ſufficit. Quippe probabilius eſt aliquos ad conſpectum hoſtium fugientes metuere, quam non metuere, cladem accepiſſe, quam non accepiſſe. Denique probabile erat Iſraëlitis, incolas urbis Ai fugam ſic fore interpretaturos tanquam ipſi metu perculſi iterum hoſtibus reſiſtere non poſſent ſeu tanquam victas darent manus. Putabunt enim, dicebat Joſua, nos fugere ſicut prius. At prius revera fugerant ideo, quia cæſi erant & reſiſtere non poterant. Idem eſto judicium de Davide I. Sam. XXI. 14. quapropter mutabat ſibi ſpeciem ſuam in oculis eorū, & agebat inſaniam in manibus eorum, ſignabat valvas portæ, demittebatq; ſalivam in barbam ſuam, quia timebat valde ab Aciſcho Rege Gathi.

Resp. ad Arg. II. Ad II. neg. majorem, niſi vox abuſus ſic intelligatur, ut moralem turpitudinem aut injuſtitiam includit, ſic namque minoris probatio adhuc deſiderabitur.

Resp. ad Arg. III. Ad III. neg. minorem & probationem ejus. Hoc enim eſt κρινόμενον, num fallere ſit per ſe turpe? De quo niſi ſatis conſtiterit, non poterit dici, quod rectæ rationi ſemper diſpliceat velle officioſo mendacio falli, quodque fallere cum perpetua ἀταξία morali conjunctum ſit.

Ad

Ad IV. neg. minorem ejusque probationem. Probandum erat deceptionem absolute & secundum se consideratam non habito respectu ad finem esse moralem imperfectionem. Quo nondum probato, præsumetur quis jure suo se abdicasse, quod habebat, ne falleretur, æque ac circa antecedens argumentum monebatur salvo isto principio, suum cuique esse tribuendum, in certo casu quempiam falli posse. RESP. AD ARG. IV.

§. 4. Occasionem hujus quæstionis toto fere capite *Grotius* subministrare voluit, quem tamen nimis fluctuantem quisque cum attentione singulos paragraphos legens facile deprehenderit. Interim dum post bene multa pro utraque sententia allata testimonia & exempla expresse §. *10.* scribit: *Tam dissidentium sententiarum conciliatio forte aliqua reperiri poterit ex largiore aut strictiore mendacii acceptione. Neque hic mendacium sumimus quatenus & imprudenti accidit, quomodo mendacium dicere & mentiri apud Gellium discernuntur: sed de eo agimus, quod scienter profertur cum significatione, quæ mentis conceptui sive intelligendo sive in volendo disconveniat.* Et §. *11.* *Notioni laxiori strictior mendacio, qua naturaliter illicitum est, significatio differentiam aliquam adjiciat necesse est*: vel ex his verbis constare satis posse credimus, injuriam *Grotium* nequaquam ad formale mendacii require- OCCASIO QUÆSTIONIS.

re. Nam *Grotium* mendacium largius & ſtrictius non diviſiſſe ut ſpecies, extra dubium quisque ponit, inde vero nondum ſequitur, ipſum ea diſtinxiſſe ut æquivoca. Non enim licebit primo ſic argumentari: Si licitum & illicitum ſub uno communi genere ut duæ ſpecies comprehendi non poſſunt, ſequitur, *Grotium* mendacium largius & ſtrictius non diviſiſſe ut ſpecies, ſed æquivoca. Quis namque ſtatim æquivoca dixerit, quæ ſub uno genere comprehendi nequeunt? Ita ens & ſubſtantia comprehendi non poſſunt ſub uno communi genere, numne igitur ens largius ſumtum (prout etiam accidens a *Philoſopho* ens dicitur) & ens ſtrictius acceptum (ut ſola ſubſtantia ab *Ariſtotele* ens, accidēs nō ens vocatur) *Ariſtoteles* diviſit ut æquivoca, nec illud (hoc eſt, ens largius dictum) ſub entis proprie ſic dicti nomine comprehendere voluit? ἄτοπον. Ut nihil de eo dicamus, quod licitum & illicitum ſub uno communi genere ut duæ ſpecies comprehendi poſſint, ut virtus moralis & vitium morale ſub habitu, cum hoc ad præſens nihil faciat. Neq; vero mendacium largius *Grotio* idem eſt quod licitum, ſed largior notio mendacii (ut *Scholæ* loqvuntur) a notione liciti & illiciti, æque ac habitus moralis a notione virtutis & vitii abſtrahit. Secundo, cui quæſo uſui eſſet hæc argumentatio: *Grotius* ait notioni menda-

mendacii ſtrictiori differentiam aliquam propriam adjiciendam eſſe E. indicat notionem illam communem mendacium verum ex mente ſua non involvere? Alias nihil adjiciendum, ſed potius detrahendum aliquid eſſet; quorſum enim quadraret hæc argumentatio: hæc quippe verba erant *Grotii: Notioni* mendacii *laxiori ſtrictior mendacii, qua naturaliter illicitum eſt ſignificatio differentiam aliquam propriam adjiciat neceſſe eſt.* Inde vero ſequitur, notionem illam communem mendacium naturaliter illicitum non involvere, hoc eſt, poſſe aliquid eſſe verum mendacium, ſive ſit naturaliter illicitum ſive licitum. Quemadmodum notioni laxiori actionis ſtrictior actionis, qua perſonalis eſt, ſignificatio differentiam aliquam propriam adjiciat neceſſe eſt. Unde ſine dubio *Grotius* ita cenſuit, mendacium in communi eſſe id, quod ſcienter profertur cum ſignificatione, quæ mentis conceptui ſive intelligendo ſive in volendo diſconveniat, (nam quæ *§.11.* ad communem mendacii notionem requirit, hæc ut definitionem ſuam explicaret adjecit,) omneque illud proprie mendacium eſſe, ſed ita demum eſſe ſtricte dictum mendacium, cum accedit repugnantia cum jure exiſtente ac manente ejus, ad quem ſermo aut nota dirigitur, ſeu ut *§.14.* docet, cum eſt injurioſum. De cætero merito verendum,

ne auditis vocibus: *mendacium*, *fallere*, quisque turpitudinem ac injustitiam concipiat, imo tot eruditissimi viri dubitant, an hæ voces unquam turpitudinem excludant; de quo tamen aliis judicium relinquentes cum *Grotio* etsi recte hic sensisset, loqui nunquam possumus.

Quæstio II.

An stante eo, quod mendacium quodvis sit per se turpe ac ex suapte natura illicitum, adhuc reservationes mentales licitæ sint?

PRO AJENTE SENTENTIA ARG. I.

§. 1. Affirmans sententia probari solet sequentibus argumentis.

I. Dicere veritatem est per se licitum.

Reservationibus mentalibus uti est dicere veritatem E.

Reservationibus mentalibus uti est per se licitum.

Minor probatur, nam licet, qui reservationibus mentalibus utitur, ejusmodi verba usurpet, quæ ex sua significatione non sint ambigua nec verum sensum admittant ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus, verum tamen sensum reddunt ex additamento, ut si quis vel solus vel coram aliis interroga-

rogatus, sive sua sponte, sive recreationis causa, sive quovis alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, vel alio die ab eo quo fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non est perjurus, nec mentitur, sed tantum non dicit unam veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, atque verba illa significant, sed aliam veritatem disparatam, hoc est, sunt reservationes mentales propositiones mixtæ, quæ partim vocis prolatione, partim silentio constant, quando sensus animi partim exprimitur, partim silentio premitur.

II. Si Judex non juridice interrogans non potest ullam obligationem imponere ad crimen aperiendum, sequitur, quod non juridice interrogatus non teneatur respondere ad mentem judicis, & per consequens licet uti artificio reservationis mentalis absque mendacio. ARG. II.

Prius est verum E. & posterius.

Prius probatur, quia interrogatus non concedit judici jus, ut non juridice procedat, sed ut juste & secundum ordinem juris, unde poterit sine mendacio negare crimen, quia talis reus negat crimen notorium, de quo tantum rogare præsumitur judex, cum interim rei crimen occultum esse statuatur.

Consequentia patet, quia voces cum sint conceptuum signa, vox hæc; *nescio*, re-

cipere hunc ſenſum poteſt: *neſcio ut tibi modo dicam*, quare non adverſatur alteri veritati, *ſcio ſimpliciter*, etiamſi propriis id, de quo interrogaris, vidiſſes. Nam ſi tantum auditu teneres, dubium non eſt quin poſſis reſpondere, *te neſcire*, quandoquidem quod credimus, non proprie ſcimus.

ARG. III. III. Quoties quis habet juſtas cauſas mentem ſuam celandi, toties poteſt cum reſervationibus mentalibus loqui, ſcribere, jurare &c.

Atqui quoties neceſſitas, utilitas, aliaque cauſa rationabilis, ut defenſio ſui ſuorumque &c. adſunt, toties quis habet juſtas cauſas mentem ſuam celandi E.

PRO NEGANTE SENTENTIA ARG. §. 2. Negans ſententia facile probatur ſequenti argumento:

Si omnes reſervationes mentales ſunt mendacia, ſequitur, ſtante eo, quod mendacium quodvis ſit per ſe turpe ac ex ſuapte natura illicitum, eas eſſe per ſe turpes ac ex ſua natura illicitas.

Prius eſt verum E. & poſterius.

Prius probatur, quia reſervatio mentalis eſt 1. *ſignificatio*, hoc eſt, quædam prolatio ſigni vel prolationis ſigni omiſſio, quæ & ipſa nonnunquam ſignum eſt. Conf. ea, quæ de ſignis poſitivis & negativis ſupra *p. 684. & ſeqq.* diximus. 2. *falſi*: eſt namque reſponſio exterius prolata contradictoria illi, quam

quam reſervans mente tenet proque vera, habet. 3. *cum intentione:* quis enim neget, reſponſionem a deliberata reſervantis voluntate procedere. 4. *fallendi:* vult ſcilicet reſervans gignere in mente alterius aſſenſum falſæ propoſitioni præbitum.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata reſpondetur, & quidem

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. negando propoſitionem majorem ejusque probationem. Si enim reſervationes mentales admittantur, jam nihil obſtabit, quo minus qui quid affirmat id ipſum negare, qui negat affirmare dicatur. Cæterum propoſitionis mixtæ, quæ partim vocis prolatione, partim ſilentio conſtet, quam frequens in ſcriptis Scholaſticorum & ore Jeſuitarum figmentum eſt, tam quoque ineptum & abſurdum manet. Oratio enim, de qua hic ſermo eſt, non eſt niſi illa, quæ πρὸς ἕτερον ſive ad alium eſt, quaque in converſatione communicandorum conceptuum ergo utimur, quomodo vero per orationem internam conceptus communicari poterit?

AD ARG. I.

Ad II. reſponſio facilis eſt. Nam ut nihil de eo dicamus, quod judex eo modo, quem reſervationum mentalium Patres communiter deſcribunt, non juridice interrogans in Utopia quærendus ſit, ſane nulla plane conſequentia eſt majoris: Poſito namque judicem juridice non interro-

RESP. AD ARG. II.

gantem, ut ab iis fingitur, dari posse, judicis tamen error & vitium nil quicquam derogare potest auctoritati judicii. Præterea res periculosissima est, permittere reo, ut judicet, num juridice interrogatus sit. Et quicquid tandem sit de his omnibus, posito nullam obligationem a judice juridice non interrogante posse reo imponi, exinde tamen haudquaquam sequitur, judici a reo mentali reservatione illudi posse, sed hoc saltem, reum posse respondendi necessitatem detrectare vel tacendo, vel protestando, vel appellando. Quod in probatione consequentiæ dicebatur de duplici significatione vocis *nescio*, seipsum refutat. Quis enim unquam fando audivit verbum *nescio* habere hanc significationem, *nescio ut tibi dicam*. Quis quæso auditis his significationibus vocum: *nescio*, id est, nescio ut tibi dicam, *non habeo*, id est, non habeo ut tibi dem, *non feci*, id est, non feci ut tibi revelem, *non occidi Titium*, id est, non occidi Titium in arca Noæ, & id genus innumeris, risum contineret?

RESP. AD ARG. III. Ad III. respondetur negando propositionem majorem, utpote quæ falsissima est. In conversatione extrajudiciali non est invocatio Numinis, non renunciatio divinæ misericordiæ facta sub hac conditione, nisi verum dixeris. Unde ab ipsa ad conversationem judicialem, maxime eam, in qua dela-

delato juramento jubemur animi sensa proloqui, nulla est consequentia. Quacunque arte verborum juraveris, Deus, qui conscientiæ testis est, accipit juramentum, sicut ille, cui juratur, intelligit. Sane si in promissionibus, pactis, fœderibus, contractibus, juramentis reservationes admittantur, fiet, ut omnes actiones in vita & hominum societate pernecessariæ suo frustrentur fine, in cassum ibunt omnes actiones forenses, inquisitiones in crimina, adjurationes: veritas ex sceleratis elici nunquam poterit, manebunt nefanda facinora impunita. Peribit fides ab omni fere commercio humano per illud monstrum. Brevi omnia inficiet illa pestis, nisi caveas.

§. 4. Occasionem quæstionis exhibet *Grotius l. 3. c. 1. §. 17. n. 3. Non placent hæc,* inquiens, *Schola actorum paulo ante seculorum, ut quæ unum ex Veteribus Augustinum ferme in omnibus sequendum sibi elegerit. Sed eadem Schola tam ab omni usu abhorrentes admittit interpretationes tacitas, ut dubitari possit, annon satius sit adversus quosdam falsiloquium admittere iis, quos diximus, casibus, aut eorum aliquibus, (nihil enim definiendum hic sumo) quam ista a falsiloquio tam indiscrete eximere: ut: cum dicunt, nescio, intelligi posse, nescio ut tibi dicam; non habeo, intelligi posse ut tibi dem; & id genus alia, quæ sensus communis repudiat, & quæ si admittantur,* OCCASIO QUÆSTIONIS.

tur, jam nihil obstabit, quo minus qui quid affirmat, id ipsum negare, qui negato, affirmare dicatur. Quibus verbis recte notat *Grotius*, quod *Scholastici* verbis dissentiant, reipsa longe graviorē, si vel maxime *Grotius* errasset, errorem defendant. Et sane ita est, adeo rigorose propugnant mendacium in communi per se turpe atque quodvis ex suapte natura adeo illicitum esse, ut si vel levissimo mendaciolo omnes damnati ex diaboli faucibus ac inferno redimi possent, illud tamen nullatenus committendum foret. Tradit hancce rem Scholasticorum patriarcha, *Lombardus*, alias Magister sententiarum dictus, *libro sententiarum tertio, distinctione trigesima octava, de triplici mendacii distinctione*, dum §. 1. sic disserit: *Sciendum tamen tria esse genera mendaciorum: Sunt enim mendacia quædam pro salute vel commodo alicujus, non malitia, sed benignitate dicta, qualiter obstetrices mentitæ sunt, & Raab. Est & aliud mendacii genus, quod fit joco, quod non fallit. Scit enim cui dicitur, causa joci dici, & hæc duo genera mendaciorum non sunt sine culpa, sed non cum magna. Perfectis vero non convenit mentiri, nec etiam pro temporali vita alicujus, ne pro corpore alterius animam suam occidant. Licet autem eis verum tacere, sed non falsum dicere: ut si quis non vult hominem ad mortem prodere, verum taceat,*

ceat, sed non falsum dicat. Tertium vero genus mendacii est, quod ex malignitate & duplicitate procedit, cunctis valde cavendum. His videtur innui mendacia illa, quæ fiunt joco vel pro salute alicujus imperfectis esse venialia peccata, perfectis vero illud, quod pro commodo alterius dicitur esse damnabile, quod etiam de mendacio judicari potest, præcipue si iteretur. Et paulo post *eodem §. Quisquis aliquod genus esse mendacii, quod peccatum non sit, putaverit: decipit seipsum turpiter: cum honestum esse deceptorem aliorum arbitretur. Omne ergo genus mendacii summopere fuge: quia omne mendacium non est a Deo.* Et *§. mentiri: Quod vero omne mendacium sit peccatum, Augustinus in enchir. cap. 18. insinuat: Mihi, inquit, videtur omne mendacium esse peccatum: sed multum interest, quo animo, & de quibus rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat, qui consulendi, ut qui nocendi voluntate mentitur: nec tantum nocet, qui viatorem mentiendo in diverso itinere mittit, quantum qui viam vitæ mentiendo depravat. Porro omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia hoc debet loqui homo, quod animo gerit, sive illud verum sit, sive putetur & non sit. Verba enim ideo sunt instituta, non ut per ea homines invicem fallant, sed per ea in alterius notitiam suas cogitationes ferant. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod sunt insti-*

instituta, peccatum est. Nec ideo etiam ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus alicui aliquando prodesse mentiendo: possumus enim, ut prædictum est, & furando & adulterando prodesse. Mendacium quoque non tunc tantum esse possumus dicere, cum aliquis læditur. Cum enim a sciente dicitur falsum, mendacium est sive, quis, sive nemo lædatur. Ecce ex his constat omne mendacium esse peccatum. Eadem habentur in *Jure Canonico, causa 22. q. 2. c. 4.* Interim longe periculosior est *Scholasticorum* de reservationibus mentalibus opinio: nam ubi mendacium licitum non est, longe turpior erit reservatio mentalis: & ubi periculosum aut pernitiosum est mendacium, longe periculosior erit & pernitiosior reservatio mentalis. Extat hanc in rem egregia dissertatio Dni Georgii Gœzii, Viri meritissimi & de Academica juventute & de Christi ecclesia, Præceptoris & Promotoris pia æternaque observantia colendi, *de fraude enthymematum sive reservationum mentalium, adversus Pontificios, inprimis Jesuitas*, Jenæ anno 66. habita.

CA

CAPUT II.

De BELLO IMPERFECTO EJUSQVE MODIS, ANDROLEPSIA ET REPRESSALIIS.

§. I.

BEllum publicum aliud est *imperfectum*, aliud perfectum. *Belli distinctio.*

[*Grotius c. 2. §. 2. n. 3.*]

NOTÆ.

I. Sæpe namque *ubi ad belli plenitudinem nondum ventum est, tamen violenta quadam juris exsecutione opus est. Grotius ibid.*

II. De bello imperfecto *hoc capite, sequentibus* vero de perfecto bello agetur.

§. 2. Bellum imperfectum est, quando *corpora bonave cum corporalia, tum incorporalia* subditorum ad satisfaciendum pro imperantibus *detinentur & obligantur.* *Bellum imperfectum quid?*

[*Grotius §. 2. n. 1. & § 5. n. 2*]

NOTA.

Hujusmodi bella ostendunt denunciationum formulæ: *Populis priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis bellum indico facioque.* Et in rogatione: *Vellent, juberent Philip-*

Philippo Regi Macedonibusque qui sub Regno ejus essent, bellum indici. Et in decreto ipso: *Populus Romanus cum populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum jussit,* quod ex *Cincio* est *in re militari.* & alibi: *Hostis sit ille, quique intra præsidia ejus sunt.*

Bellum imperfectum quotuplex? §. 3. Belli imperfecti iterum duæ sunt *species* aut, si ita malis loqui modi, Ἀνδροληψία & ἐνεχυρασμός.

[*Grotius §.3. n. 1. & §.4.*]

Ἀνδροληψία quid? §. 4 Ἀνδροληψία est belli imperfecti modus, quo corpora subditorum detinentur, sicque ipsis *libertas morandi ubi velint, & agendi quod velint* eripitur, *ita ut* quasi *in servitute interim sint*, nec liceat ipsis, quo velint abire, sed tamdiu morari teneantur, *donec civitas*, aut qui regendo civitati præest, aut præsunt, *id faciat quod facere tenetur*, sicque demum res componatur. *Sic Carthagine quidam impedierunt, ne Ariston Tyrius caperetur hac addita causa, idem Carthaginensibus & Tyri & in aliis emporiis, in quæ frequenter commeent, eventurum.*

[*Grotius §.3. n. 1. & 5.*]

NOTA.

Jus ἀνδροληψίας forte aliqui populi extende-

tenderunt ad vitam ſubditorum innocentium, eo quod crederent unicuique hominum jus vitæ plenum eſſe in ſe, & id ad Rempublicam transferri potuiſſe, quod minime conſentaneum eſſe naturali juri & æquitati *ſupra cap. 21. p. 1297.* demonſtratum eſt.

§. 5. Ἐνεχυρασμὸς eſt belli imperfecti modus, *quo bona cum corporalia, tum incorporalia ſubditorum ejus, qui jus non reddit, capiuntur*, donec ſatisfiat. Vetuſtiſſimum exemplum eſt apud *Homerum, ubi Neſtor narratur ob ereptos patri equos Elidenſium pecora & armenta cepiſſe.* Aliud exemplum eſt in *hiſtoria Romana de Romanorum navibus, quas pro bonis Tarquiniorum Cumis Ariſtodemus Tarquiniorum hæres retinuit.* Et apud *Ariſtotelem Oecon. II. de decreto Carthaginenſium ad prehendendas exterorum naves*, ut *ibi* loquitur, *ſi quis jus prehendendi haberet.* Dicitur *pignoratio inter populos diverſos*, recentiores *JCti jus repreſſaliarum* vocant, Saxones & Angli *Withernahmium*, Galli etiam, ubi a Rege impetrari id ſolet, *literas Marcæ.* Ἐνεχυρασμὸς quid?

[*Grotius §. 4. & 5.*]

Discrimen triplex ejus quod jus Gentium circa prehensiones & pignorationes disponit, ab eo, quod jure civili disponitur.

§. 6. Bella hujusmodi imperfecta, ut juris Gentium sunt, multis omnino modis differunt a prehensionibus hominum & repressaliis, ut de iis lex civilis disponit: Ita differunt primo ratione objecti: nam *jure gentium subjacent pignorationi omnes subditi injuriam facientes, qui tales sunt ex causa permanente, sive indigenæ, sive advenæ:*
1. *At jure civili populorum sæpe excipi solent personæ mulierum & infantium; eorum vero, qui literis operam dant &*
2. *ad mercatus veniunt etiam res.* Secundo ratione efficientis *jure gentium singulis pignorandi jus est: Jure civili multorum locorum peti id solet alibi a potestate summa, alibi a judicibus.*
3. Tertio ratione effectus formalis: *Jure gentium ipso facto dominium rerum captarum acquiritur ad summam debiti & sumptuum, ita ut residuum reddi debeat: Jure civili solent citari, quorum interest res publica auctoritate divendi aut addici iis, quorum interest.*

[*Grotius* §. 7.]

NOTÆ.

I. *Hæc atque alia peti debent ab his, qui jam civilia tractant, & nominatim in hac* *mate-*

materia a Bartolo, qui de repressaliis scripsit.

III. *Caeterum non minus in hac materia, quam in aliis cavendum est, ne confundamus ea, quae juris gentium sunt proprie & ea, quae jure civili aut pactis populorum constituuntur.*

QUÆSTIO.

An ejusmodi bella imperfecta possint dici justa?

§. I.

PRo negante sententia facit sequens argumentum: PRO NEGANTE SENTENTIA

Quodcunque per se & ex suapte natura æquitati naturali contrarium est, hoc nequit dici justum. ARG.

Atqui ejusmodi bellum imperfectum est per se ac suapte natura æquitati contrarium E.

Major patet.

Minor probatur, quia ejusmodi bellum est, quo innocentium subditorum corpora aut res capiuntur, jam vero mero naturæ jure ex facto alieno nemo tenetur, nisi qui bonorum successor est, unde æquitati naturali contrarium, ut pro alienis debitis alii molestentur, ceu Imperator Zeno dixit.

PRO AJENTE SENTENTIA ARG.

§. 2. Affirmans ſententia probatur ſequenti argumento:

Quicquid eſt inter jura illa, quæ Juſtinianus ait uſu exigente & humanis neceſſitatibus a gentibus humanis conſtituta, illud poteſt dici juſtum.

Atqui ejusmodi bellum imperfectum eſt inter jura illa &c. E.

Major eſt manifeſta.

Minor probatur: expreſſit namque ejusmodi bellum imperfectum quædam neceſſitas, quod alioqui magna daretur injuriis faciendis licentia, cum bona imperantium ſæpe non tam facile poſſint in manus venire quam privatorum, qui plures ſunt. Exegit quoque uſus, quippe commodum ex hac obligatione commune erat omnibus populis, ita ut qui nunc eo gravaretur, alio tempore indidem ſublevari poſſet.

RESPONDETUR AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

§. 3. Ad argumentum in contrarium allatum reſpondetur negando minorem. Quod probationem attinet, equidem verum eſt, ſi merum jus naturæ reſpiciatur, ex facto alieno neminem teneri, niſi bonorum ſucceſſorem; non tamen ita hoc naturæ repugnat, ut non more & tacito conſenſu induci potuerit, cum & fidejuſſores ſine ulla cauſa ex ſolo conſenſu obligentur. Et ſpes erat facilius membra ejusdem ſocietatis a ſe mutuo jus conſequi poſſe, & indemnitati ſuæ conſulere, quam externos, quorum multis

multis in locis exigua habetur ratio. . Imo certe quamplurima sunt, quæ extra societates turpia sunt, utut societatibus licita sint, æque ac multa in societatibus illicita sunt, utut extra societates licita fuissent. Civili enim societate ad tuendam tranquillitatem instituta statim civitati jus quoddam majus in nos & nostra nascitur, quatenus ad finem illum id necessarium est, ceu supra *p. 609.* monuimus. Imo ad juris hujus satis per se rigidi emollitionem pertinet, eos qui non solvendo quod debebant, aut jus non reddendo causam dederunt pignorationibus, ipso naturali jure teneri ad resarcienda damna aliis, quibus eam ob causam aliquid decedit.

§. 4. Occasio quæstionis habetur §. *1. 2.* & *7.* OCCASIO QUÆSTIONIS.

CAPUT III.

De BELLO PERFECTO SIMULQVE EX JURE GENTIUM SOLENNI, EJUS REQUISITIS, imprimis vero RITU INDICTIONIS SEU DENUNTIATIONIS.

§. 1.

Bellum perfectum quid?

UT bellum perfectum simulque solenne sit, jure gentium duo requiruntur: 1. ut utrinque geratur auctoribus iis, *qui in civitate summum imperium habent. 2. Oportet, ut & publice decretum sit, & quidem ita decretum, publice, ut ejus rei significatio ab altera partium alteri facta sit.*

[*Grotius c. 3. §. 1. & 5.*]

NOTÆ.

I. Hic *Grotius* ea repetit, quæ *L. I. cap. 3. §. 4.* proposuerat, nosque ad manuductionem ejus *p. 374.* maxime vero ea fini hæc denuo tradit, quia ipsius animus fuit hic data opera de bello ex parte formæ agere, unde ut citato loco prius requisitum ex professo expenderat, ita nunc posterius hic loci exponere allaboravit. Prius namque ad bellum solenne ex jure gentium requirebatur, ex parte efficientis, ut præcipuos ac peculiares juris gentium effectus haberet: posterius ex parte modi.

II. Unde non opus est ea ulla ex parte reducere, quæ integro *capite 3. L. I.* prolixe satis tractata sunt. Nec vero ea ullatenus iterum tetigissemus, nisi & ad rationem ordinis facerent, & occasionem quæstionis hic tandem a *Grotio* tractatæ & primo statim

tim loco a nobis tractandæ adhuc suppeditarent.

§. 2. *Indictio* belli, quæ etiam denuntiatio, item edictum belli, item promulgatio dici solet, classicis scriptoribus aut *conditionata est, aut pura.* *Indictio quotuplex?*

[*Grotius §. 5. & 7.*]

§. 3. Indictio conditionata est, *ubi cum rerum repetitione conjungitur*, ita in *formulis* erat, *reddi, satisfieri, dedi.* Vetus ejus sed egregium exemplum est in *supplicibus Euripidis*, *ubi Theseus caduceatori hæc dat mandata ad Creontem Thebanum:* *Indictio conditionata quid?*

Vicina Theseus qui tenet Regni sola
humare poscit mortuos: quod si datur,
sic amica faciet gens Erechtidûm tibi.
Hæc si probantur, tum refer retro pedem:
Sin nemo paret, verba sint hæc altera:
Jam mox ut arma pubis expectent meæ.

Dicitur etiam *Clarigatio*, Romani veteres *condicere* vocarunt.

[*Grotius §. 7. n. 1.*]

§. 4. Pura indictio est, *ubi aut bellum jam alter intulit*, aut alias *ipse dignus* *Indictio pura quid?*

est, qui bello afficiatur. Dicitur etiam specialiter *indictio aut edictum.*

[*Grotius* §. 7. n. 2.]

NOTÆ.

I. Interdum conditionatam indictionem pura subsequitur, quanquam necesse non est, sed ex superabundanti. Hinc illa formula: *Testor populum illum injustum esse, neq; jus reddere.*

II. Supervacuæ observationis & hoc argumentum est, quod bellum sæpe utrinque indictum est, ut Peloponnesiacum a Corcyrensibus & Corinthiis, cum ab altera parte indictum esse sufficiat.

III. *A more & institutis quorundam populorum non a jure gentium sunt, caduceus apud Græcos, sagmina & hasta sanguinea apud Æquicolas primum, & horum exemplo apud Romanos, renunciatio amicitiæ & societatis si qua intercesfisset, post res repetitas triginta dies solennes hastæ missio iterum & alia id genus, sicut nationes quædam etiam prælii diem & locum condixisse leguntur.* Ita Turcæ biduo ante prælium ignes plurimos accendunt; *quæ cum his, quæ proprie juris gentium sunt, confundi non oportet. Hinc & horum magnam partẽ suo tempore usurpari desiisse docet nos Arnobius. Et Mæcenas apud Dionem quædam horum vult propria esse status popularis Grotius §. 8. & 11. Sufficit indictionem fieri, quomodo fieri tuto potest, per literas scilicet: quomo-*

quomodo & citationes & denunciationes alias fieri mos habet in locis minus tutis.

§. 5. *Indictum bellum ei, qui imperium in populo summum habet, simul indictum censetur omnibus ejus non subditis tantum, sed & qui se socios adjuncturi sunt.* Subjectum indictionis quodnam?

[*Grotius* §. 9.]

NOTÆ.

I. Ratio est, quia accessio sunt ipsius.

II. Et hoc est quod ajunt recentiores *JCti, diffidato principe diffidatos ejus adhærentes.* Nam indicere bellum vocant *diffidare*, quod intelligendum est de eo ipso bello, quod adversus eum, cui indictum est, geritur: Ita bellum Antiocho indictum cum esset, Ætolis separatim indici non placuit, quod ipsi palam se Antiocho adjunxissent: *Ætolos ultro sibi bellum indixisse respondebant feciales, ut est apud Livium L. XXXV.*

III. Hic quæstio occurrit: *Num eo bello absoluto, si ob auxilia suppeditata populus aut Rex alter bello impetendi sint, ut effectus juris gentium consequantur, opus sit nova indictione.* Respondetur omnino, quia *jam non ut accessio spectatur, sed ut principale aliquid.*

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

An bellum manifesto injustum,

præcipuos habeat juris gentium effectus?

§. I.

PRO NEGATIVA SENTENTIA

PRo negativa videntur facere sequentia argumenta:

ARG. I.

I. Latrocinia non habent præcipuos juris gentium effectus.

Atqui bella manifesta, in quantum injusta, sunt latrocinia E.

Major patet, ut & Minor. Quid enim remota justitia sunt bella nisi magna latrocinia?

ARG. II.

II. Quodcunque bellum non geritur ab eo, qui summum imperium in civitate habet, illud non habet præcipuos juris gentium effectus.

Atqui bellum manifesto injustum, quatenus injustum, nongeritur ab eo, qui sumum imperium in civitate habet E.

Minor probatur, quia ubi injustus est Rex, ubi injusti optimates aut ipse populus, non jam vitiosa, sed nulla est respublica, ut *Cicero III. de Republ.* censet.

PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA ARG.

§. 2. Affirmans sententia probatur sequenti argumento:

Quodcunque bellum habet omnia, quæ requiruntur, ut sit solenne ex jure gentium, hoc habet præcipuos juris gentium effectus.

Atqui bellum ab imperantibus gestum & prius

prius promulgatum, etiam manifesto injustum, in quantum injustum, habet omnia, quæ requiruntur ut sit solenne ex jure gentium E.

Major patet.

Minor probatur, quia geritur primo utrinque autore eo, qui summam habet potestatem in civitate, secundo ritus adsunt; hæc duo vero si simul adsint sufficiunt.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem RESPONDETUR

Ad I. negando, propositionem majorem. Magnum quippe discrimen est inter populũ quantumvis sceleratũ, & inter eos, qui cum populus non sint, sceleris causa coëunt. Nam hi criminis causa sociantur. Illi etsi interdum delicto non vacant, juris tamen fruendi causa sociati sunt, & exteris jus reddunt, si non per omnia secundum jus naturæ, certe secundum pacta cum quibusque inita, aut secundum mores. AD ARGUMENTA CONTRARIA. AD ARG. I.

Ad II. respondetur negando minorem & probationem ejus. Nam principale pro forma est in moralibus, quare crude nimis dictum est a *Cicerone*, ubi injustus est Rex, ubi injusti optimates, aut ipse populus, non jam vitiosam, sed nullam esse rempublicam. Quam sententiam *Augustinus* de civitate Dei *L. XIX. c. 24.* corrigens, *nec ideo tamen*, ait, *vel ipsum non esse populum, vel ejus rem-* RESP. AD ARG. II.

dixe-

dixerim non esse rempublicam, quamdiu manet qualiscunque multitudinis rationalis cœtus rerum, quas diligit, concordi communione sociatus. Nam posita adhuc forma, res ipsa manet. Res similitudine percipi potest: Corpus morbidum corpus tamen est: Et civitas, quanquam graviter ægrota, hoc est, morbo civili laborans, civitas est, quamdiu manent leges, manent judicia, & quæ alia necessaria sunt, ut ibi jus exteri consequi possint non minus quam privati inter se.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasio habetur §. 1. & 2.

Quæstio II.

An indictio ad bellum justum sit necessaria?

PRO NEGANTE SENTENTIA ARG. I. §. 1. Pro negante faciunt sequentia argumenta:

I. Si naturali jure, ubi aut vis illata arcetur, aut ab eo ipso, qui deliquit, pœna deposcitur, nulla requiritur denunciatio, sequitur, quod indictio ad justum bellum non sit necessaria, ita ut ad minimum non requiratur omnibus casibus.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia patet.

Prius itidem nulla eget probatione, sicuti nec per naturæ jus indictio necessaria est, si dominus rei suæ manum injicere velit.

II.

II. Si in bellis non cum gente gestis capta jure belli fiunt capientium, qui scilicet id quod suum est aut tantundem valens recipiunt, sequitur, quod indictio ad justum bellum non sit necessaria. ARG. II.

Prius est verum E. & posterius.

Prius exemplis doceri potest ipsaque naturalis æquitas id svadet.

III. Bellum sui tuendi aut rerum tuendarum ergo susceptum indictione non eget. ARG. III.

Bellum ejusmodi est justum bellum E.

§. 2. Affirmans sententia probatur sequenti argumento: PRO AFFIRMANTE SENTENT. ARG.

Quicquid necessarium est ad hoc, ut certo constet, non privato ausu, sed voluntate utriusque populi aut populi capitum geri bellum, illud necessarium est ad bellum justum.

Atqui indictio necessaria est ad hoc, ut certo constet non privato ausu, sed voluntate utriusque populi aut populi capitum geri bellum E.

Indictio necessaria est ad bellum justum.

Major patet, quia de bello justo hic præcise agitur in ordine ad jus gentium, ut præcipuos juris gentium effectus habet, hoc est, de bello ex jure gentium solenni.

Minor non indiget probatione.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

RESP. AD ARG. I.

Ad I. respondetur negando consequentiam majoris. Nam ab effectu juris naturalis non statim valet consequentia ad præcipuos effectus juris gentium. Jam vero de eo status quæstionis erat, num jure gentium ad effectus peculiares omnibus casibus requiratur denuntiatio, non utrinque, sed ab altera partium? Id quod eo facilius inde percipere licet: nam utut recte dictum minoris loco fuerit naturali jure nullam requiri denuntiationem, tamen ubi jus naturæ non præcipit talem indictionem fieri, honeste adhuc & laudabiliter fit interpellatio, puta ut ab offendendo abstineatur, aut delictum pœnitentia & satisfactione expietur. Extrema primo nemo tentavit loco.

RESP. AD ARG. II.

Ad II. respondetur, antecedens majoris aut intelligi de belli jure in ordine ad præcipuos juris gentium effectus, aut in ordine ad jus naturæ spectato. Si illud, negatur prius: nam quod in bellis ex neutra parte indictis capta fiant capientium belli jure, verum est, sed ex una duntaxat parte, idque ex jure naturali, non ex jure voluntario gentium, quod gentibus tantum prospicit, non his qui sine gente sunt, aut pars gentis.

RESP. AD ARG. III.

Ad III. respondetur negando majorem. Nam eget omnino: non quidem simpliciter,

ter, sed ad eos, quos diximus, hoc est, præcipuos juris gentium effectus. Quinam vero illi sint, dicetur *capite quarto & sequentibus* usque ad *decimum*.

§. 4. Occasio quæstionis extat §. *11. & 12.* OCCASIO QUÆSTIONIS.

CAPUT IV.

De LICENTIA, maxime vero LICENTIA BELLI, HUJUS OBJECTO, PARTIBUS, imprimis LICENTIA BELLI IN CORPUS, ISTIUSMODI SÆVITIÆ MAGNITUDINE ET LIMITIBUS, omnibus his & singulis præcise spectatis IN ORDINE AD JUS GENTIUM.

§. I.

Licentia, quantum ad præsens notasse sufficit, duplex est: *Interdum enim licere dicitur id, quod rectum ex omni parte piumque est, etiamsi forte aliud quid fieri possit laudabilius.* Sic *licet matrimonium contrahere, sed laudabilior est ex pio proposito cælebs castitas,* ut ad Pollentiũ differit Augustinus. Sic *repetere nuptias licet, sed laudabilius* *Licentia quotuplex?*

lius est uno contentum esse matrimonio, ut recte hanc quæstionem explicat Clemens Alexandrinus. *Alias vero licere aliquid dicitur, non quod salva pietate & officiorum regulis fieri potest, sed quod apud homines pœnæ non subjacet, nec bellum talis facti nomine*, id est, ob tale factum, alicui *ab alio inferri potest*. Sic *apud populos multos scortari licet*. Sic *apud Lacedæmonios & Ægyptios etiam furari licebat*. Sic in *duodecim Tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit*. Sic *Regibus dicuntur omnia licere, quia sunt ἀνυπεύθυνοι exemti a pœnis humanis*.

[*Grotius* § 1. 2. & 3.]

NOTÆ.

I. Est hæc vocis licere significatio posteriori modo allata minus propria, ut recte notat *Cicero Tusculanarum V.* de Cinna loquens: *Mihi contra non solum eo videtur miser, quod ea fecit, sed etiam quod ita se gessit, ut ea facere ei liceret: etsi peccare nemini licet, sed sermonis errore labimur. Id enim licere dicimus, quod cuique conceditur.* Recepta tamen; ut cum idem *Cicero* pro Rabirio Posthumo judices sic alloquitur, *quid deceat vos non quantum liceat vobis spectare debe-*

debetis: Si enim quod liceat queritis, potestis tollere e civitate quem vultis.

II. *Eo sensu sæpe opponi videmus quod licet & quod oportet.* Sic enim *Cicero Oratione pro Balbo: Est,* ait, *aliquid quod non oporteat, etiamsi licet.*

III. Conf. ea, quæ supra *L. I. cap. 1. §. 9. p. 23.* item *p. 26. 27. & 30.* notavimus. Add. testimonia hic loci ab *Hugone Grotio* allata.

§. 2. Licentia belli in ordine ad jus gentium consistit in eo, quod *lædere hostem hosti liceat,* id est, *non ei tantum, qui ex* intrinsece & naturali ratione satis *justa causa bellum gerit, quique lædit intra modum naturaliter concessum, sed ex utraque parte & indistincte: Ita ut eam ob causam nec puniri possit in alio forte territorio deprehensus tanquam homicida aut fur; nec bellum ipsi ab alio talis facti nomine inferri.*

Licentia belli in ordine ad jus gentium præcise spectata quid?

[*Grotius §. 3.*]

NOTÆ.

Non ergo attenditur, num hostis hostem salva conscientia læserit, an contra conscientiam, num salva pietate & officiorum regulis, an contra eas, modo læsio habeat hunc effectum, ut lædens nec puniri possit, nec bellum ipsi ab alio talis facti nomine inferri. Hic namque est effectus licentiæ, de

Xxxx qua

qua in præsenti agitur. Et hoc sensu apud *Sallustium* legimus: *Cui omnia in victoria, lege belli licuerunt.* Ita Marcellus apud *Livium: Quicquid in hostibus feci jus belli defendit.* Et *Seneca* in *Tragœdia Troadibus: Quodcunque libuit facere victori licet.* Nec alio sensu *Lucanus: Jusque datum sceleri.*

Licentiæ belli objectum & divisio.

§. 3. Objectum hujus licentiæ sunt *personæ & res hostium.* Est igitur licentia belli in ordine ad jus gentium duplex: una, qua *lædere hosti hostem licet in persona.* Altera, qua *lædere hosti hostem licet in rebus.*

[*Grotius §. 3.*]

NOTA.

De priori licentia *hoc*, de posteriori *sequenti capite* agetur.

Magnitudo istius sævitiæ seu licentiæ lædendi hostem in persona.

§. 4. Adeo magna est hæc licentia, ut *ubi bellum ingruit, innocentes ac noxii juxta cadant*, tamque late patet, ut *non eos tantum comprehendat, qui actu ipso arma gerunt*, aut *qui bellum moventis subditi sunt*, sed *omnes etiam, qui intra fines sunt hostiles*, sive *ante bellum eo iverint*, modo *discedendi copia* ipsis prius *facta* fuisset, sive *commisso cognitoque bello intra fines hosticos venerint.*

[*Grotius §. 5. 6. 7. & 8.*]

NO-

NOTÆ.

I. Quod qui vere ſubditi ſunt hoſtium, ex cauſa ſcilicet permanente, id eſt, non duntaxat ad tempus, eos offendere ubique locorum jure hoc gentium liceat, ſi ipſorum perſonam reſpicimus, non habet dubitationem. *Nam cum alicui bellum indicitur, ſimul indicitur ejus populi hominibus. Hoſtis autem qui eſt, ubique ſecundum jus gentium impeti poteſt.* Add. *l. ejusdem legis 3. §. transfugas 6. D. ad l. Corneliam de Sicariis.* Sic in decreto: *Vellent juberent Philippo Regi Macedonibusque, qui ſub Regno ejus eſſent, bellum indici.*

II. Idem de peregrinis dicebatur, & qui commiſſo cognitoque bello intra fines hoſticos venerant, & qui ante bellum eo iverant, cum & hi pro hoſtibus habeantur jure gentium, poſt modicum ſcilicet tempus, intra quod diſcedere potuerant. Ratio eſt, *quia ab illis quoque damnum metui poteſt, quod in bello continuo & univerſali ſufficit, ut locum habeat jus, de quo agimus.* Sic *Epidamnum obſeſſuri Corcyræi teſte Thucydide peregrinis primum diſcedendi faciebant copiam, denunciantes alioqui pro hoſtibus futuros.*

§. 5. *Tam late* vero *licentia iſta ſe protendit, ut nec ſexus, nec ætas miſerationem adferat, cum fœminarum quoque &* in- *Ea ſævitiæ magnitudo amplius definitur.*

infantium (nec qui latet abditus intra viscera matris adhuc fugiet crudelia fata) cædes impune habeatur: quo minus mirum, si & senes interficiantur. Ne captivi quidem ab hac licentia exemti sunt, sive mares sint sive fœminæ. Imo *nec supplices inque templa perfugientes: nec qui se dedunt semper recipiuntur. Sed & acceptos in deditionem sine conditione ulla* videamus *interfici.* Eadem licentia & *in obsides* usurpatur, *nec in eos tantum qui se obligaverant quasi ex conventione, sed & in eos, qui ab aliis traditi, etiam pueri & fœminæ.* Adeo sævitia illa dudum in morem vertit.

[*Grotius §. 8. 9. 10. 11. 12. & 14.*]

NOTA.

Conf. tot exempla & testimonia *ex probis auctoribus* a *Grotio* allata.

Limites hujus licentiæ ac sævitiæ. §. 6. Sunt vero hujus licentiæ limites: Non enim *hostem veneno interimere licet*, id est, *armis belli non venenis geri debent. Nec fontes veneno inficere licitum est.* Nec vero *hostem interficere immisso percussore per jus gentium licet, nec stupra in fœminas permissa sunt.*

[*Grotius §. 15. 16. 18. & 19.*]

NO-

NOTÆ.

I. Communis ratio eſt, *ne pericula in bellis, quæ crebra eſſe cœperant, nimium intenderentur eorum maxime, qui eminent. Grotius* §. *15. & 18.*

II. Quod ſtupra in fœminas attinet, fuerunt quidem, qui permiſerunt hoc jure, ſpectantes injuriam ſolam in alienum corpus, cui ſubjacere quicquid hoſtile eſt juri armorum non incongruens judicabant. Sed *melius alii, qui non ſolam injuriam, ſed ipſum efferatæ libidinis actum hic conſiderarunt, & quod is neque ad ſecuritatem pertineat, neque ad pœnam, ac proinde non bello magis quam pace impunitus eſſe debeat. Atque hoc jus eſt gentium non omnium, ſed meliorum.*

III. Videantur exempla & teſtimonia citatis paragraphis a *Grotio* copioſe & eximie tradita.

QUÆSTIONES.

Quæſtio I.

Num gentibus placere potuerit, ut non ei tantum, qui ex juſta cauſa bellum gerit, quique lædit intra modum naturaliter conceſ-

sum, sed ex utraque parte & indistincte hosti hostem lædere liceret?

§. 1.

PRO NEGANTE SENTENT. ARG.

PRo negante sententia facere videtur sequens argumentum:

Quicquid omnium sano judicio præditorum consensu per se turpe est ac fœdum, hoc gentibus placere non potuit.

Atqui licentia talis omnium sano judicio præditorum consensu per se turpis ac fœda est E.

PRO AFFIRMANTE SENTENT. ARG.

§. 2. Affirmans sententia probatur sequenti argumento:

Quicquid absque graviori periculo nequit impediri, hoc gentibus placere potuit, non ut placeret, sed ut religioni & conscientiæ belligerantium relinqueretur.

Atqui licentia talis (ut nempe in præceptis *cap.4.* definiebatur & limitabatur) absque graviori periculo nequit impediri E.

Licentia talis gentibus placere potuit, non ut placeret, sed ut religioni & conscientiæ belligerantium relinqueretur.

Major patet: Evitandi namque finiendive dissidii causa multa sive sanciuntur sive approbantur ut licita, quæ juxta naturalem statum injusta forent.

Minor

Minor probatur: quid enim periculosius, quam inter duos populos aut populorum rectores de jure belli pronunciare velle alios populos, qui ea ratione bello alieno implicarentur? Sicut Massilienses in causa Cæsaris & Pompeji dicebant, neque sui judicii neque suarum esse virium discernere, utra pars justiorem haberet causam. Accedit, quod etiam in bello justo vix satis cognosci possit ex indiciis externis, quis justus sit se tuendi aut sua recuperandi modus: Ita Achæi in oratione ad Senatum apud *Livium: Quonam modo ea, quæ jure belli acta sunt, in disceptationem veniunt?*

§. 3. Ad argumentum pro contraria sententia allatum respondetur, majorem dupliciter posse intelligi, primo hoc sensu: quicquid omnium sano judicio præditorum consensu per se turpe est ac fœdum, hoc gentibus, quæ non efferatæ sunt & factæ inhumanæ, ut pium, justum, honestum, laudabile & quod oporteat fieri placere non potuit. Sic sumta majore conceditur totum argumentum; non enim est contra §. 2. assertionem. Secundo ut hic sit sensus, illud gentibus, quæ non efferatæ sunt & factæ inhumanæ, ut licitum quid, quod tamen non oporteat, placere nequit: Et sic negatur major. Nam si duabus gentibus inter se certantibus ne quidem sapientissimis gentibus facile datum est nosse, ex

RESPONDETUR AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

qua parte & quousque bellum justum sit, aut injustum, cum speciosus prætextus strenue mentiri justitiam possit, cur non placere potuisset gentibus, ut hæc omnia religioni & conscientiæ bellantium relinquerent inque tantum ea permitterent, in quantum aut non poterant aut non sine gravi periculo poterant ad earum arbitria revocari.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasio quæstionis habetur §. 4.

Quæstio II.

An hostem interficere immisso percussore qui nulla tenetur fide per hoc jus gentium liceat?

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA §. 1. Pro affirmante sententia pugnant sequentia argumenta:

ARG. I. I. Si hostem occidere ubivis licet, non naturæ tantum, sed & gentium jure, sequitur, quod etiam hostem interficere liceat immisso percussore, qui nulla tenetur fide.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia probatur, quia non refert, quot sint qui occidant.

ARG. II. II. Si hostem interficere immisso percussore per jus gentium illicitum esset, tunc etiam hosti per jus gentium illicitum esset hostem occidere.

Con-

Consequens est absurdum E. & antecedens.

Consequentia probatur, quia perinde est per se quis faciat an per alium id, quod quis faciendi jus habet.

§. 2. Negans sententia uti probabilior apparet, ita ex Grotianis principiis creditur imprimis probari posse sequenti argumento: PRO NEGANTE SENTENTIA ARG.

Quocunque pericula in bellis, quæ crebra esse cœperunt, eorum maxime qui eminent, nimium intenduntur, hoc per jus gentium non licet.

Atqui eo ipso licentiæ genere, quando permittitur hostis ducem interficere immisso percussore qui nulla tenetur fide, pericula in bellis, quæ crebra esse cœperunt, eorum maxime, qui eminent, nimium intenduntur E.

Major patet: Nam jus gentium si non omnium, certe meliorum jam olim est, ne pericula in bellis, quæ crebra esse cœperant, nimium intenderentur, qui consensus ortus est ex respectu communis utilitatis. Regibus namque ac ducibus tuenda est maxime Regum Ducumque salus, eorumque vitam ante alios defendi oportet juris aliqua religione & metu infamiæ.

Minor probatur: Si enim nimium intenduntur pericula eorum maxime, qui eminent, ex eo, quod liceat hostem veneno

perimere, cur non etiam magnis periculis exposita maneret summorum imperantium vita, si hostem interficere immisso percussore per jus gentium liceret. Nam utut vel maxime latera belli Ducum armis circumsepiantur, æque tamen exposita sunt percussorum sicis, atque ora venenis. Neque enim regale solium, neque satellitum cohors Tarquinium Priscum ab infesto percussoris telo tutum reddere potuerunt. Pipinus Caroli Magni pater uno comitatus satellite trajecto Rheno hostem in cubiculo interfecisse narratur: Quod & a Theodoto Ætolo in Ptolemæum Ægypti Regem simili modo tentatum refert Polybius. Talis & ille laudatus ab *Historicis Plutarcho, Valerio Maximo, Cicerone*, Q. Mutii Scævolæ conatus, quem ipse sic defendit, hostis hostem occidere volui, cui nempe ad audendum fuerant auctores illi in bellis alias adeo sancti Romani Senatores. Pauci erant qui Marcellum Consulem ex insidiis circumventum occiderunt, & qui Petilium Cerialem parum abfuit, quin in lecto confoderent.

RESPONDETUR AD ARMENTA CONTRARA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata responderi solet, & quidem

AD ARG. I.

Ad I. negando consequentiam majoris ejusque probationem: Utut enim non referat, quot sint, qui occidant, maxime tamen refert quomodo id fiat, numne fiat rectæ

rectæ rationi & gentium seniorum consensui convenienter. Sic quamvis hostem ubivis occidere liceat non naturæ tantum, sed & gentium jure, non tamen tempore induciarum hostem, etiamsi in hostis castra veniat, occidere licet, quia jus naturæ dictat fidem datam non esse frangendam, gentiumque consensus vult, ut tempore induciarum ab omni hostili vi fiat cessatio. Ita laudatur Ludovicus XI. quod Carolum Burgundiæ Ducem inter deambulandum, dum sermoni intentus erat, ad hostiles muros inopinato imo intra munimenta deductum datis custodibus ad castra ejus remiserit, ut est apud *Cominæum L. II. de rebus gestis Ludov. XI.* Sic qui sub specie transfugæ aperte hostilia castra ingreditur, utique fide aliena tenetur: Nam qui ab uno hoste ad alterum transfugit, non nisi data fide in castra recipitur. Dum ergo hostem occidit, fidem datam fallit, nec id quod recta ratio dictitat exequitur. Et sane si jus gentium spectes, de quo præsens quæstio movebatur, Historici nequaquam turpitudinem talismodi actus silent: *Livio* ii, quos Perseus ad Eumenem occidendum miserat, latrones dicuntur ipsumque Perseum non justum parasse bellum, sed *per omnia clandestina grassatum fuisse scelera latrociniorum & veneficiorū* asserit *Lib. LII.* Nec minus Alexander M. qui non, ut pater Philippus, deceptis gaudebat

debat hostibus, sed palam fusis teste *Justino L. IX. c. 8.* exprobrat Dario Persisque, *quod impia bella suscipiant, & cum habeant arma, licitentur hostium capita: sicut tu,* inquiens, *proxime talentis mille tanti exercitus Rex percussorem in me emere voluisti,* uti refert *Curtius L. IV. c. 1.* De C. Mutii Scævolæ facto *Seneca: Facere aliquid in illis castris felicius potuit, nihil fortius.* De Hispanis, qui percussores subornabant Alviano, Batavii Præfecto, ut urbe potirentur, ita *Guicciardinus* judicat; *In tantum præsens militia ab antiqua differt. Veteres enim tantum abest, ut subornaverint percussores, ut potius aperuerint hosti, si scelus aliquod contra ipsum cuderetur: sperantes victoriam virtute haberi posse. L. XII. Histor.* Pariter *Piccartus* (de quo hocce summi *Conringii* judicium *Libro de Civili prudentia c. 14. de scriptis editis ad parandam prudentiam civilem universalem maxime idoneis p. m. 346.* extat: *Ad miscellaneos meliores pertinent illi etiam ex parte, qui ad Historicos veteres commentantes θέσεις πολιτικὰς varias agitavere: Quales præcipue sunt Scipio Ammiratus, J. Gruterus, Nicol. Machiavellus, & Christoph. Forstnerus: Piccartum autem nemini ego secundum dixerim*) *Dissertatione de Jure Belli,* quæ 50. est *in Philosophia Altorfina th. 47. p. 503.* scribit: *Proditione etiam hostium ducem necare, submissis vel emtis Sicariis, infame semper visum, quem nec omni loco fas ipsi hosti occi-*

occidere: & proditioni affinia arbitror ficta illa transfugia & Zopyrianismos: neque Zopyrus laudem merebatur, neque magnus Rex laudando illum, reprehensione vacabat, ne quid gravius dicam. Sic quamplura ejusmodi exempla *Gentilis L. II. c. 8.* recenset, nec tamen probat.

Ad II. respondetur negando consequentiam ejusque probationem, quia alias per jus gentium etiam veneno hostem liceret occidere. Repetantur ea, quæ *responsione ad I.* dicta sunt. RESP. AD ARG. II.

§. 4. Occasio quæstionis habetur §. 18. ubi quidem *Grotius* discrimen adhibendum esse censuerat inter percussores, qui fidem expressam vel tacitam violant, ut subditi in Regem, vasalli in seniorem, milites in eum, cui militant, recepti ut supplices aut advenæ aut transfugæ in eos, qui receperunt; & eos, qui nulla tenentur fide: deque prioribus concedit, quod non ipsi tantum contra jus gentium faciant, sed & qui eorum utuntur opera: De posterioribus non item. Maluimus tamen, quid alii itidem magni nominis viri sentiant hic annotare. OCCASIO QUÆSTIONIS.

CA-

CAPUT V.

De LICENTIA BELLI IN RES HOSTIUM, ISTIUSMODI SÆVITIÆ MAGNITUDINE ET MODIS, omnibus his præcise spectatis IN ORDINE AD JUS GENTIUM.

§. 1.

Licentia belli in res hostium quid?

LIcentia belli in res hostiū in ordine ad jus gentium consistit in eo, quod hosti liceat *corrumpere ac rapere res hostium, quos jus gentium interficere permiserat.*

[*Grotius c. 5. §. 1.*]

NOTA.

Ratio hujus rei est, quia qui potest majus, potest etiam minus. *Non esse contra naturam spoliare eum, quem honestum est necare,* dixit *Cicero. Quare mirum non est, si jus gentium corrumpi ac rapi permiserit res hostium, quos interficere permiserat.* Ita cum irruptione hostili civitas aliqua possessa est, omnes simul captivitas vastat. Et *notandum licere hæc & in deditos. Grotius §. 1.*

Istiusmodi sævitiæ magnitudo.

§. 2. Tanta vero est hæc licentia, ut jus gentium merum, *seposita aliorum officiorum consideratione, ne quidem sa-*

cra

cra excipiat, id eſt, *quæ Deo aut Diis dicata ſunt*, nec religioſa, veluti ſepulchra. Tanto magis jus gentium permittit *munitiones hoſtium, portus, urbes, naves, fructus & ſi qua ſunt ſimilia, aut eripi aut corrumpi, tecta dirui, ſata exuri, pecora jugulari &c.*

[*Grotius* §. 2. & 3.]

NOTÆ.

I. Quod ſacra, id eſt, quæ Deo aut Diis dicata ſunt, jus gentium vaſtari eripique permittat, patet: nam *cum loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinunt ſacra eſſe*, ait *Pomponius JCtus l. cum loca 36. D. de religioſis*. Et *ſacra Syracuſarum victoria profana fecerat*, ait *Cicero Verrina IV.*

II. Quod religioſorum vaſtatio & ereptio jure gentium permiſſæ ſint, liquet facilius. Nam ſi vaſtare & eripere ſacra licet, multo magis religioſa licebit, quia habens licentiam majoris habet etiam minoris, ceu *§. 1.* dictum eſt. Huc reſpiciens *Pomponius JCtus l.* modo *cit.* addit religioſa, dum ait: *Cum loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinunt religioſa vel ſacra eſſe:* ideo lapides inde ſublatos in quemcunque uſum convertere poſſumus: nec ſepulchri violati competit actio, ceu *Paulus JCtus l. ſepulchra 4. D. de ſepulchro violato, ſepulchra*, inquit, *hoſtium religioſa nobis non ſunt, ideoque lapides inde ſubla-*

sublatos in quemlibet usum convertere possumus, non sepulchri violati actio competit.

Quæstio.

Annon jus gentium merum, etiam seposita moralium officiorum aliorum consideratione sacra excipiat, id est, quæ Deo aut Diis dicata sunt, ne scilicet vastentur eripianturve?

§. 1.

PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA ARG. I.

PRo affirmativa faciunt sequentia argumenta:

I. Quicquid non est hostis, illud tanquam hosti non potest eripi gentium jure, adeoque jus gentium omnino excipit.

Atqui sacra non sunt hostis E.

Major patet, quia de eo quæstio est, quousque jure gentium hosti hostem in rebus lædere liceat.

Minor probatur, quia sacra sunt Deo aut Diis dicata, non ergo hostis sunt, sed Dei aut Deorum.

ARG. II.

II. Quæ exceptio pro religione facit, hæc est juris gentium.

Atqui sacrorum exceptio facit pro religione E.

Major probatur, quia summa est ratio, quæ

quæ pro religione facit. Hinc *Pomponius JCtus: erga Deum religionem* juris gentium esse perhibet *l. veluti 2. D. de Justitia & jure.* Minor patet, imprimis si quo in simulacro numen aliquod esse credatur.

§. 2. Pro negante sententia facit sequens argumentum: PRO NEGANTE SENTENTIA ARG.

Ex quo hostis ipse mutata voluntate potest profanum facere, istud jus gentium merum nequaquam excipit, ut ne ab hoste vastetur, eripiatur inque profanos usus convertatur.

Ex sacris hostis ipse mutata voluntate potest profanum facere E.

Minor non indiget probatione: ejus assertionem non obscure indicat *JCtus Paulus l. inter stipulantem 83. §. sacram 5. D. de verborum significationibus. Sacram, vel religiosam rem, vel usibus publicis in perpetuum relictam, ut forum, aut basilicam, aut hominem liberum inutiliter stipulor, quamvis sacra profana fieri, & usibus publicis relicta, in privatos usus reverti: Et ex libero servus fieri potest.* Ita temporum necessitate videmus res sacras ab his, qui sacraverant, in belli usus conversas, ut a Pericle sub pollicitatione restituendi tantundem, a Magone in Hispania, a Romanis bello Mithridatico, a Sulla, Pompejo, Cæsare atque aliis factum legitur. Chii mulctam sibi a Mithridate indictam etiam e sacris vasis confecerunt, ut

est apud *Appianum Mithridatico. Plinius L. VII. cap. ult.* De Porcio Catone testatur, eum arbores religiosas lucosque succidi permisisse, sacrificio prius facto. Add. exempla ac testimonia plura a *Grotio §. 2 n. 1. & 2.* ut & *annotatis allata.*

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

RESP. AD ARG. I.

Ad I. negando propositionem minorem, necquicquam probatio conficit. Dicata quidem sunt rebus sacris, sunt tamen hominum, nec exemta usibus humanis in casu necessitatis. Ita Sulla bello Mithridatico donaria ab Olympia, Epidauro, Delphis abstulit *Plutarcho* narrante & *Appiano*, idem pretium restituit, teste *Diodoro Siculo.* Augustus ex templis thesauros accepit mutuos, *Appiano* docente. Vasa sacra ab Agapeto oppignorata tradit *Cassiodorus.* Heraclius in gravi necessitate vasa Ecclesiæ in nummos vertit, sed postea pretium reddidit, ut narrat Theophanes. *Ambrosius* defendit suum & Ecclesiæ factum, quod vasa ecclesiæ, etiam initiata confregerint, ut captivi redimerentur. Imitatus hoc Ambrosii factum Augustinus, narrante *Possidio.* Imitatus est & in eadem Africa Episcopus Deogratias narrante *Victore Uticensi.* Non ergo quæ sacra dicuntur revera eripiuntur humanis usibus, sed publica sunt: sacra autem nominantur a fine cui destinata

sunt

ſunt. Patet hoc vel inde etiam, quod cum quis populus alteri populo aut Regi ſe dedit, tum quoque ea dedit, quæ divina dicuntur. Ita Campani olim neceſſitate ſubacti populo Romano ſe objecerant in hunc modum: *Populum Campanum urbemque Capuam, agros, delubra Deum, DIVINA humanaque omnia in veſtram, Patres conſcripti, ditionem dedimus.* Cui convenit illud in *Amphitruone Plauti: Urbem, agrum, ARAS, focos, ſeque uti dederent.* Item: *Deduntque ſe, DIVINA, humanaque omnia.*

Ad II. reſpondetur, majorem non eſſe ſimpliciter veram, illud tamen verum eſt, ſi quo in ſimulacro numen aliquod ineſſe credatur, id violari aut corrumpi nefas ab iis, qui in ea perſuaſione conveniunt: & hoc ſenſu impietatis aut læſi etiam gentium juris accuſantur interdum, qui talia commiſerunt, minimum ex talis opinionis poſitione: Aliud eſt, ſi hoſtes non idem ſentiant. Ita Judæis non permiſſum tantum, ſed & præceptum eſt gentium ſimulacra abolere. Sic templa profani cultus a Maccabæis incenſa non ſemel legimus. Sic & Xerxes ſimulacra Græcorum corrupit nihilque fecit contra jus gentium. Nam Perſæ non credebant in ſimulacris eſſe ulla numina, ſed Deum eſſe Solem, & portionem ejus aliquem ignem. Pompejus, *Tacito* auctore, *templum Hieroſolymitanum jure victoriæ in-* RESP. AD ARG. II.

gressus est, aut ut *Augustinus* rem eandem narrat, *non devotione supplicii, sed jure victoris.*

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occasio quæstionis habetur §. 2. & 3.

CAPUT VI.

DE EO, QUOD JURIS GENTIUM EST CIRCA BELLO CAPTAS RES, ubi simul VARIÆ DISTINCTIONES RERUM BELLO CAPTARUM recensentur.

§. 1.

Acquisitio bello captorum, ut est juris gentium, quid?

JUre gentium non modo is, qui ex justa causa bellum gerit, sed & quivis in bello solenni & sine fine modoque dominus fit eorum, quæ hosti eripit, eo sensu nimirum, ut a gentibus omnibus & ipse & qui ab eo titulum habent in possessione rerum talium tuendi sint, hoc est, si jus gentium præcise respiciamus, non habita officiorum moralium ratione, etiam fit dominus rerum bello captarum, qui bellum gerit intrinsece justum, adeoque bona, quæ victus habuit,

buit, victoris fiunt, sive victoria bello intrinsece justo, sive intrinsece injusto parta sit, imo nascitur victori mero jure gentium licentia in infinitum, ut plus recipere possit quam amiserat, adeo ut bona, quæ victus habuit, omnia victoris fiant.

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

NOTÆ.

I. Videantur testimonia & exempla *Grotii* nostri studio collecta per totum §. 2.

II. Sic ergo luculentum discrimen inter jus naturæ & jus gentium intercedit, quantum ad præsens attinet. Nam jure naturæ nemo fit prædæ dominus, nisi qui bellum gerit intrinsece justum: Jure vero gentium fit dominus bello captorum, etiam qui bellum gerit intrinsece injustum, modo sit ex jure gentium solenne. Pariter jure naturæ nemo plus potest bello acquirere quam amisit: at jure gentium potest. Sed de hisce juris naturalis dispositionibus *capite 14.* pluribus agetur.

III. *Præcedentibus capitibus* de eo actum fuerat, quomodo jure gentium hostis hosti bona auferat: *hoc capite* agitur, quomodo hostis bona hostis sibi acquirat.

§. 2. *Placuit gentibus, ut cepisse rem is intelligatur, qui ita detinet, ut recuperandi* *Bello capta secundum jus gentium quanam?*

randi spem probabilem alter amiserit, ut res persecutionem effugerit, ut loquitur in simili quæstione Pomponius. Sic *res mobiles tunc captæ dicuntur, ubi intra fines, id est, præsidia hostium perductæ fuerint.* Sic *in mari naves & res aliæ captæ censentur tum demum, cum in navalia aut portus aut ad eum locum, ubi tota classis se tenet, perducta sunt.* Sic *agri tum demum capti censebuntur, si mansuris munitionibus ita includantur,* ut nisi iis expugnatis parti alteri palam aditus non sit.

[*Grotius* §.3. & 4.]

NOTÆ.

I. Cur in mari naves & res aliæ captæ censeantur tum demum, cum in navalia aut portus, aut ad eum locum, ubi tota classis se tenet, perducta sunt, *Grotius* hanc rationem dat, quia tunc desperari incipit recuperatio.

II. Addit quidem *Grotius* recentiori juri gentium inter Europæos populos introductum esse, ut talia capta censeantur, ubi per horas viginti quatuor in potestate hostium fuerint: sed jus gentium hoc loco dici nequit, quod inter duos tresve populos mutuis conventionibus receptum est.

§. 3.

§. 3. Bello capta 1. aut *hostium sunt*, aut *apud hostes quidem sunt, puta in oppidis eorum aut intra præsidia*, ut tamen hostium non sint, hoc est, *ut domini eorum nec hostium sint subditi, nec hostilis animi.* *Distinctio bello captorum.*

[*Grotius* §. 5.]

NOTA.

Præcipuus in præsenti materia usus distinctionis hujus est: Res bello captæ prioris generis fiunt captoris: at posterioris generis minime: Nam & *ratio deficit, ob quam* res, quæ apud hostes quidem sunt, sed quorum domini nec hostium sunt subditi, nec hostilis animi, *bello acquiri possint*, & *jus hoc mutandi per vim domini odiosius est quam ut produci debeat. Grotius* §. 5.

§. 4. Bello capta 2. aut sunt talia, quæ *bello* ab aliis *prius capta* fuerant, aut minime. *Alia bello captorum distinctio.*

[*Grotius* §. 7. n. 1.]

NOTA.

Hæc distinctio ideo affertur, quia si jus gentium respicimus, etiam quæ hostibus per hostes erepta sunt, non possunt vindicari ab his, qui ante hostes nostros ea possederant & bello amiserant. Rationem *Grotius* hanc urget, quia jus gentium hostes primum dominos fecit dominio externo, qui

scilicet prius eripuerant, deinde eos hostes, qui his iterum eripuere. Sic David Amalecitis id, quod hi antea Palæstinis eripuerant, pro suo habuit ac divisit. Sic eas Galliæ partes, quas Gallis eripuerant Cimbri, Romani pro suis habuere. Videantur plura exempla apud *Grotium §. 7. & annotatis.*

Alia bello captorum distinctio.

§. 5. Bello capta 3. aut capta sunt *actu belli vere publico*: Ita *res soli nisi publico actu, inducto exercitu, impositis præsidiis capi non solent*; aut actu privato, qui fit occasione belli publici: ut *si quid milites capiunt non in procinctu, aut in eo quod facere jubentur, sed in eo quod promiscuo jure aut solo permissu faciunt: talia sunt spolia, quæ detrahuntur hosti in dimicatione singulari: Talia etiam, quæ procul ab exercitu in liberis & injussis excursibus capiunt.*

[*Grotius §. 10. 11. & 12.*]

NOTÆ.

I. Præcipuus hujus distinctionis usus in eo constituitur: Prioris generis bello capta sunt eorum, quorum est bellum quo capiuntur: at posterioris generis primo ac directe quæruntur privatis. Ex hoc gentium jure Scipio egit cum Masinissa apud *Livium: Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est.*

est. Itaq; ipse, conjux, regnum, ager, oppida, homines qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, præda populi Romani est.

II. Dantur res & quæ actibus vere publicis belli, & quæ actibus belli privatis capi possunt. Sic enim *Grotius: res mobiles & se moventes aut in ministerio publico capiuntur aut extra illud:* Si extra ministerium publicum, fiunt singulorum capientium. De his, quæ quis actu bellico capit, alia est ratio.

§. 6. Bello capta 4. aut sunt talia, de quibus lex civilis disposuit, aut *de quibus lex civilis nihil statuit.* Illa *Grotio* dicuntur ea, quæ *juris gentium sunt ante omnem ea de re legem civilem.* *Alia bello captorum distinctio.*

[*Grotius* §. 13.]

NOTÆ.

I. Adest fundamentum hujus distinctionis, quia *populus quisque inter suos aliter potest constituere, & dominium singulorum antevertere, sicut multis in locis de feris & avibus actum videmus. Sic enim introduci etiam lege potest, ut quæ apud nos reperiuntur hostium res, licet alias fiant singulorum capientium, publice fiant.* Lex namque de rebus nondum actu quæsitis ad utilitatem publicam potest imperare, sive lex illa lex populi sit, ut apud Romanos, sive Regis ut apud Hebræos.

II. *Sub legis nomine etiam consuetudo recte introducta comprehenditur. Grotius §. 22.*

III. Usus distinctionis eo pertinet, *ut sciamus si apud populum bello non permixtum controversia oriatur de re bello capta, addicendam rem ei cui favent leges aut mores populi, a cujus partibus res capta est: Quod si ejus nihil probetur ex jure gentium communi rem ipsi populo adjudicandam, si modo ea res in actu bellico capta est.* Non enim omnino verum est id, quod pro Thebanis adfert *Quintilianus: In eo quod in judicium deduci potest, nihil valere jus belli, nec armis erepta, nisi armis posse retineri.*

Alia bello captorum distinctio.

§. 7. Bello capta 5. aut sunt *exigua, ut digna non sint, quæ publica fiant*: Talia *erant in vetere Romana republica hasta, hastile, ligna, pabulum, uter, follis, facula, & si quid minoris esset nummi argentei.* Nam has exceptiones sacramento militari additas apud *Gellium* legimus; aut *digna sunt publicari.*

[*Grotius §. 24. n. 7.*]

NOTÆ.

Usus distinctionis est, quod *ubique* prioris generis bello capta *soleant capientes sequi populi concessu.*

Alia bello captorum distinctio.

§ 8. Bello capta 6. aut capta sunt intra alterutrius bellum gerentis territori-

torium, aut *extra territorium utriusque partis bellum* gerentis.

[*Grotius* §. 26.]

NOTÆ.

Usum distinctio præbet quærentibus: *An extra territorium utriusque partis bellum gerentis capta fiant capientium?* Nam *si jus solum gentium respicitur*, putat *Grotius locum hic non considerari. Sed qui in eo loco imperium habet, potest lege sua probibere, ne id fiat: Et si contra legem factum sit, de eo poscere potest, ut sibi satisfiat.*

§. 9. Bello capta 7. aut *hosti erepta sunt aut subditis hostium.* *Alia bello captorum distinctio.*

[*Grotius* §. 2. n. 5.]

NOTA.

Loquimur de iis, quæ jure gentium capta sunt: Nam hostis nunc in arctiori significatu sumitur, ut iis qui subditi hostis sunt contradistingvitur, ceu est *in formula* apud *Livium*, *Hostis sit ille quique intra præsidia ejus sunt*, nunc in laxiori significatu, ut etiam subditi hostis hostes audiunt.

QUÆSTIO.

Numne semota lege civili in bello publico ac solenni res hostium per actus belli vere publicos captæ

captæ acquirantur ei, cujus eſt bellum, qua tali?

§. 1.

Pro negante sententia

PRo negante ſententia videntur facere ſequentia argumenta:

Arg. I.

I. Quæcunque res nullius ſunt, eæ acquiruntur primo capientibus qua talibus.

Atqui in bello publico ac ſolenni res hoſtium per actus belli vere publicos ſunt res nullius E. & per conſequens non acquiruntur ei, cujus eſt bellum, qua tali.

Major probatur, quia res, quæ nullius eſt, ejus eſt, qui primo eam occupat.

Minor deducitur inde, quia gentibus placuit, ut fictione juris res hoſtium hoſtibus eſſent non alio loco, quam quo ſunt res nullius.

Arg. II.

II. Si tacita conſuetudine ubique ferme in bello publico ac ſolenni inductum, ut bellantes ſua faciant quæ capiunt, ſequitur, quod in bello publico, ac ſolenni res hoſtium per actus belli vere publicos, non acquirantur ei, cujus eſt bellum.

Prius eſt verum E. & poſterius.

Pro affirmante sentent.

§. 2. Affirmans ſententia probatur ſequenti argumento:

Quæcunque res hoſtium in bello publico ac ſolenni non capiuntur niſi ab eo, cujus

cujus eſt bellum, qua tali, illæ res acquiruntur ei, cujus eſt bellum qua tali.

Atqui res hoſtium in bello publico ac ſolenni per actus belli vere publicos non capiuntur niſi ab eo, cujus eſt bellum, qua tali E. ARG.

Res hoſtium in bello publico ac ſolenni per actus belli vere publicos captæ acquiruntur ei, cujus eſt bellum, qua tali.

Major eſt manifeſta. Belli namque jure res hoſtium non acquiruntur niſi bello capiantur & acquirantur.

Minor probatur, quia is, cujus bellum eſt, omne illud capit, quod iſti capiunt, qui ipſius authoritate bellant. Semoto namque civili jure locum habet, quod dicitur per alium facere quem poſſe, quod per ſe ipſum poteſt; & perinde eſſe per ſe quis faciat an per alium. Nam naturaliter homo hominis alterius volens volentis inſtrumentum eſt. Sic apud Græcos qui in Olympiis certabant præmia acquirebant iis, a quibus mittebantur. Huc forte facit *Modeſtini JCti* effatum: *Quod naturaliter acquiritur, ſicuti eſt poſſeſſio, per quemlibet volentibus nobis poſſidere acquirimus l. ea qua 53. de acquirendo rerum dominio.*

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata reſpondetur, & quidem RESPONDETUR AD

Ad

ARGUMENTA CONTRARIA.

AD ARG. I. Ad I. concedendo totum argumentum, quod non erat contra affirmantem sententiam: quando per consequens inferebatur, res in bello publico ac solenni per actus belli vere publicos captas non acquiri ei, cujus est bellum, qua tali, ideo quod acquirantur primo capientibus qua talibus, tantum abest, ut recte inferatur, ut contrarium manifesto inde sequi videas. Est enim is, cujus est bellum qua talis ipse captor, & quod alii ipsius auctoritate capiunt, fictione juris non capiunt, sed is, cujus bellum est, capit per eos, ut §. 2. monebatur.

RESP. AD. ARG. II. Ad II. respondetur totum concedi posse argumentum, si hoc sensu intelligatur, quasi lege positiva (sub cujus nomine consvetudinem recte introductam volumus comprehendi) hoc inductum fuerit vel etiam induci potuerit, ut bellantes sua facerent, quæ caperent: Quæstio autem nostra erat de eo, quod semota lege civili pronunciari posse videbatur. Sicut etiam negari nequit, ut res alias ita & prædam posse a populo aliis concedi, nec tantum post acquisitionem sed & ante eam, ita ut subsecuta captura conjungantur actiones brevi manu, ut loqvuntur JCti: Nec tantum ea concessio nominatim fieri potest, sed & in genere, ut viduis, senibus, & egentibus pupillis pars prædæ data est temporibus Maccabaicis, aut etiam personis incertis ad exemplum

missi-

missilium, quæ Romani Consules capientium faciebant. Quod interim non præjudicat sententiæ, quæ id expendebat, quod primo populi aut Regis bellum gerentis fieri dicebatur.

§. 4. Occasio habetur *a §. 8.* usque ad *27.* probationesque solito largius admetiendas *noster* censuerat ex nobilium populorum exemplis, quod directe sententiam pugnare crederet cum vulgari opinione, quæ tamen omnia *juris civilis interpretibus* merito jure remittimus, quo pertinent. **Occasio Quæstionis.**

CAPUT VII.

De EO, QUOD JURIS GENTIUM EST, CIRCA BELLO CAPTAS PERSONAS SEU CIRCA CAPTIVOS.

§. I.

NImis *late patet* licentia in captivos, si merum jus gentium respiciamus, sive objectum, hoc est, *personas*, sive effectus consideremus. *Nam personas si consideramus, non soli qui se dedunt, aut servitutem promittunt pro servis habentur, sed omnes omnino bello solen-* *Definitur licentia juris gentium in captivos ex parte objecti.*

solenni publico capti, ex quo scilicet intra præsidia perducti sunt. Neque delictum requiritur, sed par omnium sors est, etiam eorum qui fato suo, cum bellum repente exortum esset, intra hostium fines deprehenduntur. Neque tantum ipsi servi fiunt, sed & posteri in perpetuum, nempe qui ex matre serva post servitutem nascuntur.

[Grotius c. 7. §. 1. & 2.]

Definitur licentia juris gentium in captivos ex parte effectus.

§. 2. *Effecta vero juris hujus infinita sunt, ita ut in servum domino nihil non liceat, ac domino acquirantur res omnes, quæ cum persona capiuntur, etiam incorporales, nisi ex singulari personæ proprietate inalienabiles sint, ut jus patrium. Nulla perpessio est, quæ non impune illis imponatur, nulla actio quæ non quovis modo imperetur aut extorqueatur. Ita ut etiam sævitia dominorum in serviles personas impunita sit, nisi quatenus lex civilis sævitiæ modum pœnamque ponit.*

[Grotius §. 3. & 4.]

Titulus hujus licentiæ.

§. 3. Hæc licentia tantaque sævitiæ magnitudo *non aliam ob causam introducta est, quam ut tot commodis deliniti captores libenter abstinerent a summo*

illo

illo rigore, quo captos & statim & post moram interficere poterant.

[*Grotius* §.5. n,1.]

NOTÆ.

I. Si præcise ratio juris gentium habeatur, non necessarium est, ut abstineant captores a summo illius licentiæ rigore, sed est modus persuadendi ab eo, quod est utilius: minoris namque sævitiæ concessione facilius a miseris hominibus interficiendis captores abduci poterant.

II. *Eadem ex causa jus hujus licentiæ etiam in alios transscribitur, perinde ut rerum dominium. Ad natos autem dominium hoc porrigi ideo placuit, quia alioqui, si summo jure captores uterentur, illi ipsi nascituri non erant,* quæ *Grotii* ratio est, nisi potiorem credamus hanc: quod ex re captoris nascitur, captoris est.

III. Huc facit *l. pupillus 239. §. servorum 1. D. de verborum significatione*, ubi *Pomponius* ait: *Servorum appellatio ex eo fluxit, quod imperatores nostri captivos vendere, ac per hoc servare nec occidere solent.*

IV. Sciendum tamen, jus istud gentium de adeo magna sævitia nec semper receptum fuisse nec apud gentes omnes: sic apud Hebræos, perfugium erat servis, his, ut interpretes notant, qui nulla sua culpa in eam calamitatem devenerant. Sic Christia-

nis in universum placuit bello inter ipsos orto captos servos non fieri, ita ut vendi possint, ad operas urgeri, & alia pati, quæ servorum sunt. Idem & Mahumetistæ, teste *Busbequio Epistola Exoticarum 3.* inter se servant. Mansit tamen etiam inter Christianos mos captos custodiendi, donec persolutum sit pretium, cujus æstimatio jure gentium in arbitrio est victoris, nisi certi aliquid convenerit.

V. Multa hic disquiri possent, quæ tamen, mutatis mutandis, ex *præcedentibus capitibus* peti facile poterunt. Hoc unicum addimus, non esse confundendas hasce duas quæstiones: an qui ad suos fugiunt bello manente, sint iterum sui juris? &, an salva conscientia potuerint aufugere? Ad priorem namque respondere facile est, cum libertatem suam consequantur ex postliminii jure, quo de agetur *c. 9.* Ad posteriorem autem quæstionem quod attinet, videtur omnino ac si inter statum capturæ & confirmatum statum distingui possit, adeo ut postquam longa possessione aut pacto captor jus nactus est, animo hominis capti injectum religionis vinculum videatur.

Quæstio.

Ejusne, cujus bellum est, an singulorum, qui modo capiunt, primo

mo ac directe fiant, qui capiuntur, si res æstimetur, ut juris gentium est ante omnem ea de re legem civilem?

TOta quæstio ex præcedenti *capitis 6. quæstione p.1451.* allata pendet, indeque desumenda est, nam homines hac in re jus gentium rebus æquavit. Ita *Cajus JCtus l. naturalem 5. §. item 7. D. de acquirendo dominio: Quæ ex hostibus capiuntur, jure gentium statim capientium fiunt.* Et *l. adeo 7. D. eod. tit. Adeo quidem, ut liberi homines in servitutem deducantur: qui tamen si evaserint hostium potestatem, recipiunt pristinam libertatem.* Occasio habetur *§. 5. n. 4.*

CAPUT VIII.

De EO, QUOD JURIS GENTIUM EST CIRCA BELLO CAPTAM REMPUBLICAM AUT REIPUBLICÆ CAPTAM PARTEM, item circa HOSTILIS REIPUBLICÆ RES.

§. 1.

NIhil fere hic facile dicetur, quod non dictum fuerit in proxime *Licentia juris gentium in*

 præ-

captam rempublicam, aut reipublicæ partem.

præcedentibus capitibus. Nam *qui sibi* jure belli *singulos subjicere potest servitute personali, nihil mirum est, si & universos, sive illi civitas fuerunt, sive civitatis pars*, jure gentium *subjicere sibi potest subjectione sive mere civili, sive herili, sive mixta.* Ita narrat *Justinus* ex Trogo, qui ante Ninum bella gesserant, *non imperium sibi & gloriam quæsiisse, & contentos victoria abstinuisse imperio*, Ninum primum fuisse, qui fines imperii proferret, aliosque populos bello subigeret, & ex eo id abiisse in morem.

[*Grotius c. 8. §. 1.*]

NOTA.

Jure gentium victor, cujus bellum est, potest pro arbitrio suo efficere, *ut quæ civitas fuit, civitas esse desinat*; sive ita *ut accessio fiat alterius civitatis, ut Romana provincia*; sive *ut nulli civitati adhæreat*, ut si *Rex suo sumtu bellum gerens populum imposterum non civitatem esse velit, sed magnam familiam.* Potest etiam *servitutem miscere cum aliqua libertate personali, ut mixtum imperium sit ex civili & herili, Grotius §. 2. & 3.* In ipsius enim arbitrio est, seposita lege naturæ, quem velit esse sui beneficii modum.

§. 2.

§. 2. *Res* victæ reipublicæ aut partis reipublicæ itidem *eorum fiunt* jure gentium, *qui sibi subjiciunt* sive rempublicam, sive reipublicæ partem, *si modo ipsi velint*. Sic *Pompejus, quæ Mithridates bello capto imperio suo adjecerat, populi Romani fecit.* Etiam *incorporalia jura, quæ universitatis fuerant, fient victoris quatenus velit.* Sic *Alba victa, quæ Albanorum jura fuerant, sibi vindicarunt Romani.*

Licentia juris gentium in republica capta aut partis capta res.

NOTÆ.

I. *Sicut* enim *res, quæ singulorum fuerant, jure belli iis acquiruntur, qui eos sibi subjiciunt, sic & res universitatis eorum fiunt, qui sibi subjicunt universitatem, si ipsi velint.* Nam, quod de deditis dixit *Livius: ubi omnia ei qui armis plus potest, dedita sunt, quæ ex iis habere victor, quibus mulctari eos velit, ipsius jus atque arbitrium est;* & *Polybius excerpto legationum 142.* dum scribit: *Qui se dedunt in Romanorum potestatem, ii dant primum regionem, quæ ipsorum fuit, & quæ in ea regione sunt urbes: Viros præterea omnes ac fœminas, qui aut in regione aut in urbibus sunt. Insuper flumina omnia, portus, sacra, religiosa universim omnia, ita ut omnium domini sint Romani, ipsi autem qui se dediderunt plane rei nullius: Idem in bello solenni*

victis locum habet. Nam deditio sponte permittit, quod alioqui vis esset ereptum.

II. Qui vero dominus personarum, idem & rerum est, omnisque juris quod personis competit.

Quæstio.

An jure gentium respublica possit amittere libertatem & civilem & personalem, quatenus hosti libuerit?

Ex his, quæ *L. I. c. 3. q. 8. §. 2. p. 438.* & *L. II. c. 4. q. 2. p. 696. & seqq.* item *cap. 9.* per integrum *p. 834. & seqq.* attulimus, desumenda est decisio, quæ longe facilius inde haberi poterit, quam huc reduci.

CAPUT IX.

De EO, QUOD JURIS GENTIUM EST CIRCA POSTLIMINIUM, ubi simul POSTLIMINII NOTIO ET DISTINCTIONES VARIÆ traduntur.

§. 1.

§. 1.

POstliminii jus est *jus, quod nascitur ex reditu in limen, id est, fines publicos.* *Jus postliminii quid?*

[*Grotius c. 9. §. 2. n. 1.*]

NOTÆ.

I. Nam per postliminium redeo ad id, quod hactenus in potestate mea non fuerat.

II. Neque hujus nominis origo repugnat: Recte namque *Scævola* docet *junctum* seu compositum esse vocabulũ ex particula *post*, quod reditum notat, æque ac dici solet *postvorta Dea*, & *limine*. Nam *limen* & *limes* exitu & flexionis modo differunt, cum alioqui origine (veniunt enim ab antiqua voce *limo*, quæ *transversum* significat. Sic enim *Servius ad XII. Æneidos* & Donatus ad illud Evnuchi *limis oculis*. Pariter *Festus*, *limus obliqvus, id est, transversus, unde & limena.* Pariter *Isidorus L. XV. cap. 14.* scribit: *Limites appellati antiquo verbo transversi. Nam transversa omnia antiqui lima dicebant, a quo & limina ostiorum, per qua foris & intus itur: & limites, quod per eos foras in agros eatur.* In *glossario* limes πλαγία ὁδὸς) & primitiva notione idem sint, sicut materia & materies, pavus & pavo, contagio & contages, compages & compago, (quod ipsum olim fuit compagen, ut docet Genitivus,

tivus, & verbum inde deductum, ſicut & ſangvis fuit ſangven) cucumis & cucumer, quamquam uſu ſeriore factum eſt, ut *limen* magis ad privata, *limes* ad publica referretur. Sic veteres *eliminare* dicebant e finibus ejicere, & exſilium nominabant *eliminium*: & *colliminium* in *Solino* eſt, quod vulgo collimitium. *Grotius* §. 1. n. 2. qui recte ſimul rejicit *Servii* ſententiam, qui partem vocis *poſtliminii* poſteriorem productionem putat eſſe verbi ſine ſignificatu, ut ita *Servio* hæc vox ſit ſimplex & terminatio *liminium* ſit ſaltem additio, ut *mentum* in voce teſtamentum, *monia* in voce ſanctimonia.

Poſtliminii diſtinctio. §. 2. Poſtliminium 1. vel eſt reditus *in fines noſtros*, ſeu in terminos patriæ aut civitatis noſtræ, vel *ad amicos noſtros*, ſeu in limites alicujus provinciæ aut civitatis confœderatæ & ſociæ.

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

I. Sic *Pomponius JCtus l. poſtliminii* 5. §. *in bello* 1. *D. de captivis & poſtliminio.* reverſum poſtliminio, ait, qui intra præſidia noſtra eſſe cœpit, & *Paulus JCtus l. poſtliminium* 19. § *poſtliminio* 3. *D. eodem titulo* cum in fines noſtros intraverit.

II. Ex paritate rationis conſenſus gentium rem eo perduxit, ut poſtliminium locum haberet etiam ſi quis homo, aut res ejus

ejus generis in quo postliminium esse placuerat, *pervenisset ad amicos nostros*, ut d. l. loquitur *Pomponius*, aut ut *Paulus* exempli causa c. l. explicat, ad Regem socium vel amicum.

III. Hic bene notandum est, quod per amicos aut socios intelligendi sint non simpliciter quivis, quibus cum pax est. Sic *qui Romanorum bello Punico secundo capti in Graciam commercio pervenerant, jus ibi postliminii non habuerunt, quia Graci in eo bello neutras secuti fuerant partes: ac propterea opus fuit eos redimi ut liberarentur. Sic & Rhodii quos Atheniensium cives bello Philippi emerant liberaliter Atheniensibus reddidere*. Sed ut recte notat *Grotius, qui partes in bello easdem sequuntur; ad quos qui venerunt*, ut *Paulus JCtus* loquitur, *nomine publico tuti esse incipiunt.* Nihil enim interest homo aut res ad hos aut ad suos pervenerit. Apud eos ergo, qui amici sunt, sed non earundem partium bello capti statum non mutant nisi ex speciali pacto. Ita *in secundo fœdere icto inter Romanos & Carthaginenses convenerat, ut qui a Carthaginensibus capti e populis amicis Romanorum in portus Romanis subditos venissent in libertatem vindicari possent, utque Carthaginensium amicis par jus esset.*

§. 3. Postliminium 2. est vel belli seu *in bello*; vel pacis seu *in pace*. *Alii postliminii distinctio.*

[*Grotius* §. 4.]

NOTÆ.

I. Postliminium pacis *Grotius* noster sic definit: *In pace postliminium nisi aliter convenerit est his, qui non virtute bellica superati, sed fato suo deprehensi sunt, ut qui cum bellum subito exarsit apud hostes reperiuntur. Aliis autem captivis in pace postliminium non est, nisi id pactis erat comprehensum.*

II. Etiam notat *Grotius ex legibus Romanis* postliminii jus *locum habuisse non tantum inter hostes, sed & inter Romanos & populos externos.* Quo sensu plane alia erit postliminii pacis acceptio. Vult tamen *noster* reliquias has esse seculi Nomadum, quo sensum naturalis societatis, quæ est inter homines, mores exsurdaverant. Scilicet *apud gentes, etiam quæ publicum bellum non gererent, erat quædam belli inter privatos quasi ipsis moribus indicti licentia: ac ne ea licentia ad interficiendos homines prosiliret, placuit captivitatis jura inter eos introduci, cui consequens fuit, ut & postliminio locus esset, aliter quam cum latronibus ac piratis, quia illa vis rem producebat ad æquas pactiones, quæ a latronibus & piratis contemni solent. At nostris temporibus, non inter Christianos tantum, sed & apud plerosque Mahumetistas, jus ut captivitatis extra bellum ita & postliminii evanuit, sublata utriusque necessitate ob restitutam vim ejus cognationis quam inter homines natura esse voluit.*

§. 4.

§. 4. Postliminium 3. est vel personarum, vel rerum. Personæ *postliminio redeunt*, res *postliminio recipiuntur*.

Alia postliminii distinctio.

[*Grotius* §. 3. & 10. n. 4.]

NOTA.

Ita discrete satis hasce duas statuit species postliminii *Pomponius JCtus l. cum duæ 14. D. de captivis & de postliminio: Duæ*, ait, *species postliminii sunt, ut aut nos revertamur aut aliquid recipiamus.*

§. 5. Rursus 4. postliminium personarum aut est *singularum personarum*, aut *populorum* vel notabiliorum partium populi.

Alia postliminii distinctio.

[*Grotius* §. 9.]

NOTÆ.

I. Personæ singulæ, quæ libere fuerant, redeunt postliminio, *si hoc animo venerint ad suos, ut eorum res sequerentur adeoque postliminii jure acquirunt sibi & se, & res omnes, quas habuerant apud populos paçatos, sive corporales sive incorporales, ac sicut ad ipsum jura redeunt, ita & jura in ipsum restituuntur, ac pro eo habentur*, ut *Tryphoninus JCtus l. in bello 12. §. cætera 6. D. de captivis & postliminio* loquitur: *ac si nunquam ille hostium potitus fuisset.*

II. Nam sicut personæ singulæ, quæ liberæ

beræ fuerant, ſuam recipiunt libertatem, ſic & populi, ſi forte eos vis ſociorum eximat hoſtili imperio.

III. Hic tamen notandum, quod ſi ipſa multitudo, quæ civitatem conſtituerat, diſſoluta ſit, verius putetur, non eundem populum cenſeri, nec poſtliminio res reſtitui ipſo gentium jure. Ratio eſt, quia *populus, ut navis, partium diſſolutione plane interit, eo quod tota ejus natura in illa perpetua conjunctione conſiſtit.* Sic *non quæ fuerat Sagunti civitas eadem extitit, quando veteribus cultoribus ea ſedes octavo poſt anno reſtituta eſt.*

Alia poſtliminii diſtinctio.

§. 6. Iterum poſtliminium rerum 5. pro varietate eorum, quæ poſtliminio recipiuntur, variat. *Inter hæc* autem, quæ nempe poſtliminio recipiuntur, *ſunt primum ſervi & ancillæ, etiam ſæpe alienati, etiam ab hoſte manumiſſi: quia hoſtium jure manumiſſio obeſſe civi noſtro ſervi domino non potuit.* Deinde *inter res occurrunt agri:* Sic *agros ex Gothis & Vandalis recuperatos veterum poſſeſſorum hæredibus reddiderunt Juſtinianus aliique Imperatores, non admiſſis adverſus dominos præſcriptionibus illis, quas Romanæ leges induxerant.* Eo ſpectat *omne jus quod*

adhæ-

adhæret solo. Sic *Lacedæmonii Æginam insulam Atheniensibus ereptam veteribus dominis reddiderunt.* Ita & *loca capta* ab hostibus, quæ religiosa ac sacra fuerant, si ab hac calamitate fuerint liberata, quasi quodam postliminio eversa pristino statui restitui scripsit *Pomponius l. cum loca 36. D. de religiosis.*

[*Grotius §. 11. & 13.*]

NOTÆ.

I. Non tamen omnes res postliminio recipiuntur. Nam de mobilibus generalis in contrarium regula est, *ut postliminio non redeant, sed in præda sint.* Sic enim *Labeo JCtus l. si quid 28. D. de captivis & de postliminio. Si quid,* ait, *bello captum est, in præda est, non postliminio redit.* Quare & *commercio parata, ubicunque reperiuntur, manent ejus qui emit: nec apud pacatos reperta aut intra fines perducta vindicandi jus est veteri domino.* A qua tamen regula notat *Grotius olim excepta fuisse, quæ in bello usum habent: ut: naves longæ atque onerariæ, non item lusoriæ, muli, sed clitellarii &c.* quod ideo placuisse gentibus credit, *ut recuperandi spes ad ea comparanda alacriores homines redderet.* Plurimarum enim civitatum instituta eo tempore ad rem bellicam referebantur, quare facile in hoc consensum est. *Arma &*

vestis

vestis quidem usum in bellis habebant, sed postliminio non redibant, quia minime favorabiles erant, qui in bello arma aut vestem amitterent, imo id flagitii loco habebatur, ut passim in *historiis* apparet, atque in hoc notat *Grotius* arma ab equo distare, quod eqvus sine culpa equitis proripere se potuit. Cæterum hoc rerum mobilium discrimen videtur usum habuisse in occidente etiam sub Gothis ad Boetii usque tempora. *Grotius* §. *14*.

II. *Eæ res, quæ intra præsidia perductæ nondum sunt, quamquam ab hostibus occupatæ, ideo postliminii non egent, quia dominum nondum mutarunt ex gentium jure*, id est, quia nondum hostium factæ sunt.

III. Nec quæ piratæ aut latrones nobis eripuerunt opus habent postliminio: Sic enim *Ulpianus l. hostes 24. D. de captivis & de postliminio* respondet: *hostes sunt, quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipsi* Reges, aut qui Regibus par jus obtinent, *populo Romano: cæteri latrunculi vel prædones appellantur. Et ideo, qui a latronibus captus est servus, latronum non est, nec postliminium illi necessarium est.* Jus enim gentium piratis aut latronibus non concessit, ut jus dominii mutare possint. Sic *Athenienses Halonesum, quam ipsis prædones, prædonibus Philippus eripuerat, ut redditas a Philippo non ut donatas volebant accipere.*

IV.

IV. Contra hoc, quod dictum est ad postliminium rerum spectare postliminium servorum & ancillarum, objici poterat servos & ancillas non esse res, sed personas, quæ redeunt, cum res non redire sed recipi dicantur. Verum responsio facilis est: Utut enim hac in parte a rebus aliis distet servus, quod animum redeundi habuerit & redierit, habetur tamen fictione juris & civilis & gentium pro re, unde etiam in eo a postliminio liberi hominis distat postliminium servi, quod ut postliminio recipiatur, nō requiritur, ut animo res nostras sequendi venerit. Id enim in eo requiritur, qui se recepturus est, non in eo, qui ab altero sit recipiendus. Et hoc discrimen inter postliminiũ aliarum rerum & postliminium servorum intercedit, quod cum in rebus aliis sufficiat, eas intra fines esse perductas ad postliminii jus in servo id non sit satis nisi & cognoscatur. Nam qui in urbe Roma est, ita ut lateat, nondum receptus *Paulo* JCto videtur.

V. Disputari posset: Num filius postliminio redeat, an recipiatur? videas, qui postliminium mixtum statuunt, huc trahentes *l. cum duæ 14. D. de captivis & de postliminio*, ubi *Pomponius*: *cum duæ species postliminii sint, ut aut nos revertamur, aut aliquid recipiamus, cum filius revertatur, duplicem in eo*

eo causam esse oportet postliminii: & quod pater eum reciperet, & ipse jus suum. Non, ut pater filium, ita uxorem maritus jure postliminii recipit, sed consensu redintegratur matrimonium. Add. *§. si ab hostibus 5. Instit. quibus modis jus patriæ potestatis solvitur.*

VI. Juris olim controversi fuisse videtur, an *qui apud nos serviunt ex populo fœderato, si domum revenissent postliminio redeant?* Gallus Ælius affirmat, Proculus negat, distinguit *Grotius* inter fœdera, ut si qua essent, quæ belli duntaxat publici componendi aut cavendi causa essent inita, ea nec captivitati imposterum nec postliminia obstarent: at si qua id continerent, ut tuti essent publico nomine, qui ab his ad illos venissent, ut tunc captivitate sublata cessaret & postliminium. Add. *l. postliminii 5. §. in pace 2. D. de captivis & postliminio.*

VII. Inprimis in tota hac materia cautiones adhibendæ veniunt ad recte dijudicandum, quid jus gentium & quid jus civile de postliminio disponant. Multa quippe sunt, quæ jus civile juri postliminii, ut juris gentium est & detraxit & adjecit, de quibus *Grotius* §. 10. egit, magis vero nobilissimi juris interpretes, ad quos omnino spectat, consulantur.

CA-

CAPUT X.

De

DISCRIMINE,

QUOD INTER LICENTIAM BELLI EXTERNAM ET IN ORDINE AD JUS GENTIUM SPECTATAM, de qua capite quarto hujus libri agebatur, ET INTER LICENTIAM AC JUSTITIAM BELLI INTERNAM ET IN ORDINE AD JUS NATURÆ RECTE ET IN RIGORE SIC DICTUM INTERCEDIT.

§. 1.

Licentia belli alia est *exterior*, alia *interior*. Illa, quantum ad præsens, respicit jus gentium deque ea *cap.* 4. agebatur, maxime §. *1.* & *2.* hæc respicit jus naturæ. *Licentiæ distinctio.*

[*Grotius c. 10. §. 1. n. 3.*]

NOTÆ.

I. Angusta innocentia est ad leges positivas bonum esse; Latius namque officiorum moralium patet, quam ejusmodi jurium regula: quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas sunt.

II. Ea igitur, quæ *cap. 4. §. 2.* licita & justa dicebantur, sæpissime illicita & injusta simul

ſimul dicenda ſunt, ſalva utriusque aſſerti veritate: Licita & juſta ſunt in ordine ad jus gentium, magnam partem illicita & injuſta in ordine ad jus naturæ.

Utriusque licentiæ diſcrimen. §. 2. Poteſt 1. bellum ex utraque parte dici licitum & juſtum licentia ſcilicet externa: ex utraque vero parte bellum licitum & juſtum juſtitia interna eſſe nequit.

Aliud diſcrimen. §. 3. Si 2. externam juſtitiam ſpectes, cujusvis belli ex jure gentium ſolennis qua talis omnes actus externa licentia ac juſtitia liciti ac juſti ſunt, modo inde naſcantur, ſive belli cauſa juſta ſit intrinſece ſive injuſta: Econtrario ſi internam juſtitiam ac licentiam ſpectes, quoties *belli cauſa* intrinſece *injuſta eſt, etiamſi bellum ſolenni modo ſuſceptum ſit, injuſti ſunt interna injuſtitia omnes iſti actus, qui inde naſcuntur.*

[*Grotius* §. 3.]

Aliud diſcrimen. §. 4. Sic 3. ſi externam licentiam & juſtitiam reſpicias, *qui ſcientes actus belli ſolenni modo ſuſcepti operantur aut ad eos cooperantur*, non tenentur ad damnorum reparationem aut reſtitutionem, ſive belli cauſa intrinſece juſta

ſive

ſive injuſta fuerit: At ratione internæ licentiæ ac juſtitiæ habita, *ſi belli cauſa injuſta fuit, omnino omnes tenentur habendique ſunt in eorum numero, qui ad regnum cœleſte ſine pœnitentia pervenire non poſſunt. Vera autem pœnitentia, ſi tempus & copia ſuppetat, omnino requirit, ut is, qui damnum dedit* actu belli intrinſece injuſto, *ſive interficiendo, ſive res corrumpendo, ſive prædas agendo, id ipſum reſarciat.* Et hoc ſi internam juſtitiam ſpectes, adeo verum eſt, ut non modo *belli auctores, ſive poteſtatis jure ſive conſilio,* ſed etiam *duces* belli *& milites ad reſtitutionem teneantur, de his* ſcilicet *omnibus, quæ bellum* intrinſece juſtum, (cujus ſcilicet juſtitiam potuerunt ac debuerunt noſſe) *conſequi ſolent in actibus dividuis pro damno quisque cujus ipſe cauſa unica, aut certe inter cauſas fuit.* Quid? quod etiam *qui damnum ipſi non dederunt, aut ſine omni culpa dederunt, ſed rem bello* intrinſece *injuſto captam ab aliis penes ſe habent, teneantur eam reddere.* Ratio eſt, quia *cur alter ea carere debeat, nulla cauſa ſubeſt naturaliter juſta, non con-*

sensus ipsius, non malum meritum, non compensatio.

[*Grotius* §.3.4.5.6.]

NOTA.

Hæc unice testimoniis & exemplis *Grotius* toto capite illustriora reddere voluit, quæ videantur.

CAPUT XI.

De MORALIBUS ET INTERNIS LICENTIÆ BELLI IN CORPORA HOSTIUM IN ORDINE AD JUS GENTIUM capite quarto hujus libri SPECTATÆ TEMPERAMENTIS, ubi simul DE DAMNIS VARIISQUE EORUM GENERIBUS agitur.

§. 1.

Morale exterioris licentiæ ac internum temperamentum quid?

MOrale licentiæ belli in corpora hostium in ordine ad jus gentium spectatæ temperamentum in eo consistit, ut illi etiam, qui justam belli causam habent, quantum fieri potest, juribus suis cedant & sæpe rigorem clementia temperent aut commutent: Nam *etiam ubi justitia hoc non exigit, sæpe*

ſæpe tamen convenit bonitati, convenit modeſtiæ, convenit animo excelſo.

[*Grotius c. 11. §. 1. & 7.*]

§. 2. Fundamentum hujus temperamenti moralis aſſequitur facile, qui modo ponderat, quod quæ exteriori licentia & juſtitia licita ac juſta ſunt, non ſtatim interiori licentia & juſtitia juſta, ſed ſæpiſſime injuſta interna injuſtitia maneant. *Poſſunt etiam, qui juſtiſſimum bellum gerunt, injuſti eſſe, ſi modum excedant.* Nimirum *omnes, quorum in alterius manu vita poſita eſt, ſæpius cogitant, quid poſſit is, cujus in ditione ac poteſtate ſunt, quam quid debeat facere.* Certe jus gentium inſontes cum ſontibus uno bello involvit, ſed jus naturæ inſontium cauſa etiam ſontibus parcit. *Fundamentum moralis ac interni temperamenti.*

[*Grotius §. 1. 3. & 8.*]

§. 3. Parcendum igitur primo omnium erit *infantibus*, hos enim ætas excuſat, cum in eos, qui modo in lucem vitamque humanam venere, ne calumnia quidem quid dicat habeat, ut plane innocentes ejusque ætatis, quæ honeſti & inhoneſti discrimina ignorat. Parcendum *fœminis,* *Modo temperamenti.*

minis, in quibus, quod in pueris rationis usum non adeptis semper, plerumque obtinet, id est, nisi aliquid peculiariter vindicandum admiserint, aut virilia officia & ipsæ usurpent. Parcendum *maribus*, *quorum vitæ genus ab armis abhorret*, ut *sacerdotibus iisque qui sacra curant*, *religiosis hominibus aliis*, *iis qui studiis literarum honestis & humano generi utilibus operam navant*, *agricolis*, *mercatoribus*, *aliis opificibus & artificibus*, *quorum quæstus pacem amat non bellum*. Nam ut hi ab armis abstinent, ita vicissim vi in illos temperetur. Parcendum quodammodo *captis*, non enim ultra quam ut hostis vincatur aut subigatur extendenda ira. Parcendum *vitam salvam paciscentibus*, horum namque sive in prælio, sive in obsidione non repudianda deditio. Parcendum *sine conditionibus se victori permittentibus aut supplicibus factis*. Parcendum iis, *quorum obstinatius studium in suas partes fuerat*. Parcendum *multitudini*, & ob eam *aliquid decedere de summo jure*, *misericordia erit*. Parcendum *obsidibus*. Parcendum *propriis militibus*,

litibus, ne sine sat justa causa committantur, ut *ob meram virium ostentationem.* Paucis: Omnis *inutiliter fusi sangvinis rationem rectores reddere* tenebuntur *ei, cujus vice gladium gestant, unde quisque quod sui est officii,* quod fas & pium est respicere, parcere etiam hostili sangvini maxime eorum, qui aut intrinsece justas, aut non justas quidem sed tamen tales, ut non improbis potuissent imponere, habuere, necessum habebit.

[*Grotius §. 6. 7. 8. & seqq.*]

§. 4. Quia belli justi secundum justitiam internam nulla alia causa esse potest nisi injuria, & vero omnis injuria damnum est, notari meretur, tria esse damnorum genera: Primum est ἀτύχημα sive *infortunium,* de quo ita *Aristoteles*: *Cum ergo damni datio tribus modis in hominum societate contingat, ea quæ ab ignorantia procedit, infortunium dicitur, ut si quis egerit quippiam non in quem existimabat, aut quod non putabat, aut non quo putabat modo, aut non tali fine: ut si quis se ferire non hoc instrumento, non hunc hominem, aut* *Damnum quotuplex? Infortunium quid?*

non hujus rei causa credidit, sed evenit quod ipse non proposuerat sibi; puta vellicare voluit non vulnerare, aut non hunc, non hoc modo. Ex quibus jam colligit *Philosophus* brevem istam descriptionem: *Ergo si ita præter id quod expectari potuit damnum detur, erit infortunium*, ut si quis in loco solitario jaculando se exercens aliquem vulneret.

[*Grotius §. 2. & 4. n. 2.*]

NOTÆ.

I. Damnum nunc pro actu sumitur & notat sive mali inflictionem, sive boni alicujus ablationem; nunc pro statu, & notat sive mali præsentiam, sive boni absentiam.

II. Agitur autem de damnis, quæ unus alteri dat, id propter Aristoteles damni dationem, ut in hominum societate contingit, considerat.

Culpa quid?

§. 5. Alterum damnorum genus est ἁμάρτημα, quod JCti culpam reddunt. *Philosophus* ita exponit: *At si quid ita, ut exspectari ac præviderí aliquo modo potuerit, sed non improbo animo, culpa erit aliqua, nam culpæ affinis est, qui in se habet agendi principium, qui vero extra,*

tra, infelix: Ut si quis in via publica jaculando aliquem vulneravit.

[*Grotius* §. 4. n. 2.]

§. 6. Tertium genus damnorum est ἀδίκημα injuste factum, idque *Philosopho* iterum duplex est: 1. damnum a sciente, sed non deliberato illatum. Quod effectus habitualis & propriissime dictæ injustitiæ non est, licet ἀδίκημα dicatur, sicut ex his *Philosophi* verbis liquet: *At quoties quis id, quod facit sciens facit, non tamen deliberato, fatendum est adesse ἀδίκημα: ut quæ facere homines solent per iracundiam & perturbationes similes aut naturales aut necessarias:* Ita damnum ex necessario affectu infert, qui fame aut siti ad alteri nocendum impellitur: Ex affectu naturali, qui amore, dolore, metu adigitur. *Nam qui ira commoti lædunt & culpam admittunt, injuste quidem agunt, suntque hæc ἀδικήματα seu injuste facta: neque tamen injusti aut improbi dicuntur: Quippe cum damnum ipsum ex destinata animi malitia non provenerit.* 2. damnum immerenti ac invito deliberato illatum. Quod so-

Injuste factum quid & quotuplex?

lum injustitiæ habitualis ac propriissime sic dictæ effectum est, adeoque illum, a quo infertur, injustum esse arguit. Sic enim *Philosophus* scribit: *Quod si vero quis deliberato alteri damnum dederit, tum demum improbus & injustus recte nominabitur.* Item: *si autem ex electione quis læserit, injuste agit: & ex his jam injuste factis injustus est, qui injuriam facit.*

[*Grotius* §. 4. n. 2. & 3.]

NOTÆ.

I. Locus, quem *Grotius sane egregium & usus maximi* vocat & ex quo eundem secuti hanc doctrinam tradere placuit, extat *V. Moral. Nicom. c. 8.*

II. Ea, quæ hoc & præcedentibus paragraphis allata sunt, *Aristoteles I. Rhetor c. 13.* in pauca contraxit: *Æquitas*, inquiens, *imperat, ne pari loco habeamus* ἀδικήματα & ἁμαρτήματα, neque item ἁμαρτήματα & ἀτυχήματα: *Sunt autem* ἀτυχήματα, *quæ nec provideri potuerunt, nec improbo animo admittuntur:* ἁμαρτήματα, *quæ provideri potuerunt, non tamen improbo animo fiunt:* ἀδικήματα, *quæ & destinato & improbo animo.* Similia fere sunt, quæ *Marcianus l. perspiciendum 11. §. delinquitur 2. D. de pœnis* habet: *Delinquitur aut proposito, aut impetu, aut*

aut casu. Proposito delinqvunt latrones, qui factionem habent: Impetu autem, cum per ebrietatem ad manus aut ferrum venitur, casu vero cum in venando telum in feram missum hominem interfecit. Magis vero conveniunt, quæ passim *JCtorum* Scholæ tradunt, damnorum aliud *casu fortuito*, aliud *culpa*, aliud *dolo* illatum esse docentes, qui tamen culpam iterum in latam, levem & levissimam distingvunt, & ex his culpam latam dolo proximam, adeoque quod effectum juris attinet, in civilibus, maxime in contractibus, æque ac dolum præstari perhibent. Cæterum quæ de diversis culpæ acceptionibus, nunc ut negligentiam destinata animi malitia carentem notat, ut §. 5. sumebatur, nunc ut relationem ad peccatum morale arguit aliisque ad præsens argumentum facientibus dici poterant, in *tractatu morali de satisfactione cap. 1.* tetigimus.

CAPUT XII.

De MORALIBUS ET INTERNIS LICENTIÆ BELLI IN RES HOSTIUM IN ORDINE AD JUS GENTIUM capite quinto hujus libri spectatæ TEMPERAMENTIS.

§. 1.

§. 1.

Morale ac internum exterioris licentiæ in res hostium temperamentum quid?

MOrale licentiæ belli in res hostium in ordine ad jus gentium, spectatæ temperamentum in eo constituitur, ut illi etiam, qui intrinsece justam belli causam habent, quantum fieri potest, a populationibus & vastationibus abstineant. *Res* namque *alterius, ut perdere quis sine injuria possit, horum trium unum antecedat necesse est: aut necessitas valde urgens & inevitabilis: ut si quis tertii gladium, quo usurus sit furiosus, periculi sui evitandi causa,* si aliter evitari nequeat, *in amnem projiciat; aut debitum aliquod procedens ex inæqualitate, nimirum ut res perdita imputetur in illud debitum quasi percepta, alioqui enim jus non esset: aut meritum aliquod malum, cui pœna talis par sit, aut cujus mensuram pœna non excedat.*

[*Grotius* §. 1.]

NOTÆ.

I. Et hæ quidem causæ & intra hos duntaxat fines faciunt, ut absit injuria: Cæterum nisi causa utilitatis suadeat, stultum sit nullo suo bono nocere alteri. Ideo qui bellantes sapiunt, utilitatibus moveri solent.

Unde

Unde ab ejusmodi populationibus semper abhorruit bonitas Christiana, imo & gentilis, & ipsa justitia plerumque, quia abire non possunt sine multorum innocentium malo, & parum sæpe proficiunt ad belli summam.

II. Illa tamen populatio ferenda est, quæ brevi ad pacem petendam hostem subigit. At si recte rem expendamus & ad stateram interioris justitiæ, plerumque admittuntur talia odio magis quam prudenti ratione. Ferme enim evenit, ut causæ illæ suadentes cessent, aut ut aliæ sint validiores, quæ dissvadeant.

Fundamentum moralis ac interni temperamenti.

§. 2. Non modo æquitas naturalis id exigit, quæ in bello non in infinitum vult vagari licentiam, sed & *moderatio ista in servandis rebus, quæ bellum non morantur, magnum hosti telum eripit desperationem.* Accedit, *quod speciem hoc præfert manente bello magnæ de victoria fiduciæ, & quod clementia apta per se frangendis & conciliandis animis.*

Modus interni temperamenti.

§. 3. Parcendum igitur *rebus frugiferis, quas ita tenemus, ut hostibus nequeant esse in fructu:* Non enim ut homines ita & arbores adversum nos in prælium consurgere possunt, sique ejusmodi res vocem edere possent, clamatu-

maturæ essent, inique se cum belli causæ non sint perferre belli pœnas. Parcendum *non agricolis tantum, sed etiam animantibus ruris operi inservientibus.* Parcendum *rebus quibusvis, quæ sine causa perituræ sunt,* ut *si ædificia comburantur, esculenta ac potulenta corrumpantur.* Parcendum *multo magis iis post plenam victoriam,* item *in dubia possessione, si nempe magna sit spes celeris victoriæ, cujus premium ager & fructus futuri sint,* item *si hostis habere possit, quo aliunde se sustentet, puta si mare, si fines alii pateant.* Tali ergo statu optimum factu, ut agricultura etiam in ipso collimitio tuta maneat. Parcendum *rebus ejus naturæ, quæ ad bellum faciendum aut ducendum nihil momenti habent:* Quibus parci etiam manente bello ratio vult, cum turpe sit, quia non potueris vincere, bellum cum hominibus mortuis gessisse, eaque perdere, quæ nec hosti perdita vires adimunt, nec perdenti emolumentum adferunt, adeoque parcendum *templis, statuis & similibus.* Specialis namque ratio accedit in iis,

quæ

quæ ſacris uſibus dicata ſunt; quanquam enim & hæc publica ſuo modo ſunt, atque ideo per jus gentium violantur, tamen ſi nullum inde periculum ſit, conſervari talia & quæ eis accedunt, ſvadet rerum divinarum reverentia inter eos maxime, qui eundem Deum ex eadem lege colunt, etiamſi forte ſententiis quibusdam aut ritibus diſſideant. Idem valet de religioſis, etiam de iis, quæ in honorem mortuorum ſtructa ſunt. Nam & hæc, quanquam jus gentium iram in iſta exercendam indulget, violari non posſunt niſi contemta humanitate. Idem de aliis ornamentis intelligendum eſt. Nam in ea ſævire id vere injuriam eſt facere humano generi omnis ævi, eripiendo iis, qui olim fuere, debitæ laudis memoriam, venturis vero ſpectaculi voluptatem.

[*Grotius* §.2. *&* *seqq.*]

NOTÆ.

I. Digna ſunt *Polybii* verba, quæ expendantur: *Quæ neque nobis ad bellum futura ſunt uſui, nec hoſtibus incommodatura, ea ire perditum, templa maxime & quæ in iis ſimulacra & ſimilia ornamenta, quis neget malæ mentis*

mentis & præ ira furibundæ esse opera? Sane potentum quales sunt actiones, talis existimatio. Consiliis contrariis contrarii quoque eventus.

II. Hanc in rem *totum caput* illustribus testimoniis & effatis plenum videatur.

CAPUT XIII.

De MORALIBUS ET INTERNIS LICENTIÆ IN BELLO CAPTAS RES IN ORDINE AD JUS GENTIUM capite sexto hujus libri spectatæ TEMPERAMENTIS.

§. 1.

Morale ac internum exterioris licentiæ in res bello captas temperamentum.

MOrale licentiæ in bello captas res in ordine ad jus gentium spectatæ temperamentum in eo consistit, quod multa, quæ belli jure capta sunt & habentur, capta sint *sine acquirendi jure*, si internam justitiam spectes. *Non* enim *peccato vacare aut a restitutionis onere immunis censeri debet quævis rerum hostilium etiam in bello justo captura.*

[*Grotius c. 13. §. 1. n. 1.*]

§. 2.

§. 2. *Quippe si id quod recte fit spectas,* hoc est, respectu ad internam justitiam habito, nemo fit rerum captarum dominus, nisi qui bellum gerit intrinsece justum: Sed neque bello intrinsece justo *ultra licitum est capere aut habere, quam causa subest debendi in hoste: excepto quod extra eam ad securitatem necessariam res possunt detineri, sed restituendæ cessante periculo in se, aut in pretio. Nam quod & in re pacatorum liceret, multo magis in re hostium licet.*

Fundamentum moralis ac interni temperamenti.

[*Grotius* §. 1.]

NOTÆ.

I. Notat hic *Grotius*, quòd *deberi aliquid nobis possit aut ob inæqualitatem rerum, aut ex pœna:* Id quod facile admittimus. Sed quod addit, *posse ex utraque causa acquiri rem hostilem,* hoc quia de belli mere publici jure quæstio est, quantum ad posterius, nempe quod reges, aut qui Regibus par jus obtinent, pœnam insuper pendere captoribus teneantur, salvis moralium regularum fundamentis supra *L. II. c. 20.* indicatis vix admitti poterit.

II. Tanto igitur facilius adstipulamur *Grotio* in debendi genere, quod pœnale est, non videnti gentium consensu tale jus in res subditorum esse proditum, quo minus

in hoc negotii genere jus pœnæ locum habere credimus, quia supra de eo, num bellum pœnale mere publicum detur, dubitatum est, *capite* scilicet *20. p. 1233.*

III. Cæterum *res subditorum capi & acquiri juste posse non tantum ad consecutionem debiti primarii, unde ortum est bellum, sed & subnascentis*, non penitus negatur.

Modus momalis temperamenti.

§. 3. *Dum* ergo *secundum sanum judicium satisfactum est de eo damno, quod in ipso bello datum est, capta in bello nequeunt compensari cum debito principali.* Parcendum etiam paupertate oppressis. *Nam qui divitiis floret, immisericordiæ reus erit si inopem debitorem omnibus reculis suis excutiat, ut ipse ultimum quadrantem consequatur, multoque magis si is ipse debitor in id debitum venerit sua bonitate, ut si pro amico fidejusserit, ipse autem nihil pecuniæ verterit in rem suam.* Parcendum *fidejussorio nomine obstrictis aliisque, qui extra culpam sunt belli, adeo ut relinquantur ipsis res istæ, quibus nos facilius quam ipsi careamus, præsertim vero si satis appareat, illos ipsos id quod eo modo amiserunt a civitate sua non recuperaturos.* Parcendum *subditis innocentibus quamdiu spes*

est

est nos nostrum satis facile consequi posse ab originariis debitoribus.

[*Grotius* §. 2. & *seqq.*]

NOTA.

Latius namque patent caritatis quam juris regulæ, ut multa etsi cum stricto jure non pugnent, abeant tamen ab humanitatis regula. Multis namque dici potest, quod Babylone capta Cyrus militibus: *Injuste quidem non possidetis, quæ tenetis: Sed si quid non auferetis hostibus, id vestra erit humanitatis.*

CAPUT XIV.

De MORALIBUS ET INTERNIS LICENTIÆ BELLI IN CAPTIVOS IN ORDINE AD JUS GENTIUM capite septimo hujus libri spectatæ TEMPERAMENTIS.

§. I.

MOrale licentiæ in captivos in ordine ad jus gentium spectatæ temperamentum in eo consistit, quod multa, *quæ in eos fiunt ex gentium jure, naturalis ratio fieri nequaquã sinat.* Non enim si internam justitiam spectes, licite

Morale ac internum licentiæ exterioris in captivos temperamentum.

cite in servorum censum detruduntur nisi bello intrinsece justo capti fuerint: Nec justitia interna licitum est quosvis homines capere, inque primis humanitas exigit eximere servituti & sacerdotes & eos, qui decretis in se factis non adsenserunt. Nec in infinitum extenditur interna licentia in servitutem redigendi captos, sed eo usque licita est talis servitus, *quousque debiti aut primarii aut subnascentis quantitas patitur.*

[*Grotius* §. 1. & 3.]

Fundamentum moralis temperamenti.

§. 2. Fundamentum hujus temperamenti idem est, quod in *præcedenti capite*, magis vero *capite 11.* definiebatur. *Erit* quippe *æquitatis ac bonitatis officium, eadē hic adhibere discrimina, quæ cum de interficiendis hostibus ageretur annotata sunt.* In mancipio cogitandum non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura, quæ parcere captis jubet.

[*Grotius* §. 1. n. 2.]

Modus moralis temperamenti.

§. 3. Parcendum ergo *servorum vitæ*, parcendum tergo, hoc est, *circa verbera in servos adhibenda est æquitas imo & clementia.* Non enim æqvum est

gra-

gravius homini & durius imperari quam imperatur animalibus mutis: Eqvum certe non crebris verberibus exterret dominandi peritus magister; fiet enim formidolosus & contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris. Parcendum *valetudini, & operæ cum modo exigendæ sunt.* Justus mancipiorum hic est usus, ut nec præ labore deficiant, nec per egestatem impares sint ferendo. Parcendum *fami servorum*, alimenta enim ipsis debentur. *Ex humanitate & beneficentia veniet, interdum tali, quæ & debeatur, ut post longas operas aut valde magnas libertas detur servo.*

NOTÆ.

I. Sed hæc pluribus definiri possent, præcise tamen definiri nequeunt. Videantur interim tot insignia testimonia, quibus totum caput abundat.

II. Interim nec servo omnia licent si internam justitiam examines, quæ alias jure gentium licent. Ita fugere ei, qui bello justo captus est, non licet, imo nec bello injusto capto, postquam pactum aut juramentum accesserat, licebit.

III. Si hoc vult *Grotius*, quod privato qua tali in servum jus pœnæ capitalis quæ-

ſitum ſit, ut æque capitali ſupplicio afficere eum per naturale jus poſſit, quo imperans alios delinquentes, ceu ex § 3. forſan colligeres, dum ſcribit: *Jus vitæ & necis quod dicitur in ſervum domino præſtat, ut domeſticam habeat juriſdictionem, ſed nimirum eadem religione exercendam, qua publica exercetur*; ſic certe vix morali æquitati eique internæ juſtitiæ, quam hic commendat, id ſatis conveniens videbitur. Jus enim pœnæ capitalis imperio in civitate ſic proprium eſt, ut alii ſocietati concedi nequeat: Nec vero antiqui illi, quibus jus naturæ Deus ipſe interpretabatur ſingulari communicationis genere, unquam imperio herili jus vitæ ac necis deputarunt. Sed hac de re actum eſt in Diſſertatione de Jure imperii quæſito ſub noſtro moderamine habita.

CAPUT XV.

De

MORALIBUS ET INTERNIS LICENTIÆ IN CAPTAM REMPUBLICAM AUT REIPUBLICÆ CAPTAM PARTEM IN ORDINE AD JUS GENTIUM capite octavo hujus libri ſpectatæ TEMPERAMENTIS.

§. 1.

§. 1.

MOrale licentiæ belli in captā rempublicam aut captam reipublicæ partem in ordine ad jus gentium spectatæ temperamentum in eo positum est, quod imperium in alium populum aut populi partē bello intrinsece injusto capere sit capiendi jus sine interiori acquirendi jure, quod *justo bello ut alia acquiri possunt, ita & jus imperantis in populum, & jus quod in imperio habet ipse populus, sed nempe quatenus fert debiti modus.* Quodque summa sit ratio, quæ facit pro vera victorum gloria, si *nihil victis eripiant præter injuriæ licentiam.* *Morale ac internum exterius licentiæ in alienum imperium temperamentum.*

[*Grotius c. 15. §. 2.*]

§. 2. *Quæ in singulos aut exigitur æquitas, aut laudatur humanitas, tanto magis in populos aut in populorum partes, quanto in multos insignior est & injuria & beneficentia.* Unde non tam vincere pulchrum, quam victoria clementer uti, bellorumque egregii fines sunt, quoties ignoscendo transigitur. P[illegible]cis: Moralis sit ratio vincendi, ut *Fundamentum moralis ac interni temperamenti.*

misericordia & benignitate victores se muniant.

[*Grotius* §. 1. n. 3.]

Modus moralis temperamenit.

§. 3. Itaque imperantium est *fines imperii tueri magis quam proferre.* Moderatæ victoriæ species est *victis aut Regibus aut populis relinquere suum imperium.* Quod nō tantū humanitatis est, sed sæpe & consilii. Alius moderatæ victoriæ modus datur, *ut aliquid imperii relinquatur ipsis* aut ipsorū rectoribus, *si minus tutum sit omni in victos imperio abstinere.* Rursus alium modum humanitas exigit, ut dum omne imperium victis eripitur, tamen *relinquantur illis circa res privatas & publicas minores suæ leges suique mores & magistratus. Eximia hujus indulgentiæ pars est avitæ religionis usum victis nisi persvasis non eripere, interim cura adbibita, ne vera opprimatur.* Ultimus denique temperamenti modus hic est, *ut in imperio etiam plenissimo & quasi herili victi clementer habeantur, & ita ut eorum utilitates cum victoribus utilitatibus socientur.* Ita *Cyrus*, ut est apud *Xenophontem de Cyri institutione L IV.* victos Assyrios

ſyrios jubebat bono eſſe animo, eandem ipſorũ ſortem fore, quæ fuiſſet, mutato tantum Rege, manſuras ipſis domos, agros, jus in uxores, in liberos ut fuiſſet hactenus; quod ſi quis iujuriam ipſis faceret, ſe ac ſuos vindices fore.

[*Grotius* §. 4. & *ſeqq.*]

NOTA.

Tot egregie dicta, quibus & hanc doctrinam illuſtravit *noſter* uberrime, omnino inſpiciantur.

CAPUT XVI.

De

MORALIBUS ET INTERNIS POSTLIMINII IN ORDINE AD JUS GENTIUM capite nono hujus libri ſpectati TEMPERAMENTIS ET AUGMENTIS.

§. I.

Morale & internum poſtliminii ut juris gentium eſt temperamentum.

Morale poſtliminii ut juris gentium eſt temperamentum ex eo diſcitur, in quo morale licentiæ belli in perſonas resque capientibus jure gentium conceſſæ ſupra conſtituebatur: *his* namque *de rebus deducenda ſunt, quæ*

redeunt ac recipiuntur postliminii jure. Sunt enim hæc pro non captis.

[*Grotius c. 16. §. 1. n. 1.*]

Morale ejus augmentum.

§. 2. Morale postliminii augmentum potissimum hoc est, quod *quæ bello intrinsece injusto quæruntur*, reddenda ac *restituenda sint, nec ab iis tantum qui ceperunt, sed & ab aliis, ad quos quoquo modo pervenerunt.* Neque vero plus retineri bello intrinsece justo potest, quam amissum fuerat, aut tantundem valens, quod morali æstimatione idem est.

[*Grotius §. 2.*]

Fundamentum moralis temperamenti & augmenti.

§. 3. Fundamentum ex hactenus dictis liquet: nam *in jure interno bellum injustum a latrocinio nihil distat*, unde nec belli injusti autor jus, quod non habuit, dare potuit, atque adeo jus *internum non habebit, qui causam ab ipso obtinuit qui* injusto bello aut injusto belli modo *primo cepit, jus ergo secundus aut tertius possessor accepit, quod docendi causa externum vocamus, id est, commodum hoc, ut ubique judiciaria auctoritate ac manu pro domino tuendus sit, quo tamen si utatur adversus eum,* cui

cui res malo facto erepta est, faciet non probe.

[*Grotius* §. *1.*]

§. 4. *Reddenda ergo res tales his, quibus* bello injusto aut injusto modo *fuerant erepta*, quod & factum sæpe videmus, item liberæ personæ in libertatem restituendæ: *Populi & partes populorum reddendi his, qui jus imperii habuerant, aut etiam sibi si sui fuerant juris ante vim injustam.* Si valde ambiguum sit jus belli, *optimum erit Arati Sicyonii consilium sequi, qui partim novis possessoribus persvasit, ut pecuniam accipere mallent, possessoribus cederent, partim veteribus dominis, ut commodius putarent, numerari sibi quod tanti esset quam suum recuperare.* *Modus moralis temperamenti.*

NOTA.

Hanc rem ut *præcedentibus capitibus*, ita hic etiam a Grotio eximiis dictis & factis illustratam conspicere est.

CAPUT XVII.

De HIS, QUI IN BELLO MEDII SUNT, seu NEUTRALIBUS ET NEUTRALITATIBUS, ut vulgo vocant.

§. 1.

§. 1.

Distinctio.

DUo hic spectanda veniunt: Unum est officium belligerantium erga neutrales, hoc est, quomodo belligerantes sese erga neutrales gerere debeant. Alterum est officium neutralium erga belligerantes, hoc est, quomodo neutrales vicissim se gerere erga belligerantes teneantur.

NOTA.

Supervacuum videri posset tractationem hic institui a Grotio de his, qui extra bellum sunt positi, quando in hos satis constet nullum esse jus bellicum; Verum quia occasione belli multa in eos, finitimos præsertim, patrari solent, omnino videndum erat, quid liceat salvis moralium officiorum regulis.

Morale officium belligerantium erga neutrales.

§. 2. Quod prius officium attinet, *Grotius* prætendi adversus neutrales a belligerantibus necessitatem posse negat, nisi sit *summa*: Requirit præterea, *ut ipsis neutralibus par necessitas non subsit, etiam ubi de necessitate constat, non ultra sumendum, quam exigit*: Id est, *si custodia sufficiat, non sumendum usum: si usus, non sumendum abusum: si abusu sit opus, restituendum tamen rei pretium.*

Maxi-

Maxime eorum, quorum res bello agitur, officium est, ut *exactam curam* adhibeāt *deq; rebus necessariis* sibi suisque *provideant.* Bene solvant stipendia, rigidam plenique vigoris disciplinam servent, quoties per eorum, qui in bello medii sunt territorium transire juste datum est. Ita de Pompejo Magno *Tullius*: *Ejus legiones sic in Asiam pervenerunt, ut non modo manus tanti exercitus, sed nec vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur.* Et *Plutarchus*: *Cum audisset milites suos per itinera licentius agere, sigillum gladiis eorum adposuit; quod qui non custodisset, puniatur.*

[*Grotius c. 17. §.1. & 2.*]

NOTÆ.

I. Quæ necessitas, ut jus aliquod det in rem alienam, esse debeat, hac de re ex instituto actum est supra *L. II. c. 2. p. 628.*

II. Interim nondum cum *Grotio* facere possumus, dum putat, quæsitum esse hosti jus transitus per neutralis territorium, nec unquam metu neutralis jus transitus ejusmodi tolli posse: de quo ibidem *quæstione IV. p. 659. & seqq.* vidimus.

§. 3. Posterius officium neutralium erga belligerantes est *nihil facere, quo vali-* *Mom. le officiū neutralium erga*

belligerantes. *validior fiat is, qui improbam fovet causam, aut quo justum bellum gerentis motus impediantur: In re vero dubia æquos se præbere utrisq; in permittendo transitu, in commeatu præbendo legionibus, in obsessis non sublevandis.* Et ut summam rem complectamur: quibus rebus amicitia violetur? his maxime duabus: *Si socios belligerantium pro hostibus habeant, si hostibus se conjungant.* Sic Romani Philippo Macedonum Regi objecerunt, fœdus ab eo dupliciter violatum, & quod sociis populi Romani fecerit injurias & quod hostes auxiliis & pecunia juverit. Sæpe etiam *proderit cum utraque parte bellum gerente fœdus miscere*, ita ut cũ utriusq; bona voluntate a bello abstinere, & communia humanitatis officia utrisque exhibere liceat. Sic Archidamus Spartæ Rex Eleis cum viderentur in Arcadum partes inclinare epistolam scripsit hoc tantum continentem: *καλὸν ἡσυχία: Bonum est quiescere.*

CA-

CAPUT XVIII.

De

EXTERIORI BELLI LICENTIA PRIVATORUM IN HOSTES RESQUE HOSTILES ET INTERIORI EJUS TEMPERAMENTO, ubi ſimul de mandato generali & ſpeciali, ut & indigno quæſtu ex ſola temporum infelicitate agitur.

§. 1.

SI externam juſtitiam & gentium jus ſpectes, *cuilibet privato rem hoſtilem licet* occupare aut perdere, *hoſtem occidere*, modo mandatum adſit: *Nam illo jure hoſtes pro nullis habentur*. Licet etiam absque mandato bellum privatum inire, ſi *occaſione belli publici naſcatur bellum privatum, puta ſi quis in hoſtes occiderit*, nec facile jus gentium tali licentiæ ponit modum. *Exterior licentia privatorum in hoſtes quæ?*

[*Grotius c. 18. §. 1. & 5.*]

§. 2. *Mandatum eſſe poteſt aut generale aut ſpeciale: Generale*, ut in tumultu apud Romanos Conſul dicebat: *Qui Rempublicam ſalvam volunt me ſequantur. Speciale mandatum habere posſunt non hi tantum, qui ſtipendia percipiunt,* *Mandatum quotuplex? Mandatum generale quid? Mandatum ſpeciale quid?*

unt, sed & qui suo sumtu militant, & qui, quod plus est, suo sumtu partē belli administrāt, ut qui naves instruunt ac sustentant suis impendiis, quibus vice mercedis concedi solet, ut capta sua faciant.

[*Grotius* §. 1. & 2.]

Interius exterioris licentiæ temperamentum.

§. 3. At si justitiam internam & naturæ jus respicias, *videtur in bello justo cuilibet concessum ea facere, quæ parti innocenti intra justum bellandi modum profutura confidit, non etiam res captas suas facere, quia nihil ipsi debetur.* Si suo sumtu militet aut naves instruat, per internam justitiam res hostiles ejus fieri poterunt, ut tamen *non excedatur modus æquo arbitratu æstimandus.* Exigit æquitas, ut abstineat a tali *prædatione, quæ præcipue nocitura sit nō hostium universitati, aut Regi, aut his qui per se sontes sunt, sed innocentibus, & quidem adeo ut eos detrusura sit in summas calamitates, in quas etiam eos, qui privatim nobis debent, conjicere immisericordiæ foret. Quod si ad hæc accedat, ut ea deprædatio neque ad finem bello imponendum, neque ad hostium publicas vires accidendas notabile aliquod momentum habeat, tum vero probo homine*

mine præsertim Christiano indignus censeri debet quæstus ex sola temporum infelicitate. Sic si quis miles aut alius etiam in bello justo ædificia hostium incenderit, agros vastaverit, atque id generis dederit damna, non jussus, adde cum neque necessitas subesset, neque justa causa, tenebitur is ad sarcienda damna: si vero justa causa adfuerit, tenebitur imprimis *suæ civitati, cujus leges transgressus est.* In bello privato, quod belli publici occasione nascebatur, *ea erunt observanda, quæ de naturaliter concesso tuendi se modo L. II. c. 1. dicta sunt.*

[*Grotius* § 1. 3. & *seqq.*]

NOTA.

Quod quis miles aut alius privatus pœnam justam privato ausu exigat communi hominum jure, nondum *Grotio* concessimus.

CAPUT XIX.

DE

FIDE CUIVIS HOSTI SERVANDA, FIDEI HUJUS LIMITIBUS ET MODIS, FIDE LATRONIBUS ET PIRATIS DATA, FIDE REBELLIBUS DATA, FIDE TYRANNIS DATA, FIDE PUBLICIS HOSTIBUS ET PER JUS GENTIUM BELLANTIBUS DATA, ubi simul nobilis materia DE COMPENSATIONIBUS attingitur.

§. 1.

Ratio cur fides hosti servanda.

FIdes, quando hosti promittitur, etiam servanda est, quisquis tandem ille hostis fuerit. Ratio est, quia *hostes qui sunt, homines esse non desinunt. At homines omnes, qui ad rationis usum pervenerunt, capaces sunt juris ex promisso.* Sic Camillus apud Livium ait, sibi cum Faliscis eam esse societatem, quam ingeneravit natura. Ex hac autem societate rationis & sermonis nascitur ea de qua agimus, obligatio ex promisso.

[*Grotius c. 19. §. 1.*]

Ratio cur fides piratis ac latronibus servanda.

§. 2. Piratis ac latronibus fides servanda, *quia quamvis non habeant specialem istam communionem, quam inter hostes in bello solenni & pleno introduxit jus gentium; quia tamen sunt homines, habent communionem juris naturalis, ex quo nascitur, ut pacta serventur.* Sic *belli piratici magnam partem Cn. Pompejus pactionibus confecit, vitam illis pollicitus & sedes, in quibus sine rapto viverent.*

[*Grotius §. 2.*]

NOTA.

Prædonum tamen odio placuit gentibus ea dissimulare, quæ adversus eos etiam vitiose committuntur.

§. 3.

§. 3. *Tyrannis* etiam *fides servanda* ob modo datam rationem. *Ratio cur Tyrannis.*

[*Grotius* §. 2. & 3.]

§. 4. Rebellibus quoque fides servanda, *si cum iis actum sit* quasi *cum desertoribus aut rebellibus; quia eadem ratio urget.* *Cur rebellibus.*

[*Grotius* §. 6.]

§. 5. *Fides* itidem *servanda perfidis hostibus*, eadem scilicet de causa. *Cur perfidis hostib9.*

[*Grotius* §. 13.]

§. 6. Multo magis *iis, qui ex bello solenni*, id est, publico utrinque & indicto, *hostes sunt*, ob sæpius allatam rationem. Nam sicut alia bellum solenne habet peculiaria, ita & fides talismodi hostibus data sanctiori jure vallata creditur. *Cur iis, qui ex bello solenni hostes sunt.*

[*Grotius* §. 11.]

§. 7. Servanda fides, quæ hostibus data est, si vere sit data; *nisi conditio deficiat; aut alter non steterit partibus pactorum; neque si justa compensatio opponatur.* *Limites at modi fidei hostibus servandæ.*

[*Grotius* §. 14. & 15.]

NOTÆ.

I. Diximus fidem servandam esse, si revera fides data sit. Nam fides facti per se

illiciti non est fides, quia ad eam nemo jus habet nec potest habere.

II. Scite philosophatur *Grotius*, dum notat, *defectu conditionis non vere liberari promissorem, sed eventum ostendere, nullam esse obligationem, ut quæ non nisi sub conditione contracta erat.* Et huc refert casum, *si prius alter non implerit, quod ex sua parte implere tenebatur.* Addit rationem: quia *unius ejusdemque contractus capita singula alia aliis inesse videntur per modum conditionis quasi expressum esset: Hæc ita faciam, si & alter faciat, quæ promisit.* Ideo Tullus Albanis respondens *Deos testes fecit, uter populus res repetentes legatos aspernatus dimiserit, ut in eum omnes expetant clades belli.*

Compensatio ejus quod hosti publica fide promissum est quid?

§. 8. *Compensatio cum eo, quod hosti promissum, est, locum invenit, si quid alter quamvis ex alio contractu inter bellum inito debet: si damnum dedit intra induciarum tempora, si legatos violavit; aut aliud quid fecit, quod inter hostes jus gentium damnat.*

[*Grotius §. 19. n. 2.*]

NOTÆ.

I. Hujus compensationis origo supra *L. II. c. 7. §. 3. p. 790* indicabatur, cum dictum est, *nos si quod nostrum est, aut quod nobis debetur, consequi aliter non possumus ab eo, qui nostrum*

nostrum habet, aut nobis debet, tantundem in re quavis accipere posse. Morali namque æstimatione ferri ad tantundem est ferri ad idem. *Grotius* §. *15*.

II. Inde sequitur, (1) ut *multo magis possimus id, quod penes nos est, sive corporale est, sive incorporale, retinere. Ergo quod promisimus poterit non præstari, si non amplius valet quam res nostra, quæ sine jure est penes alterum.* Egregie *Seneca libro de beneficiis sexto: Sic debitori suo creditor sæpe damnatur, ubi plus ex alia causa abstulit, quam ex credito petit. Non tantum inter creditorem & debitorem judex sedet qui dicat pecuniam credidisti. Quid ergo? agellum quem non emeras possides: æstimatione facta debitor discede, qui creditor veneras.* (2.) Idem erit si *ex alio contractu is, qui cum negotium est*, plus aut tantundem debet, idque ego aliter consequi non valeo. (3.) Idem dicendum erit, *si qui promissum urget non contraxerit, sed damnum dederit.*

III. Addit *Grotius* & *quod ex pœna debetur ei, quod promissum est posse contribui.* Sed in bellis mere publicis, stante eo quod bella mere publica pœnalia esse nequeant, hoc locum haud inveniet.

IV. Objici contra moralitatem compensationis poterat, actiones separandas, nec confundendas esse, legem legi non misceri: eundum esse, qua ducimur. Sed

 respon-

responsio facilis est: jus gentium illa discrimina non agnoscit, ubi scilicet alia juris sui obtinendi spes non est.

V. Quæstio est: *Num manente bello compensari possit aut id unde ortum est bellum, aut quidquid bellico gentium jure fieri solet?* Negativa defenditur. *Negatii* enim *natura ne nihil actum sit, ostendit convenisse sepositis belli controversiis.* Nam *alioqui nulla esset pactio quæ non posset eludi.* Bene *Seneca: Nullam excusationem receperunt majores, ut homines scirent fidem utique præstandam. Satius enim erat a paucis etiam justam excusationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari.* Perinde ac in foro si quid inter litigantes convenerit ei, quod promissum est, opponi lite manente non poterit aut actio, de qua lis erat, aut litis damna & impensæ.

VI. Observandum tamen *ut inter easdem personas fiat compensatio, ac ne jus tertii cujusquam lædatur.* Nec est quod objiciatur subditorum bona pro eo quod civitas debet jure gentium obligari posse. Nam præter ea, quæ *capite tertio hujus libri* monstrata sunt, dicendum in tali casu subditos vicem imperantis subire, ut ita tertii jus frustra urgeatur.

VII. Illud tandem addendum, *generosi esse animi stare fœderibus etiam post aliquid injuriæ acceptum.* Ita laudat sapiens Indus

Jar-

Jarchus Regem, qui læsus a vicino fœderato *non discessit a jurata fide, ajens tam sancte se jurasse, ut alteri ne post acceptam quidem injuriam nociturus esset.*

Quæstio.

Num quibusvis hostibus fides data sit servanda?

§. I.

PRo negante sententia facere videntur sequentia argumenta: PRO NEGANTE SENTENTIA

I. Cum quibus nulla nobis societas, sed potius summa distractio est, illis non est servanda fides. ARG. I.

Atqui cum piratis & latronibus nulla nobis societas, sed potius summa distractio est E.

II. Idem argumentum de Tyrannis urgeri poterat, de quibus *Seneca: Quicquid erat quo mihi cohæreret, intercisa juris humani societas abscidit.* ARG. II.

III. Qui a quovis homine puniri possunt, salvo naturæ jure, iis non est servanda fides. ARG. III.

Atqui qui atrociter malefici sunt, neque pars sunt ullius civitatis, hi a quovis homine puniri possunt salvo naturæ jure E.

Major probatur, quia & jus ex fide data

quæsitum iis, ut: prædonibus, latronibus &c. poterit in pœnam auferri. Nam qui puniri possunt, ut vitam amittant, his & res & jura sua possunt auferri: *Non enim est contra naturam spoliari eum, si possis, quem honestum est necare.* Inter jura autem est & jus ex promisso quæsitum.

Arg. IV. IV. Si qui metu causam dedit promisso tenetur liberare promissorem sequitur, quod non omni hosti fides data sit servanda.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia probatur, quia piratæ, latrones, tyranni, injustam causam belli habentes metu sæpe causam dant promissis.

Prius patet, quando damnum dedit per injustitiam, id est, per actum pugnantem & cum natura libertatis humanæ, & cum natura actus, qui liber esse debuit.

Arg. V. V. Si hosti falsum eloqui aut licet, aut crimine vacat, pari ratione & fidem hosti datam fallere aut licet aut crimine vacat.

Prius est verum E. & posterius.

Consequentia patet quia utrobique par ratio est.

Pro affirmante sentent. §. 2. Vera sententia in ipsis præceptis *præsentis capitis* ut et *capite 11. ac 13. L. II.* probata est.

§. 3.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. negando propositionem minorem. Nam omnino societas inter omnes homines est, quam natura ingeneravit, ut *§. 1. preceptorum hujus capitis* monebatur. Sunt piratæ, latrones & alii communis illius ex humano genere constantis cives. AD ARG. I.

Ad II. respondetur idem, quod ad I. Imo vero arctior inter subditos & tyrannos quam inter subditos & latrones est societas. Conf. ea, quæ *c. 3. hujus libri p. 1419.* allata sunt. RESP. AD ARG. II.

Ad III. respondetur negando majorem & minorem. De minoris falsitate actum est supra L. II. c. 20. integra quæstione 1. *p. 1226.* Majorem quod attinet, sane in casu, de quo hic loci agitur, tanquam cum malefico actum esset: Unde posito, nondum tamen concesso quod cuivis licitum sit punire quemvis, modo punire volens paribus delictis non teneatur, tamen si cum tali atrociter malefico qua talis est, actum esset, simul de remittenda, quod hanc rem attinet, pœna censeri deberet, quia semper ea sumenda est interpretatio, quæ cavet, ne actus in vanum recidat. RESP. AD ARG. III.

Ad IV. respondetur negando consequentiam majoris. Quamdiu enim is, cui promissio facta est, promissorem liberare detrectat, tamdiu fides a promissore data, RESP. AD ARG. IV.

utut ex metu data fuerit, servanda erit, ceu duabus integris quæstionibus & *p. 933.* & *p. 988.* ostensum est.

RESP. AD ARG. V. Ad V. respondetur negando consequentiam majoris & probationem ejus. Nam verum eloquendi obligatio est ex causa, quæ belli fuit anterior, & bello tolli forte aliquatenus potest: At promissio per se jus novum confert. Vidit hoc discrimen *Aristoteles*, cum de veriloquio agens ait: *Non de eo loquimur, qui in conventionibus verax est, & in iis quæ ad justitiam & injustitiam pertinent, sunt enim hæc alterius virtutis.*

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occasio quæstionis habetur *§. 1. & seqq.* usque ad *6.*

CAPUT XX.

De

FIDE PUBLICA, QVA BELLUM FINITUR, ubi simul de SORTE, CONDICTIONE CERTAMINIS, ARBITRIO, DEDITIONE, ejusque modis, PURA ET CONDITIONATA, OBSIDIBUS ET PIGNORIBUS agitur. Item de RUPTA PACE VARIISQUE MODIS RUMPENDI PACEM.

§. 1.

In fide publica quot spectanda? IN fide publica, qua bellum finitur, duo spectanda sunt; *Principalia* & *acces-*

accessiones. Principalia, ipsa sunt, quæ bellum finiunt, sive actu suo, ut: pactiones pacis; sive ex consensu ad aliud relato, aut sortes, prælii condicti exitus, arbitri pronunciatio. De accessionibus agetur §.8. *Principalia quæ?*

[*Grotius c. 20. §. 1.*]

NOTÆ.

I. Ut bellantes aut personæ publicæ aut privatæ sunt, ita fides inter hostes in publicam & privatam distingvi poterat.

II. Publica rursus aut summarum potestatum, aut inferiorum dici poterat.

III. Utraque etiam, cum publica tum privata, fides iterum in expressam & tacitam distinguitur.

IV. Non tamen nisi, quæ summarum est potestatum aut bello finem imponit aut eo manente vim habet, quia de bello ex jure gentium solenni sermo est.

V. Unde pactiones inire, quæ bellum finiant, unice eorum est, quorum est bellum, rei enim suæ quisque moderatur.

VI. Bene interim monet *Grotius* noster, ne principalia in iis, quæ bellum finiunt, cum accessionibus confundantur.

§. 2. Sorte bellum licite finitur, *cum de re agitur, in quam habemus plenum dominium.* *Sors licite bellum finiens quid?*

[*Grotius §. 42.*]

NO-

NOTÆ.

I. Quid sit sorte finiri bellum, non indiget explicatione. Sicut illud etiam extra dubitationem ponitur, quod sortis aleæ subjici belli exitus possit.

II. Non tamen semper salvo naturæ jure potest. Nam *ad subditorum vitam, pudicitiam & similia tuenda civitas, & ad bonum civitatis tuendum rectores arctius obligantur, quam ut omittere possint eas rationes, quæ ad sui & aliorum tutelam maxime sunt naturales.*

III. Attamen si vera æstimatione *qui injusto bello impetitur tanto sit inferior, ut resistendi nulla spes sit, videtur sortem offerre posse, ut certum periculum incerto evadat.* Hoc enim est de malis minimum.

Condictio certaminis ut bellum finiatur quid?

§. 3. Condictione certaminis finitur bellum, quando prælium aut *prælia definito numero condicuntur belli finiendi causa:* exempli gratia *inter singulos utrinque, ut Æneam & Turnum, Menelaum & Paridem; inter binos utrinque, ut inter Ætolos & Eleos; inter ternos utrinque, ut inter Horatios, Romanos & Curiatios Albanos; inter tricenos utrinque, ut inter Lacedæmonios & Argivos.*

[*Grotius* §. 43.]

NOTÆ.

I. Quæstio est: *An talismodi condictio certaminis licita sit & justa?* Responsi loco bene notat *Grotius*, si jus gentium externum tantum spectatur, non esse dubitandum, quin per id ipsum talia certamina sint licita, hostium enim cædem id jus indiscrete permittit: At si jus internum, hoc est, naturæ respiciatur, & in se & in Deum peccare, qui vitam sibi a Deo pro magno beneficio cõcessam tã vili æstimat. Quod vero objici solet: adhiberi condictum certamen posse tanquam testimonium bonæ causæ aut judicii divini instrumentum, recte pro profano & a vera pietate alieno *noster* habet.

II. Casum tamen eximit *Grotius*, in quo ex una duntaxat parte ita condictum certamen justum ac pium esse possit, *si alioqui omnino expectandum sit, ut qui injustam causam fovet victor sit cum magna innocentium strage.* Rationem addit, quia nihil ei imputandum est, qui mavult ea ratione certare, quæ spem ipsi maxime probabilem ostentat. Quod tamen assertum periculosum videtur & vix unquam admittendum, si justitiam internam spectes. Imo ipse *Grotius* mox continet calamum, dum addit: Sed & hoc verum est, quædam quæ non recte fiunt, ab aliis tamen recte non probari, sed permitti ut graviora mala, quæ aliter vitari non possunt, vitentur. Id quod exemplis impro-

improborum fœnerum & impudicitiam professarum mulierum, quæ multis in locis tolerantur, declarat. Casus igitur allatus de eo, quod tolerari ab imperante possit, accipiendus erat.

III. Quæri in talibus præliis solet: *Uter pro victore sit habendus?* Respondetur, victi non censentur nisi qui aut omnes occubuerunt, aut in fugam dati sunt, seque in fines aut oppida receperunt, prout prius convenerat.

Arbitrium quotuplex? §. 4. Arbitrium duplex est: Unum ejusmodi, *ut sive æquum sive iniquum sit, parere debeamus*, quod observatur, cum ex compromisso ad arbitrum itũ est. Alterum ejusmodi, *ut ad boni viri arbitrium redigi debeat.* Posterius est hujus loci eoque bellum finiri solet. Prius tamen potest esse belli finiendi occasio.

Quodnam hujus loci?

[*Grotius* §. 46.]

NOTÆ.

I. Quæritur: *Quonam modo arbiter sumi possit?* Respondetur utrovis modo arbitrum sumi posse, aut ut conciliatorem tantum, hoc est, prioris modi arbitrum, quales Athenienses inter Rhodios & Demetrium fuisse ex historiis constat: aut *ut cujus dicto parendum omnino sit.*

II.

II. Alia quæstio est: *An arbitri, quibus controversia dirimenda conceditur, intelligantur juri adstringi?* Affirmativam inde demonstrat *Grotius*, quia summam potestatem obtinentes, censendi sunt eos adstrinxisse iis regulis, quibus officium judicis adstringi solet, cum non habent judicem communem.

III. Alia quæstio est: *Num ab arbitris, in quos compromissum est, provocare & de injuria queri liceat?* Solide deducit *Grotius* inter Reges ac populos id locum habere non posse. Nam non quæritur *de arbitri officio*, hoc est, num salvo naturæ jure arbiter id pronunciare potuerit, & annon aliter pronunciare debuisset; sed quæritur hic *de compromittentium obligatione*, hoc est, ad quid obligentur, qui ad arbitrum ex compromisso iverant. Summum quisque causæ judicem facit, quemcunque eligit. Nulla ergo superest potestas superior, quæ promissi vinculum impediat aut solvat, adeoque standum omnino erit, sive æqvum sive iniqvum arbitri pronunciaverint. Secus interim se res habet, si arbiter pronunciet de eo, de quo pronunciandi jus non habuerat, ut si de possessione pronunciare voluisset.

§. 5. Deditio est vel *Pura* vel *conditionata*. *Deditio quotuplex?*

[*Grotius* §. 49. & 51.]

§. 6.

Deditio pura quid?

§. 6. *Pura deditio est, cum quis ipsi hosti de se arbitrium permittit, subditumque se facit ejus, cui se dedit, eique, cui se dedit, summam defert potestatem.*

[*Grotius* §. 49.]

NOTÆ.

I. Eam deditionem ejusque effectum, optime definivit L. Cornelius Lentulus apud *Appianum*, dum consilium tulit hujus tenoris: *Permittant*, inquit, *Carthaginenses arbitrio nostro ut victi solent, & multi antehac fecerunt. Videbimus deinde nos, & si quid fuerimus largiti habebunt nobis gratiam: neque enim fœdus dicere potuerunt. Permultum autem interest. Quamdiu fœdera cum illis inimus, ut ea rumpant, semper aliquid causabuntur tanquam læsi adversus aliquam fœderis partem. Nam quia multa sunt dubiæ interpretationis, patet semper perplexandi materia. At ubi ut deditis abstulerimus arma, corpora ipsa acceperimus in potestatem, tum demum intelligent nihil se habere proprium, dimittent animos, & quodcunque a nobis acceperint, id tanquam de alieno datum libentibus animis accipient.*

II. Nec hic jus gentium & jus naturæ confundi debent: Nam si illud spectes, victus post puram deditionem nihil fere *non patiendum habet*: At si jus naturæ respicias, quantū securitas patitur ad clementiam & libe-

liberalitatem propendere semper honestum est, pro circumstantiis certis etiam ex morum regula necessarium, qua de re *præcedentibus capitibus* egimus.

§. 7. *Deditio conditionata est, quæ aut singulis consulit, ut quibus vita salva, aut corporum libertas, aut & quædam bona vel alia jura excipiuntur, aut etiam universitati.* *Deditio conditionata quid & quotuplex?*

[*Grotius §. 51.*]

NOTÆ.

I. Nonnullæ deditionatæ ab conditionatæ imperantibus factæ etiam mixtum imperium quoddam possunt induere.

II. Dubitari poterat, num deditiones conditionatæ dicendæ sint, si dedens se dicat: *Dedo me tuæ sapientiæ*, aut *tuæ moderationi*, aut *tuæ misericordiæ?* Sed si rem recte expendas, omnino pro deditionibus puris habendæ erunt. *Hæc* enim *omnia blandimenta sunt, res manet ut victor arbiter sit.*

§. 8. *Accessiones fidei publicæ, qua bellum finitur, sunt obsides & pignora.* *Accessiones quæ?*

[*Grotius §. 52.*]

§. 9. *Obsides dantur aut sua voluntate aut ejus qui imperium habet.* *Obsides quotuplices?*

[*Grotius §. 52.*]

NOTÆ.

I. Ratio, cur is, qui imperium habet, obsidem dare possit, hæc est, quia *in summo civili imperio comprehenditur & jus in actiones subditorum & in bona*.

II. Quæstio sæpius tractata est: *Num obses interfici possit?* Respondet *Grotius*, *posse* per jus gentium externum; *non posse* per internum seu naturæ jus. Repetantur ea, quæ prolixe *c. 21. L. II. p. 1293.* & *seqq.* dicta sunt, & hanc in rem trahi possunt.

III. Quæritur: *An obsidi liceat fugere?* Respondetur: *non licere, si ab initio aut postea quo laxius haberetur fidem dederit. Alioquin videtur non is animus fuisse civitatis obligandi civem ne aufugeret, sed hosti dandi facultatem qualis vellet custodiæ.* Alia interim quæstio est: *Num civitas recipere & retinere obsidem, qui aufugerat, possit?*

IV. Rursus quæritur: *Num obses in unam causam datus in aliam retineri possit?* Respondetur, *non posse.* Objici poterat: nonnunquam fieri, ut in alia causa fides ab obside violata fuerit. Sed respondetur, sic obsidem retineri quidem posse, non tamen ut obsidem, sed ut alium, eo scilicet gentium jure, quo subditi ex facto imperantium supra *c. 2. hujus libri* detineri posse dicebantur *κατ' ἀνδρεληψίαν*. Quid? quod non facile hoc admitti debeat, cum ne fiat caveri possit, adjecto pacto de reddendis

dendis obsidibus, ubi id, cujus nomine dati erant, impletum erit. *Odiosa namque est obsidum obligatio, tum quia libertati inimica, tum quia ex facto alieno venit.*

V. Rursus & hoc quæritur: *Num Rege, qui fœdus fecit, mortuo obses adhuc teneatur?* Quæstio solvi nequit, nisi adhibita inter fœdus personale & reale distinctione: Nam si prioris generis fœdus fecit Rex, eo mortuo liberatur obses, non item de posterioris generis fœdere dicendum erit. Obses namque erat accessio fœderis: Accessoria autem nequeunt efficere, ut in principalium interpretatione a regula recedatur. De qua distinctione supra *lib. II., cap. 13. p. 985.* actum est.

§. 10. Pignora partim conveniunt, partim disconveniunt cum obsidibus. In eo conveniunt, *quod & ex alio jure debito retineantur, nisi obstet data fides:* In hoc disconveniunt, *quod quæ de iis est pactio non tam stricte sumatur, quam illa de obsidibus*, quia odium est inæquale. *Res* enim *natæ sunt, ut teneantur, non & homines.*

Pignora in quo conveniant?

In quonam disconveniant?

[*Grotius* §. 59.]

§. 11. *Rumpitur pax tribus modis:* 1. *faciendo contra id, quod omni paci inest, dum* nempe *vis bellica infertur sine*

Quot modis pax rumpatur? Primus modus.

Ddddd 2 NOVA

nova causa: Sic de Romanis *Ammianus Marcellinus* initio *L. 29. Opera consulta retrocedentes ne ferro violarent adversorum quenquam primi, & judicarentur discissi fœderis rei ultima trudente necessitate congressi sunt.* 2. *Faciendo contra id, quod in pace dictum est aperte:* Sic erat in fœdere Peloponnesiaco, memorante Thucydide, *ut arbitri prius adirentur, quam arma inferre liceret.* 3. *Faciendo contra id, quod ex pacis cujusque natura debet intelligi.* Sic ea, quæ contra amicitiam rumpunt pacem, quæ sub amicitiæ lege contracta est.

Secundus modus.

Tertius modus.

[*Grotius §. 27. 28. 34. & 39.*]

NOTÆ.

I. Quando pax rumpitur, Græci παρασπόνδημα vocant.

II. Non debent inter se confundi hæc duo: pacem rumpere, & novam bello causam præbere. Nam si & probabiliter nova causa adferri potest, satius est injustitiam sine perfidia, quam cum perfidia admissam credi. Illud *Thucydidis* vix opus habet moneri: *Pacem* rumpunt, non qui vim vi arcent, sed qui priores vim inferunt. Et sane multum inter hæc interest. Ita exempli gratia si quis sociis ejus, cum quo pacem fecerat,

cerat, vim armorum intulisset, videndum prius, num in pace socii comprehensi sint, necne? Si prius, pax rupta est: Ita recte urgent hoc Corinthii in Oratione, quæ est apud *Xenophontem historia Græcæ 6. Omnes nos vobis omnibus juravimus.* Si posterius, hoc est, si aliis sociis ut & cognatis & affinibus, qui nec subditi sunt nec in pace nominati, vis bellica facta fuisset, si quidem bellum esset ex nova causa, non tamen ad pacem ruptam vis in eis trahi posset.

§. 12. Circa primum modum iterum notandum, quod duobus modis pax possit rumpi: 1. si ipse auctor pacis id fecerit. 2. *si subditi* ejus *fecerint sine publico,* hoc est, auctoris pacis *jussu.* *Primi modi subdivisio.*

[*Grotius* §. 30.]

NOTÆ.

I. De priori hujus subdivisionis membro nulla amplius difficultas est. Hoc circa illud imprimis adhuc disquiri solet: *Auctoris pacis socii qui fuere, si vim armorum ei, cum quo pax facta est inferant, sic pax rumpatur?* Videas esse qui sentiant. Nec dubium est, quin ita conveniri possit, non proprie, sed ut pax non videatur plene inita, sed sub conditione partim potestativa, partim casuali. Verum eruditissime censet *Grotius* hoc modo factam pacem, ni manifeste appareat, credendum non esse, cum sit enorme,

& communi paciſcentium voto non conveniat.

II. Circa poſterius ſubdiviſionis membrum notandum bene, de ſubditis ſine juſſu publico vim armatam ei, cum quo pax facta fuerat, inferentis ſermonem fuiſſe. Nam ſi juſſu publico id feciſſent, rector ipſe id feciſſet. Nempe facit rector, quod per ſubditos ſuos facit.

III. Neque tamen quoties ſubditi vim armatam ſine juſſu publico ei, cum quo imperans pacem fecerat, inferunt, ſtatim pax rupta credi debet, ſed probe videndum, an ſubditorum factum publice probatum dici poſſit.

IV. Hoc jam opus, hic labor eſt, unde præſumi poſſit privati factum publice probari. Ad hoc tria requiruntur a *Grotio*: 1. *ſcientia*, ut ſciverit imperans, quid ſubditi per vim armatam adverſus eum, cum quo pacem iniverat, fecerint? Hanc ſcientiam colligere eſt ex factis ſubditorum manifeſtis, aut ab eo, cui vis inferebatur, rectori ſubditorum denunciatis. 2. *potentia*, ut nempe potuerit imperans ſubditorum vires cohibere hoſtileſque auſus refrenare: Et quod potuerit, inde præſumi poterat, niſi appareret rebellio. 3. *neglectu*, quem oſtendit elapſum temporis ſpatium, quale in quacunque civitate ſumi ſolet ad crimina patranda.

V. Ob-

V. Obſcuram diſceptationem habet, *ſi ſubditi vim armatam intulerint ei, cum quo pax facta fuerat, ſine rectoris ſui juſſu, ſi nempe non per ſe arma moveant, ſed aliis bellum gerentibus militent?* Certe Cerites apud *Livium* ſe purgabant ſuos non publico conſilio militaſſe. Eadem Rhodienſium fuit defenſio; ſed verius cenſet *Grotius*, ut id quoque permittendum non ſit, niſi probabilibus argumentis appareat actum aliud, ut nunc interdum fieri ſolet, exemplo veteri Ætolorum quibus pro jure erat *ex omni præda prædam ſumere.* Ita olim Hetruſci negato Vejentibus auxilio, ſi qui ſuæ juventutis voluntarii ad id bellum irent, non impediebant. Et de Ætolis *Polybius*; *Etiamſi non ipſi, ſed alii bellum gerant amici ipſorum aut ſocii, ut eo non minus Ætolis liceat citra publicum decretum utrique parti militare, & utrinque prædas agere.*

§. 13. Rurſum circa primum modum diſtingvitur pax rupta, dum nempe alia per hoc rupta cenſetur, ſi *toti corpori civitatis* aut rectori, cum quo pax facta eſt, *vis armata infertur.* Alia hoc modo, *ſi ſubditis vis armata infertur.* *Alia primi modi ſubdiviſio.*

[*Grotius* §. 32.]

NOTÆ.

I. Ubi tamen ſemper ſubintelligendum venit, *ſi vis armata inferatur ſine nova cauſa.*

II. Quod etiam pax rupta cenſeri debeat, ſi ſubditis ejus cum quo pax inita, vis armata inferatur ſine nova cauſa, deducitur inde, quia *ut omnes ſubditi tuti ſint pax inita eſt: Eſt enim pax actus civitatis pro toto & pro partibus.* Imo *ſi cauſa nova ſubſit, per pacem licebit ſe ſuaque defendere.*

Secundi modi ſubdiviſio.

§. 14. Circa ſecundum modum iterum obſervandum, quod duplici ratione iſte modus obtineat: 1. *ſi fiat, quod non debebat fieri. 2. ſi non fiat, quod & quando debebat fieri.*

[*Grotius* § 34.]

NOTÆ.

I. Sunt, qui diſtingvunt inter ea, quæ majoris, & ea quæ minoris ſunt momenti, deque illis, hoc eſt, de majoris momenti factis admittunt, quod iis demum pax rupta cenſeatur: *Verum ſingula facta ſatis magna ut ſervarentur* videri debebant, quia pace comprehenſa fuerant. Aliud tamen eſt de eo videre, quid naturalis æquitas magis ſvadeat.

II. Si tamen neceſſitas aliqua in cauſa ſit, quo minus pars una impleat id, quod promiſſum eſt, ut ſi res perierit, aut ablata ſit,

ſit, aut quid aliud impediat impleri promiſſa, ſic pax non cenſebitur rupta, ſed expletio eſt exſpectanda, æſtimatio accipienda, æquivalens præſtandum, aliove modo ſatisfaciendum.

§. 15. Circa tertium modum iterum monendum, dupliciter rumpi pacem, & *ſi injuria fiat ei, qui cum pax eſt, & ſi injuria fiat ei, qui eo, qui cum pax eſt conjunctus aut ſubditus eſt, ita tamen, ut aperte facta ſit injuria contra ejus, cum quo pax inita, ſuggillationem.* *Tertii modi ſubdiviſio.*

[*Grotius* §. 40.]

NOTÆ.

I. Quod de atrocibus minis nulla nova cauſa præcedente *Grotius* notat, dum ad eas refert arces in finibus ſtructas non tuendi ſed nocendi cauſa, item inſolitam copiarum conſcriptionem ſi juſtis ſatis indiciis apparet, in non alium hæc quam in eum, qui cum pax facta eſt, comparari, de eo ſupra a nobis actum eſt *p. 659. & ſeqq.* Et unde hæc indicia docebuntur?

II. Et hæc ſunt, quæ ex hoc capite tradi merebantur: Reliqua enim *hoc* ipſo *capite* a *Grotio* tractata ſatis *L. II.* expoſita fuerunt & hic ſaltem repetita. Sic enim ipſe *Grotius*: *Quæ de fide hoſtibus data incidere ſolent quæſtiones ferme omnes ſolvi poſſunt,*

si adbibeantur regulæ supra traditæ, cum de vi quorumvis promissorum, tum speciali jurisjurandi, fœderis ac sponsionum; & de Regum jure ac obligatione, deque ambiguis interpretandis dissertavimus, id quod integris *capp. 11. 13. 14. 15. 16. L. II.* factum est. Mox addit: *Tamen ut et ante dictorum usus sit manifestior, & si quid præterea controversi est, discutiatur, specialium quæstionum frequentiores atque illustriores attingere non pigebit.* Ita exempli gratia supra erat regula generalis de interpretatione: *Quo quid plus habet favoris, eo laxius accipiendum, quo longius abit, eo strictius*: seu, favores sunt ampliandi, odia restringenda, hinc jam facile patet, pactiones pacis, quæ sunt de reddendis his, quæ bello capta sunt; 1. latius interpretandas, quæ mutuæ sunt quam quæ claudicant. 2. quæ de hominibus agunt, quam quæ de rebus. 3. quæ de agris quam quæ de rebus mobilibus. 4. quæ de iis, quæ penes publicum sunt quam quæ penes privatos. 5. quæ penes privatos si reddi jubeant lucrativo titulo possessa quam quæ oneroso.

CAPUT XXI.

De BELLI COMMERCIIS, ubi de INDUCIIS, COMMEATU, CAPTIVORUM REDEMPTIONE.

§. I.

§. 1.

Solent inter bellum a summis potestatibus concedi quædam belli commercia, qualia sunt, induciæ, commeatus, captivorum redemtio. Belli commercia quænam?

[*Grotius c. 21. §. 1.*]

NOTA.

Dum noster belli commercia vocat, cum *Tacito Ann. 14.* loquitur.

§. 2. *Induciæ sunt conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abstinendum est.* Induciæ quid?

[*Grotius §. 1. n. 1.*]

NOTÆ.

I. Dicitur 1. conventio: Unde *si quid convenit, ut belli tempore valeat, id per inducias quoque valet, nisi manifeste appareat non statum spectari sed ipsas functiones.* Contra, si quid de pace dictum erit, id induciarū tempore locū non habebit. Nec est, quod vulgo definiantur induciæ per pacem, uti *Virgilius* pacem sequestram, *Servius* pacem temporalem, *Varro* pacem castrorum, pacem paucorum dierum dixit: Nam hæ omnes sunt non definitiones, sed delineationes quædam eæque figuratæ. Sic *Papinius* ipsas forenses ferias pacem vocavit: & somnum *Aristoteles* vinculum sensuum, quo exemplo & inducias belli vinculum recte dixeris.

II. Di-

II. Dicitur 2. bello manente, nam inter bellum & pacem nihil est medium: & bellum status est nomen, qui potest esse etiam, cum operationes suas non exerit. Vid. supra *L. I. c. 1. p. 7.* Ut disertus est etiam qui tacet, sic bellans est etiam qui a pugna cessat. Hinc ab otio induciæ nomen habent, ut pluribus *noster* §. 2. declarat, quia sunt in bello otium non pax. Itaque accurate loqvuntur *Historici*, qui narrant sæpe *pacem negatam, inducias datas.*

III. Ex iisdem fundamentis deciditur quæstio: *Num post inducias nova indictione opus sit?* Negativa namque evincitur facile, quia induciis tanquam impedimento belli temporali sublatis *ipso jure se exerit status belli non mortuus, sed ante sopitus.*

Tempus induciarum. §. 3. Tempus induciis asscribi solet aut continuum, ut *in centum dies*: *aut cum designatione termini*, ut *usque Calendas Martias.*

[*Grotius* §. 4.]

NOTÆ.

I. De numeratione temporis facienda quæstio est: Et quidem in priore temporis designatione: *Ad momenta temporum*, non dies civiles, *facienda est numeratio. Id enim naturæ convenit. Nam quæ fit ad civiles dies computatio ex legibus aut populorum moribus venit.* In posteriori, ubi terminus scilicet

desi-

designabatur, dubitari solet: *Utrum ad quem diem aut mensem aut annum dictum est duraturas inducias, is dies, mensis, annus exclusus an comprehensus intelligatur?* Magis naturale censet *Grotius*, ut terminus sumatur, qui pars sit rei, favores namque sunt ampliandi.

II. Sunt, qui *Varronem* & *Donatum* secuti in definitione induciarum mentionem faciunt paucorum dierum, quos *Gellius* reprehendit ostendens solere & in horas dari, addit *Grotius*, & in annos etiam.

§ 4. Quantum per inducias liceat, quantum nõ liceat ex ipsa definitione datur intelligi. *Licet ire & redire ultro citroque; sed cum eo apparatu, qui nullum ostentet periculum: Interius recedere cum exercitu, reficere mœnia, militem conscribere: nisi scilicet quid specialius convenerit. Non licet exercere actus bellicos in personas aut res, corruptis hostium præsidiis invadere loca, quæ ipsi tenebant, occupare loca non vere derelicta, sed tantum præsidiis denudata.* Sic *Belisarius male cavillabatur adversus Gothos, cum tali obtentu loca præsidiis nudata invaserat per inducias.*

Jus induciarum. Quid liceat per inducias?

Quid non liceat?

[*Grotius* §. 6.]

NO-

NOTÆ.

I. *An redire possit, qui vi majore circa exitum induciarum detentus fuerat?* quæritur. Negativa est juris gentium. Humanitatis tamen & generosioris animi erat talem remittere.

II. De generalibus induciis egimus, dantur tamen & speciales induciæ: *ut si tantum sepeliendorum hominum causa induciæ datæ sint*; Item *si obsessis datæ induciæ tantum ne oppugnentur*, ut a Totila Neapolitanis; & id genus aliæ. Per quas sane inducias speciales illicitum est alia aut his contraria facere, ceu §. *10. Grotius* notat. Non enim tales induciæ, utpote quæ alteri partium prosunt, debent interim ejus qui dedit caussam duriorem facere. Sic *interdum & convenit, ne commeare liceat. Interdum personis cavetur, non & rebus &c.*

III. Et hoc disquiri solet: *Num nova indictione opus sit, si ab altera partium ruptæ sint induciæ?* Negatur opus esse, quia conventionis capita ei insunt per modum conditionis: Sic *bellum Hetruscis* illatum est, quod contra inducias fecissent.

IV. Ad quæstionem: *Num privatorum facta rumpant inducias?* ex fundamentis quæstionis *præcedenti capite* de privatorum factis pacem rumpentibus *p. 1527.* allatis responderi poterit.

§. 5.

§. 5. Jus commeatus in eo consistit, *ut intelligatur in itu reditus:* Item *abitus tutus, usque dum eo pervenit quis ubi in tuto sit:* Sic *Alexandri M. fides accusata, quod jusserit in itinere interfici eos, quibus indulserat abitum.* Ita *filius sequitur patrem, uxor maritum, non aliter quam in jure commorandi:* (morari enim solemus cum familia, sed sine ea peregrinari.) *Famulus unus & alter, quamvis non expressus, censetur comprehensus in eo, cui indecorum ire sine comitatu.* Item *bona, quæ solita sunt ad iter assumi*, nisi specialius quid convenerit. *Non* tamen *licet ei mittere, cui concessum est venire, nec cui venire concessum, potest mittere: Idem semel veniet, non iterum*, nisi adjectio temporis suppeditet aliam conjecturam: Similiter *bona non quævis assumere licet*, item *comites non quosvis:* ita *piratas, latrones transfugas, desertores non licet secum abducere*, utpote quorum causa nimis est odiosa.

Quid liceat in commeatu?

Quid non liceat?

[*Grotius* §. 14. *& seqq. usque ad* 23.]

§. 6. *Captivorum redemtio multum habet favoris, ita ut omnino improbanda*

Jus redemtionis captivorum.

ex sint leges indistincte vetantes redimi captivos: nisi forte appareat tali rigore opus esse, ut majora aut plura mala alioqui moraliter inevitabilia evitentur.

[*Grotius* §. 23. & *seqq.*]

NOTÆ.

I. Æstimatio in arbitrio est victoris, nisi certi aliquid convenerit: Ejus tamen est continere semet intra terminos æquitatis.

II. Non dubitandum tamen quin jus exigendi pretium redemtionis a capto, possit ab eo, qui captum tenet in alium transcribi. Nam & incorporalia alienari natura patitur.

III. Jus hoc captos servandi solet concedi singulis, qui ceperunt extra personas eximiæ dignitatis: In has enim reip. aut ejus capiti jus dant plerarumque gentium mores.

CAPUT XXII.

De

FIDE EORUM, QUI MINOREM HABENT POTESTATEM IN BELLO, NUM ET QUOUSQUE SUMMAM POTESTATEM OBLIGENT, QUOUSQUE SE, QUOUSQUE INFERIORES.

§. I.

§. 1.

QUi minorem poteſtatem in bello habent, ſunt duplicis generis: alii *ſummis ſunt proximi*, quales ſunt duces excellenter dicti: alii ſunt *longius remoti*. *Minoris poteſtatis diviſio.*

[*Grotius c. 22. §. 1.*]

§. 2. Fides ab eo, qui minorem habet poteſtatem in bello, data *nunc obligat ſummam poteſtatem; nunc minime*, ſed ſolummodo eum, qui minorem habet poteſtatem. *Fides a minori poteſtate data quotuplex?*

[*Grotius §. 2.*]

NOTA.

Omnino enim in caſu, quo minor poteſtas fidem dedit, obligatur altera pars, aut ſumma poteſtas, aut ejus miniſter. Non enim dici poteſt claudicare contractum.

§. 3. Summa poteſtas obligatur ad ſervandam a minore poteſtate datam fidem, aut conſequente facto minoris poteſtatis, aut *antecedente facto minoris poteſtatis.* *Summæ poteſtatis a minori poteſtate obligatio quotuplex?*

[*Grotius §. 3.*]

§. 4. Conſequente minoris poteſtatis facto obligatur ſumma poteſtas, dum minor poteſtas facit id, quod ut fieret ſumma poteſtas vel *expreſſe vo-* *Prior quæ?*

luit, vel *ex ipsa præpositionis natura colligitur* eum voluisse.

[*Grotius* §. 2.]

NOTÆ.

I. Nam *qui dat facultatem, dat quantum in se est, quæ ad facultatem sunt necessaria*, *quod in materia morali intelligendum est morali modo.*

II. Duobus ergo modis potestates minores supremam suo facto obstringunt: *1. faciendo id quod probabiliter ipsorum officio contineri censetur. Aut extra illud 2. ex speciali præpositione, nota publice, aut iis, quorum res agitur.*

Posterior quæ?

§. 5. Antecedente minoris potestatis facto obligatur summa potestas iterum duplici modo: vel *per consensum*, hoc est, *expressa vel tacita ratihabitione*: vel *per rem, ut contractum præstet, ex quo commodum vult, aut de commodo discedat.*

[*Grotius* §. 3.]

NOTÆ.

I. Antecedens minoris potestatis factum proprie dicta causa non est, sed occasio obligationis istius, unde potestas summa obligata dicitur.

II.

II. Ab injustitia excusari non potest summus imperans, qui cum minoris potestatis factum improbet, tamen retinet, quod sine pactis non haberet.

III. Ex his sequitur, quod aliæ summæ potestates magis, aliæ minus ex minorum potestatum suarum contractibus teneri possint, si satis notæ sint ipsarum leges atque instituta: De his si non constat, sequendum est, quod conjectura dictat, ut concessum intelligatur id, sine quo satis commode, quæ officii sunt, expediri non possunt.

§. 6. *Minor potestas si mandati fines excesserit, tenebitur ipsa, si quod promisit præstare non potest ad æstimationem: Nisi lex aliqua satis cognita id quoque impediat. Si præ se tulerit jus majus quã habebat, jam tenebitur & de damno culpa dato, imo & ex crimine ad pœnam crimini respondentem.* — *Inferi[illegible] potestatis obligatio.*

[*Grotius §. 4. n. 3.*]

§. 5. *Minores potestates obligant milites & magistratus oppidanos intra eos actus, qui solent ab ipsis imperari: De belli* vero *causis & consequentibus transigere non possunt:* ita *inducias dare possunt, homines, imperia, agros, bello adhuc* — *Quid minores potestates inferiores possint in bello?*

huc quærenda condonare possunt: Sic Maharbal Romanis quibusdam, qui ex prælio ad Thrasymenum evaserant, satis longe absente Hannibale fidem dederat non tantum vitæ τῆς σωτηρίας, sed si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum: Retinuit eos Hannibal hoc causatus se inconsulto a Maharbale id fieri nequivisse, quare Livii judicium de hoc facto sequitur, Punica relligione servata fides ab Hannibale est. *At homines, imperia, agros bello quæsita concedere nequeunt.* Sic Syria Tygrani est ademta, quam Lucullus dederat.

[*Grotius* §. 6. 7. 8. 9.]

NOTÆ.

I. Quod minor potestas in bello milites, magistratus oppidanos obliget, intra eos actus, qui solent ab ipsis imperari, nulla forte dubitatione indiget, quia alioqui semper opus esset consensu speciali. Unde pactum inferioris potestatis *in mere utilibus proderit inferioribus:* Id enim in potestate comprehensum satis est: at in his, quæ onus habent annexum, proderit intra ea, quæ imperari solent: Extra ea ita si acceptaverint.

II. Cur

II. Cur de belli causis consequentibus minores potestates transigere nequeant, ratio in promtu est, qvia bellum finire non est pars belli gerendi. Objici poterat interdum præpositas esse minores potestates. Verum respondetur eam præpositionem intelligendam esse tantum de belli ductu. Sic Senatus rescidit pacem, quam A. Albinus fecerat cum Jugurtha Rege Senatus injussu. Ita Caudina, ita Numantina sponsio populum Romanum non obligavit.

III. Cur homines imperia, agros, bello nondum quæsita condonare queant, id causæ est, quia oppida pleraque & homines sæpe in bello dedunt se sub conditionibus vitæ salvæ aut & libertatis, aut & bonorū, de quibus summæ potestatis arbitrium exquiri res plerumque non patitur.

IV. Sed ex instituto hac de re plus satis actum est, *cap. 15. L. II.* item *16. cap.* ubi de interpretatione agebatur, nec dubitandum, quin pacta, quæ minores potestates ineunt, sint interpretanda *stricte, quatenus patitur natura contractus*: Ita deditio a minori potestate accepta pro pura habenda est, ut de ea arbitrium sit summæ potestatis, cujus exemplum est in Perseo Macedonum Rege, qui se Paulo dediderat. Sic adjecta cautio, ita ratum sit, si summæ potestati visum, efficiet, ut ratihabitione non secuta minor

potestas in nihil ipsa teneatur, nisi si qua locupletior facta sit.

CAPUT XXIII.

De FIDE A MERE PRIVATIS IN BELLO HOSTIBUS DATA.

§. 1.

Privata fides servanda.

Etiam si quid singuli temporibus adjuti hosti promiserint, est in eo ipso fides conservanda: Singuli, milites puta aut pagani: nihil enim ad fidem refert. Ita *merito toleratur promissio captivi de redeundo in carcerem*, uti M. Attilius Regulus teste *Cicerone* rediit, sicut & de decem captivis narrante *Gellio* octo postliminium justum non esse sibi responderunt, quoniam dejurio vincti forent; item promissio *de non redeundo in certum locum*, sicut Ithomenses promiserunt Lacedæmoniis, exituros se Peloponneso nec unquam redituros. Item *de non militando adversus captorem*, quemadmodum dimissi sunt ab Amilcare Numidæ sub lege, *ne adver-*

adversus Carthaginenses eorum quisquam arma hostilia ferret.

[*Grotius c. 23. §. 1. 6. 7. 8.*]

NOTA.

Adeo firma est fides privatorum, ut si in ea præstanda negligentes fuerint, a suis potestatibus cogendi sint eam implere, si de bello ex jure gentium solenni quæstio sit. Nam *bellum gerentes obstringuntur alteri jus reddere, etiam de factis privatorum.* Sic Cornelius Nepos recitante *Gellio* scripserat multis in Senatu placuisse, ut ii de decem captivis, qui redire nollent, datis custodibus ad Hannibalem deducerentur. Idem jam ante Senatus redire eos coëgerat, quos Pyrrhus sub conditione dimiserat, ut est apud *Appianum.*

§. 2. De interpretatione fidei privatæ tenendum, ut a proprietate verborum non recedatur, nisi absurdi vitandi causa, aut ex alia satis certa mentis conjectura: Ita *vitam pactus* non etiam ad libertatem jus habet. Sic *vestium nomine arma non veniunt.* Sic *venisse auxilium recte dicitur, si sit in conspectu, etiamsi nihil agat: Nam ipsa præsentia suam vim habet.* *Fidei privata interpretatio.*

[*Grotius §. 11. & . 12.*]

NOTÆ.

I. Studio dicebatur: nisi absurdi vitandi causa. Ita exempli gratia rediisse ad hostem non dicetur qui clam rediit, ut statim, exiret: Rediisse enim ita intelligi debet, ut in potestate hostium iterum sit.

II. Hæc omnia ex professo haberi poterunt ex *c. 11. 13. & 16. L. II.*

QUÆSTIONES.

Quæstio I.

An a privatis cum hostibus inita fides servanda?

§. I.

PRO NEGANTE SENTENTIA ARG. I.

PRo negante sententia videntur facere sequentia argumenta:

I. Quicquid summis imperantibus damnosum est, hoc a privatis, qui in eorum potestate sunt, fieri nequit.

Atqui fidem a privatis hostibus datam servari summis imperantibus damnosum est E.

Minor probatur, quia summis imperantibus est jus supereminens civitatis, milites fidem sacramento dederunt summis imperantibus.

II.

II. Quam potestatem summus imperans lege potuit adimere, ea privatus citra expressam summi imperantis voluntatem uti nequit. *Arg. II.*

Atqui potestatem servandi fidem hostibus summus imperans lege potuit adimere E.

§. 2. Affirmans sententia probatur sequentibus argumentis: *Pro affirmante sententia*

I. Quicunque jura habent, quæ obligare possunt, ab illis cum hostibus inita fides est servanda. *Arg. I.*

Atqui privati jura privata habent, quæ obligare possunt E.

Major probatur, quia hostes capaces sunt acquirendi juris: Quid ergo esse potest, quod obligationem impediet?

II. Quocunque posito sequitur pericula fore infinita, ejus contrarium cæteris paribus omnino justum est. *Arg. II.*

Atqui posito fidem a privatis cum hostibus initam non esse servandam, sequitur pericula fore infinita E.

Major patet, quia necessitas finis in moralibus facit jus.

Minor probatur, quia posito a privatis cum hostibus initam fidem non esse servandam, datur cædibus plena occasio, libertati impedimentum: Nam & illæ caveri sæpe, & hæc obtineri a captivis fide privatorum sublata non poterit.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem

AD ARG. I.

Ad I. negando 1. propositionem minorem: nam ea pacta, quæ malum majus aut certius evitant, magis utilia quam damnosa etiam publico censeri debent, quia minus malum induit rationem boni: talia autem sunt privatorum cum hostibus pacta. 2. negando majorem: quia neque fides sola qua quis potestatem ipsam sui & suarum rerum non abdicat, neque utilitas publica sine legis auctoritate id efficere possunt, ut quod factum est, etiamsi contra officium factum esse detur, irritum sit & effectu juris omni careat.

RESP. AD ARG. II.

Ad II. respondetur itidem 1. negando majorem: nam & hic obtinet illud Metaphysicorum: A posse ad esse non valet consequentia. Non enim lex hoc semper facit, parcit quippe civibus. 2. negando minorem: nam neque lex semper hoc facere potest, cum leges humanæ vim obligandi tum demum habeant, si latæ sint ad humanarum modum, non si onus injungant, quod a ratione & natura plane abhorreat. Et ideo leges & præcepta specialia, quæ tale quid aperte præ se ferunt, pro legib9 haberi non debent: Generales autem leges interpretatione benigna ita accipiendæ sunt, ut casus summæ necessitatis excludant.

OCCASIO QUÆST.

§. 4. Occasio quæstionis habetur §. 5.

Qua-

Quæstio II.

Num promissio captori data, ne adversus eum unquam militet, privatum obliget?

§. 1. Pro negante sententia videtur facere sequens argumentum: PRO NEGANTE SENTENTIA

Quicquid est contra officium, hoc est irritum.

Atqui promissio captori privato data, ne adversus eum unquam militet, est contra privati officium E. ARG.

Major patet, quia ad impossibile nulla obligatio: at quod moraliter turpe est moraliter impossibile.

Minor probatur, quia est contra officium quod patriæ debetur.

§. 2. Affirmans sententia probatur sequenti argumento: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA

Quæcunque promissio non deteriorem reddit captivi promissionem, illa cæteris paribus obligat. ARG.

Atqui promissio captori a privato data non deteriorem reddit captivi conditionem E.

Minor probatur, quia novit captivus idem fieri posse, atque futurum esse, licet non promittat, imo scit deteriorem sic fore suam conditionem.

§. 3.

RESPONDETUR AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

§. 3. Ad argumentum pro contraria sententia allatum respondetur negando propositionem minorem. Non enim contra officium patriæ debitum est libertatem sibi parere id promittendo, quod jam est in hostis manu. Nihilo enim deterior fit patriæ causa, cui is, qui captus est, ni liberetur, jam periisse censendus est. Ad majorem quoque responderi poterat, non quicquid contra officium est, statim & irritum esse, quo de *c. 11. L. II.* actum est.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occasio quæstionis habetur §. 7.

CAPUT XXIV.

De

FIDE CUM HOSTIBUS TACITE INITA EJUSQUE OBLIGATIONE.

§. 1.

Fides cum hoste tacite inita quid?

quotuplex?

FIdes cum hoste tacite inita est fides expresse non indicata, ut tamen ex sat idoneo signo colligi possit. Et hoc est, quod *Javolenus* JCtus l. *ea lege 51. D. locati conducti* notat *silentio quædam conveniri*, & sane *hoc & in publicis & in*

in privatis & in mixtis usu venit: Exempli gratia *qui aut ab hostibus aut ab externis veniens in alterius populi aut regis fidem se dat, quin tacitã conventionem ineat, ne quid faciat adversus eum statum, in quo præsidiũ quærit, dubitari non debet.* Sic & *qui colloquium postulat aut admittit, tacite pollicetur collocutoribus id innoxium fore.* Ita *sunt & signa quædam muta ex consuetudine significantia ut olim vittæ & rami olivarum, apud Macedones hastarum erectio; apud Romanos scuta capiti imposita, item vexilla perversa apud Persas manus post tergum complicatæ signa supplicis deditionis. Hodie vela candida tacitum habent signum petiti colloquii.*

[*Grotius c.24.§.1.2.3.5.*]

NOTA.

Huc ea omnia faciunt, quæ supra *L.II. c.4.* attulimus, ex quibus satis constare poterat, quomodo voluntas alterius expresse non indicata ex idoneis & aut certis aut maxime probabilibus signis sæpe colligi possit, ut non opus sit ea reducere & ad fidem tacitam cum hoste initam applicare. Nec dubitandum est,(ut ex exemplis modo datis liquet) quin quædam natura insunt actui.

§.2.

Fidei tacitæ vis & obligatio.

§. 2. Quod tacita fides vere obliget, extra dubitationem ponitur: *Causa hæc est, quod consensus qualitercunque indicatus & acceptatus vim habet juris transferendi.* Bene Moralistæ: Consensus & taciti & expressi eadem regulariter est virtus. Unde e. gr. *Zopyri factum reprehensione dignum est: Neque enim fides ejus in regem perfidiam in eos ad quos confugerat excusat. Ita Cn. Domitius eo quod Bituitum regem Arvernorum per colloquii simulationem accersitum hospitioque exceptum vinxit, hoc a Valerio Maximo judicium refert:* nimia gloriæ cupiditas perfidum existere coëgit. Ita *merito Agathias Ragnarum Hunnum culpat, quod abeuntem a colloquio Narsetem transfigere voluerit.*

[*Grotius* §. 1. & 3.]

NOTA.

Non tamen *ultra tacite illa voluntas*, quam fas & jura sinunt, *trahenda est.* Ita qui colloquium aut postulant aut admittunt, vi taciti pacti collocutoribus nocere nequeunt, interim specie colloquii avertere hostem a belli consiliis suaque promovere perfidia vacat, & dolis bonis annumeratur. Quare

qui

qui deceptum spe pacis regem Perseum arguebant, non tam juris & fidei, quam animi excelsi & gloriæ bellicæ habebant rationem. Ejusdem generis erat fraus illa, qua Asdrubal ex Ausetanis saltibus exercitum servavit, & qua *Scipio Africanus major situm castrorum Syphacis perdidicit*, utrumque narrante *Livio*. Horum exemplum imitatus *L. Sylla bello sociali apud Eserniam*, ut apud *Frontinum* legitur, & *Cæsar Dictator adversus Tencteros & Usipetes*.

CAPUT XXV.

De

PACE.

§. 1.

PAx est status Reipublicæ quietus. *Pax quid?*

§. 2. Potestas pacem pangendi est penes eum, quem penes est potestas bellum gerendi. *Subjectum potestatis pacem pangendi.*

NOTÆ.

I. Nam cui jus est gerendi bellum, ei etiam est jus bello finem imponendi, ut possit commodo tempore, æquis conditionibus si liceat, civitati publicam quietem conciliare.

II. Ut bellum, ita & pax multis modis dicitur: absolute tamen & maxime primario

rio pax in oppositione ad bellum publicum spectatur. Conf. ea, quæ *L. I. c. 1. annot. ad §. 3. p. 7.* dicta sunt.

Quando pax quærenda belligerantibus?

§. 3. *In tota belli administratione non potest securus & Deo fidens animus retineri, nisi semper in pacem prospectet: nam ferinum quiddam vis est; quæ in bello maxime eminet, quo diligentius curandum est, ut humanitate temperetur, ne nimium feras imitando dediscamus hominem.*

[*Grotius* §. 3.]

NOTÆ.

I. Ipse *Aristoteles VII. Pol. 2. & 14.* accusat gentes, quæ bellicas actiones quasi pro ultimo fine sibi proponerent. Nullum sane bellum interna justitia justum est, nisi quando pacis causa bellum suscipitur. Optime *Cicero: Cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud sit proprium hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.* Ideo Romani inter aquilas & dracones etiam porcas habebant in signis. Porca enim pax significabatur, & propterea in fœderibus ineundis porca cæsa. Hinc illud: *cæsa jungebant fœdera porca.* Feciales quoque lana caput habebant obvolutum, ut appareret eos bellum indicere, quod

quod propter obtinendam pacem inferatur: ovis enim pacificum pecus est. Vid. *Lips. l. 4. de mil. R. dial. 5.* & *Boxborn. Instit. Politic. l. 1. c. 13. annot. ad §. 1. p. m. 26.*

II. Satis quidem hoc unum esse debet, quod turpe sit bellum gerere nec tamen pacis causa. Sed & plerumque utilitas (honestas ipsa vilis hoc seculo ignoscere nobis debet, si quando per se contemnitur, ex utilitatibus ipsi pretium fit) eodem trahit, 1. eos, qui minus valent: *quia periculosum est longum cum valentiore certamen, &, ut in navi fit, jactura aliqua redimenda major calamitas, omissa ira ac spe fallacibus auctoribus.* Bene *Aristoteles: Satius est his, qui plus pollent aliquid rerum suarum relinquere quam bello victos cum rebus perire.* 2. eos, qui validiores sunt, *quia bonis suis rebus ampla ac speciosa dantibus pax est, ac melior tutiorque quam sperata victoria. Cogitandus enim Mars communis.* Prudenter *Aristoteles: Cogitandum*, ait, *in bello quam multæ quamque improvisæ mutationes accidere soleant.* Hæc ille. *Et maxime metuenda desperantium audacia, tanquam acerrimi morientium belluarum morsus.* Quippe timenda etiam morientis lustra leonis. 3. viribus pares: nam *si uterque pares sibi videantur, id vero Cæsare auctore optimum tempus de pace agendi, dum sibi uterque confidit. Grotius §. 4. 5. & 6.* Multi pacem ante repudiatam submissis vexillis

 inse-

insecuti sunt anxie fugientem, imo non facile quis impetrabit æquas conditiones pacis, cum res non amplius est integra.

III. Interim probe caveat pacem pangens, ne pacificatione detrimentum capiat Respublica belli periculo majus. *Hujus est* (verba sunt *Joh. Frid. Hornii Politicorum parte architectonica de civitate lib. 2. cap. 5. § 6 p. m. 394*) *omnes scrutari rationes, quæ vel famam ac decus, vel ignominiam adferre videantur; quæ vel in præsens vel in futurum fructuosæ aut damnosæ civitati credantur. Adeo prudenter hoc negotium tractandum est, ut quamvis pax sit optima rerum, quas novisse datum est homini, expediat non infrequenter eligere bellum animoso consilio, quam servili & abjecto animo, intutam quietem atque propudiosam pacem optare.*

Quamdiu pax servanda?

§. 4. *Pax facta qualibuscunque legibus servanda omnino, sollicitequé cavenda non tantum perfidia, sed & quicquid animos exasperat. Fide enim non tantum respublica qualibet continetur, sed & major illa gentium societas. Fide sublata*, ut vere *Aristoteles*, tollitur quod *inter homines est commercium.*

[*Grotius §. 1. & 7.*]

NO-

VALENTINI Velthem/
Moralium P.P.

INTRODUCTIO
ad
GROTIANI OPERIS
DE
JURE BELLI ET PACIS
LIBRUM SECUNDUM ET TERTIUM SEU ULTIMUM.

Accessit triplex index capitum, illustrium quæstionum, rerum.

JENÆ,
Impensis JOHANNIS BIELCKII,
Typis SAMUELIS KREBSII,
A. O. R.
cIɔ Iɔc LXXVII.

NOTÆ.

I. Quia fides *sanctissimum*, ut *Seneca* loquitur, *humani* pectoris bonum est, *eam tanto magis præstare debent summi hominum Rectores, quanto cæteris impunius peccant: Itaque fide sublata feris erunt similes, quarum vim omnes exhorrent. Et justitia quidem in cæteris sui partibus sæpe habet aliquid obscuri: at fidei vinculum per se manifestum est, imo ideo quoque usurpatur ut de negotiis omnis dematur obscuritas. Grotius §. 1. n. 2.*

II. *Quo magis Regum est religiose hanc colere, primum conscientiæ deinde & famæ causa, qua stat regni auctoritas. Ne dubitent igitur eos, qui ipsis fallendi artes instillant, idipsum facere quod docent. Non potest diu prodesse doctrina, quæ hominem hominibus insociabilem facit: adde & Deo invisum. Grotius §. 1. n. 3.* Nam ut legati Justiniani apud Procopium Chosroën alloquebantur, *quid hoc aliud esse dicamus, quam hominum vitam in ferarum vitam mutare. Quippe sublatis fœderibus sequetur, ut omnes inter se æterna gerant bella. Bella autem sine fine hanc vim habent, ut homines perpetuo teneant natura sua extorres.*

III. Concludit tandem *Grotius* totam ultimi capitis doctrinam hisce verbis: *Inscribat hæc Deus (qui solus hoc potest) cordibus eorum, quorum res Christiana in manu est, &*

iisdem mentem divini humanique juris intelligentem duit, quaeque semper cogitet lectam se ministram ad regendos homines, Deo carissimum animal. Fiat!

IV. Et sane hæc pax, quæ belli interna, justitia justi meta est omnisque belli meta esse debebat, naturæ hominum quam maxime est consentanea.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.
Recte *Owenus l. 1. epigr. 118.*

Bella famem, pestemque fames mortalibus adfert;
Est igitur bellum pejus utroque malum.

Et quod *Euripides* de Græcis dixit civitatibus, idem ad alios quosvis recte aptes;

De Marte quoties itur in suffragia
nemo imminere cogitat mortem sibi:
Sed quisque cladem destinamus alteri:
Quod si in comitiis funera ante oculos forent,
furiata bello non perisset Græcia.

Contra *& nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris*, secundum *Ciceronem Orat. Phil. 2. & pro lege Agrar.* Pace *non modo ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri lætari videntur.* Consonant Poëtæ, ex quorum mente *Silius Italicus* sic loquitur:

- - - - - - - - - Pax optima rerum
quas homini novisse datum est. Pax una triumphis

innu-

innumeris potior, pax custodire salutem
& cives æquare potens,

Similiter *Prudentius*:

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,
Pax belli exacti pretium est, pretiumque pericli:
Sidera pace vigent, consistunt terrea pace:
Nil placitum sine pace Deo. Non munus ad aram.

Vero consentaneum est *legationem pacificatoriam*, ut loquitur *Cicero Phil. 12.* omnium primam fuisse. Bellum geritur per homicidas, per incestos, per aleatores, per stupratores, per sordidissimos conductitios milites, quibus lucellum charius est vita: hi in bello sunt optimi, qui quod ante suo faciebant periculo; hic cum mercede faciunt & cum laude; Quot facinora belli prætextu committuntur, cum inter arma silent leges bonæ, quot rapinæ, quot sacrilegia, quot raptus, quot alia dedecora, quæ pudet etiam nominare? Hæc pestis morum in multos annos duret necesse est, etiam extincto bello. Expende mihi nunc fructus, ut etiam si vincas, multo tamen plus sit damni, quam lucri. Vid. *Erasm. Roterod. Cent. 7. epist. 56.* Ex bello maxima malorum pars ad eos redit, ad quos nihil pertinet bellum, pacis commoda ad omnes perveniunt:

niunt: in bello plerumque fiet etiam, qui vicit, tantum malorum agmen secum trahit, ut non sine causa Poetæ finxerint bellum ab inferis per Furias immitti. Mea igitur sententia hic quoque verum est, quod scripsit *M. Tullius: pacem vel iniquam bello æquissimo potiorem.* Expedit nonnunquam deploratæ malitiæ cedere, cum nec officii fructus est ullus, & irritati mali gravius lædunt.

V. Et hoc movit *Grotium* ut postquam justitiam belli externam effectusque juris gentium *Lib. III. cap. 3. & seqq. usque ad caput 10.* exposuerat, legeret retro vestigia, & eriperet bellum gerentibus omnia, quæ largitus videri poterat, nec tamen largitus fuerat, sed ostenderat saltem, quam multa juris sint aut liceant eo quod impune fiant, partim etiam quod judicia coactiva suam illis auctoritatem accommodent, quæ tamen aut exorbitent a recti regula, sive illa in jure stricte dicto, sive in aliarum virtutum præcepto ponatur, aut certe omittantur sanctius & cum majori apud bonos laude.

EPILOGUS.

ORo, ut is, qui novit quid expediat generi mortalium, Principum animis inspirare dignetur

Lectori benivolo
S. P. D.
VALENTINUS Velthem.

PRodit in tuum, Benigne Lector, conspectum introductio ad secundum & tertium Hugonis Grotii de jure belli & pacis librum, non ex vana gloria, sed ut fidem in fungendo munere quodammodo testarer, a me scripta, qui, quod sancte assevero, laborem, nullam certe laudem affecto, & paratissimus sum quibusvis cedere vel quadantenus meliora docentibus. *Voluntas omnibus bonis excusata crimen utique habere nequit.* Fastidiat quivis per me, negligat, spernat qualemcunque opellam meam, modo a convitiis & mendaciis truculentis abstineat, & si nihil solidi habeat, quod adversus receptas & omnibus eruditis probatas sententias dici possit, lusus terminorum, nugas & virus eructare desinat. Sed nec eos morabor, qui mea calumniari volent. *Nihil tam recte unquam dicitur, quod æger animus sinistre interpretari, & malignus calumniari non possit. Æger animus oculi instar lippientis est: pro affectu isto, quo imbutus est, judicat. Malignus animus mangonis instar, alienum, & quem vult, cuique rei fucum inducit; ne, quod intus est, foris appareat. Pessime dictis colorem dat. Optime dictis, quando fidem detrahere non potest, pretium saltem adimit, ne adlubescant, imo ut viliora credantur, quam est alga. Magna hæ sunt veritatis remora. Quippe habet hoc æger animus, ut suspicax sit, & in seipsum inquietus. Uti aranea ex corpore suo fila muscis impediendis, ita ille suspiciones alias ex aliis sibi ipsi aliisque irretiendis assidue nectit. Malignus vero animus adhuc pertinaciam pro caussa induit, & certa esse vult ea, quæ sæpenumero ne speciem quidem veritatis habent. Violenta enim est omnis malitia, & ingeniosa ad fingendum crimen. Quodcunque vult, id adversario pene cum cauterio inurit, ut deleri vix possit sine cicatricis*

ciem, imo omnium malorum colluviem ac mare in vitam mortalium invehi: quorum animos & opes si pax conjunxerit sincera, mox futurum, ut jam velut aureo quodam seculo, pietas, optimæ leges, & quicquid est honestarum artium simul efflorescat, quæ semper pacis & comites esse solent & alumnæ: nostris vero cordibus animisque istud semper impressum maneat: Serenissimis Principibus nostris summum rerum judicium Deus dedit, nobis subditis veri obsequii gloria relicta est. Itaque per nostrum, ut ait Flaccus, patiamur scelus iracunda Jovem (DEUM) fulmina ponere. Sic fata viam invenient & quos tumultus fatalis Erynnis minatur, quibusque veluti dato ab inferis negotio universum orbem Christianum com-

movendum ſuſcepiſſe videtur, brevi tandem in bonam cataſtrophen omnibus nobis profuturam exibunt artificio ſummi illius choragi, cujus inſcrutabili conſilio res hominum temperantur. Quod ut faciat, ſicque benignitas & fides ſibi invicem obviam veniant, juſtitia & pax oſcula jungant, fides e terra germinet & juſtitia de cœlo proſpectet, aulis gloria, urbibus tranquillitas, templis cultus, legibus vigor, domibus quies, agris fertilitas, viis ſecuritas ſit, pie & animitus voveo totumque hunc laborem hocce pio voto obſigno.

gnetur ea consilia, quæ nobis veram pietatem cum sancta concordia restituant, quando præter vota nihil aliud nobis superesse video. Sane principum dissidiis conflictationibusque & Christianorum vires opesque maximopere labefactantur, & e diverso nostræ religionis hostibus opes animique adduntur, nec ulla re Gens Christicola æque formidabilis redditur hisce sane hostibus atque principum ac populorum concordia: tum quæ major etiam pestis, quicquid est veræ religionis, quicquid bonarum legum, quicquid disciplinæ, quicquid honestarum artium, militari licentia inter armorum crepitus ac strepitus, aut intermoritur prorsus, aut certe friget vehementer, unde optimum magistrum, qui homines vult, quantum fieri potest, quan-

tum in nobis eſt, pacem cum omnibus quærere, ſollicitis ac exquiſitiſſimis veneramur precibus, ut funditus reciſis bellorum ſeminariis pacem ſolidis & adamantinis vinculis adſtringat. Et quæ præcipua precum ſumma eſt, SERVET DEUS SERENISSIMOS PRINCIPES AC DOMINOS NOSTROS CLEMENTISSIMOS, NUTRITORES ACADEMIÆ NOSTRÆ SALANÆ MUNIFICENTISSIMOS, quos huc totis nervis incumbere vidimus ſemper & videmus, ut compoſitis in æternum bellorum tumultibus, præcipui Chriſtianæ ditionis principes perpetua jam pace inter ſe conglutinentur: nimirum prudentiſſime illud animadvertentes ex principum inter ipſos diſſidiis ſemel omnium rerum peſtem ac perniciem,

LIBRI PRIMI CAPITA.

LIBRI SECUNDI CAPITA.

X. De

LIBRI TERTII
CAPITA.

V. De

CAPITUM.

XXII.

CAPITUM QUÆSTIONES

Ita tractatæ, ut semper paragraphus primus argumenta pro minus probabili aut falsa sententia, secundus pro magis probabili aut vera, tertius argumentorum contrariorum solutionem, quartus denique occasionem ab ipso Grotio subministratam exhibeat.

LIBRI PRIMI.

INDEX
CAPITUM LIBRI SECUNDI QUÆSTIONES.

An

An

IX.

CAPITUM LIBRI TERTII QUÆSTIONES.

INDEX POTIORUM RERUM.

A.

 Ἀνδρεία

Fen-

Funda-

I.

rie

Irri-

 esse

mo-

Men-

Mom-

Nefas

Posses-

Sen-

Sub-

F I N I S.

Benivole Lector, errores ſive calami, ſive typothetæ, ita emendabis:

P*Ag.13 lin.12:* §.10.) §.9. *p.* 22. *l* 22. quam) quæ *p.* 66. *l.* 26. ſeipſum) proximum *p.* 86. *l.* 16. jus naturæ) Decalogus *p.* 137. *l.* 14. *poſt* redundante *l.* oritur. *p.* 208. *l.* 10. *l.* probrum *p.* 208. *l.* 19. obligat) obtinet *p.* 279. *l.* 5. ejusmodi) ejusdem *l.* 9. *poſt* ſi *l.* quisque *p.* 282. *in margine l.* pro negante *p.* 288. *l.* 10. *poſt* quærunt *l.* commodum *p.* 315. *l.* 20. jubetur) cenſetur *p.* 317. *l.* 8. uſu) uſæ *p.* 328. *l.* 28. *poſt* dictum *l.* nullius *p.* 331. *l.* 12. *poſt* vulneraverat *l.* dicebantur *p.* 333. *l.* 4. *poſt* ad VIII. *l.* Idem forte, quod ad VI. dici poterat. Ad IX. *p.* 348. *l.* 5. turpia) triſtia *p.* 367. *l.* 15. cujus) quorum *p.* 383. *l.* 1. majeſtatis) majeſtas *p.* 443. *l.* 1. popularem) pupillarem *p.* 458. *l.* 12. *l.* parta *p.* 484. *l.* 23. *l.* incorporalium *p.* 488. *l.* 22. veræ) contrariæ *p.* 501. *l.* 24. *l.* probetur *p.* 505. *l.* 14. legibus fœderis *p.* 507. *l.* 11. adverſus *p.* 519. *l.* 23. *l.* viſum eſt *p.* 522. *l.* 17. *l.* quæſt. 9 p. 457. *p.* 528. *l.* 11. namque) facere *p.* 566. *l.* 4. ipſius) *ſua pro* 579. *l.* 10. *l.* ea licentia circumſcripta ſit *p.* 587. *l.* 10. cum) eum *p.* 593. *l.* 26. & *p.* 594. *l.* 3. incertus) certus *p.* 727. *l.* 16. *poſt* ſuppeditaſſet, *l.* eam penitus intactam reliquiſſemus. *p.* 872. *l.* 22. *poſt* tamen *l.* non *p.* 904. *l.* 19. *l.* hominem *p.* 958. *l.* 22. *l.* æqualitatem *p.* 1006. *l.* 1. & 7. *l.* jusjurandum *p.* 1053. *l* 5. *l.* Sic *p.* 1105. *l.* 22. *l.* dignus *p.* 1145. *l.* 29. *l.* fecialem miſſum *p.* 1294. *l.* 9. *l.* ut *p.* 1304. *l.* 14. *l.* Negativa *p.* 1342. *l.* 10. & 11. electionem) conſultationem *p.* 1355. *l.* 16. aquo) æquo *p.* 1401. *l.* 9. *l.* minorem *p.* 1419. *l.* 13. *l.* minorem *p.* 1518. *l.* 1. *l.* fœnorum.

Et hæc ſunt errata, quæ fugitivos etiam oculos detinuere. Si plura inveneris, ipſe pro candore tuo corriges, nec mihi ſtatim imputabis, cum ſæpisſime nec ea, quæ ex ſchedulis meis ab aliis ſcripta ſunt, relegere, nec temporis anguſtiis excluſus expreſſa corrigere, imo ne quidem adhuc revidere omnia potuerim. Bene vale.